Digitized by Google

917.
406

IVDICIA VIROR. ILLVST.
De Phil. Melanchthone.

Lutherus in epistola ad Io. Reuchlinum die Lucæ, Witebergæ 1518 scripta, quæ edita ... ad Io. Re... fine sexta: Accedi... tandem scriber... elanch-thon ... nihil haben... sit familia... mihi, omnin...

Lutheri ... scriptæ Witten... maxi... qua non ... com-menta... notatio-nes i... sed Philip... icit. præm... Philippi annot... 2. Oper. Basil ...

Joachimi C... Philippi Melanchthonis, præmissa secundo tomo Operum Philippi, Witeberg. edit.

Petri Lotichii Secundi Epistola ad Georgium Cracovium Consiliar. Saxon. de obitu & laudibus Philippi Melanchthon. inter epistol. Lot...

Eiusdem Elegia ad eundem in obitum Melanchthonis: elegantissime scripta. Extat inter ... Elegia IV.

F. T. A. R.
17. 80.
Bibliothecae Raittenhaslacensis

...is rarior ...ist. Crypto ... Saligs hist. ... M. Jsay 554.

Petr. Mosellanus epistolam ad
Erasmum in epta quadam
~~ad Petrum Mosellanum~~ quæ
est 1a libri eptarum VI. sic hꝫ

Illud magnopere te rogo per
Jesum et Christum ne inducas
animum credere illis qui apud
te Philippum Melanchthonem
differunt. Cave quicquam si-
nistrum de homine suspiceris
est adolescens optimus: ad
summam eruditionem natus
nec pietatem minorem. f. 253
et lib. VII. eptarum ipse Erasmus
Oecolampadium ita scribit
de Melanchthone et sentio & declarè
et spero magnifice, tantum ut eum
juvenem nobis Christus velit esse
superstitem. Is morbus obscurabit
Erasmum

Digitized by Google

Jacobi Sadoleti Cardinalis & Episcopi Carpent. Epistola ad Philippum Melanchth. cum magnum habeat et eruditionis et Modestiae Melanchthonis testimonium, ponenda est integra primo loco inter testimonia, & omittenda est inter epistolas Melanchthonis. Edita autem est a Pezelio lib. 3. epist. 39.

Petrus Bembus Cardinalis epistolâ ad Georgium Sabinum Patavio scriptâ VII. Cal. Quinct. Anno CIↃ IↃ XXXV. De uxore quam duxisse te scribis Philippi Melanchthonis, doctissimi Viri filiam, lætor. Dii tibi matrimonium fortunent. Socerum quidem habes eum, qui tibi in bonarum artium disciplinis magister fuit: ita te mihi dicere solitum videor recordari: ut tibi etiam eo nomine esse carus et optatus debeat.

Idem Cardinalis ad eundem Sabinum epistolâ Romae scriptâ VI. Cal. Jun. CIↃ IↃ XLI. Spem communis concordiae, quam ex isto Ratisponensi conventu nobis affers, accepi equidem perinde ac debui, libentissime. Qua tamen in re Melanthonem socerum tuum rem Christianam multum iuvare et posse scio, et eum facturum confido, fretus cum excellenti eius virtute, atq; in omni genere eruditione: tum vero etiam ea, quam cum illo contractam habes, necessitudine. Erunt igitur tuae quoq; pietatis partes curare, ut si quid in Melanchthone adhuc fuit, quo nostrorum animi nonnihil offendi potuerint, id temporibus totum potius, quam abalienatae a nobis voluntati asseribatur. Occasio dari vobis

ulla uberior nunquam poterit, unde vel gratiam a Deo opt. Max. maiorem ineatis, vel ab hominibus gloriam honestiorem consequamini. Illi tu meis verbis salutem impartias velim, quaeq, a me proficisci possunt omnia pollicearis ac deferas.

Francisci I. Francorum Regis epistola ad Philipp. Melanchthonem, quae edita est lib. 1. epist. 29 collocanda est omnium primo loco inter testimonia.

Epistolae Ioannis Bellai Langaei Cardinalis & Episcopi Parisiensis ad Philippum Melanchth. integrae inter testimonia ponātur loco secundo: editae in Manlii collectione Epistolar. Melanchthonis, pag: 166. et pag: 464.

Erasmus Roterodamus lib. 5. epist. 38: ad Philippum Melanchthonem scriptâ. Illud tibi persuadeas velim, me Philippum ex animo diligere & illius felicissimo ingenio non vulgariter favere. Dici vix potest, quantum arriserit hymnus, quo tu veterem illum Orpheum nobis referens, angelos celebras. Legi et Praefationem, qua veterem eruditionem praedicas, fortiter quidem ingentiq spiritu, quemadmodum & iuvenem decet & Germanum. Scripta est haec Erasmi Epistola Lovanii X. Cal. Maias anno 1519, cum Melanchthon annum aetatis ageret secundum & vigesimum.

Erasmus: cum ei Ioannes Oecolampadius ita scripsisset: Philippus Melanchthon semper commendari tibi rogat, plane dignissimus Erasmi amore, qui alter futurus est Erasmus, quiq facundia, ingenio, eruditione, vitâ, si quisquam Germanorum, Erasmum praestabit: his verbis Erasmus respondet: De Melanchthone et sentio praeclare & spero magnifice, tantum ut eum

iuvenem

Digitized by Google

iuuenem nobis Christus diu uelit esse superstitem. Is erorsus obscurabit Erasmum. Hæc lib. 7. Erasm. Epistol. 43 & 42. scripta anno 1517. cum Melanchthon annorum esset viginti.

Erasmus lib. 19. epist. 113. Pertegi locos omnes in quibus perspexi tuum istud ingenium non minus candidum quam felix, quod ego semper tum suspexi, tum amari, sed magis etiam utrunque facere cœpi, postaquam illa legi. scripta hæc Erasmi epistola Basileæ. 1524.

Erasmus lib. 27. epist. 2. ad Julium Pflug.
Philippus Melanchthon præter insignem eruditionem et raram eloquentiam, habet gratiam quandam fatalem, quam genio suo debet potius, quam ingenio, ut quum sit omnibus candidis gratissimus, ne apud hostes quidem habeat quemquam, cui sit admodum exosus. epistola scripta Friburgi Brisg. 1531.

Helius Eobanus Hessus lib. VI. Silvar. Ph. Mel.

Vnica Musarum morientum vita, Philippe,
Quam merito laudem nominis huius habes.
Vt reliquæ taceant, nostræ tua facta loquentur:
Contigit his certe munere vita tuo. &c.

Et paulo post:

Extant et totum divulgat tua scripta per orbem,
Quis nescit nomen, docte Philippe, tuum?
Nam tu sive probas, seu nolis esse quod audis:
Non potent fieri fama maligna tibi.
O merito eximiam laudem virtutibus istis,
Esse quibus miror te potuisse parem. &c.

Henningi Cunradini, Hamburgensis, insignis poetæ Epigramma in obitum Philippi Melanchth. extat lib. 1. eius Epigramm.

Henrici Bullingeri valde honorificum iudicium de Philippo Melanchthone est apud Simlerum in vita Bullingeri fol. 34. b.

Iosi. Simlerus in ead. vita fol. 33. Annus CIↃ IↃ LX. luctuosus fuit omnibus literatis propter mortem Philippi Melanchtonis, qui unicum literarum decus & totius Germaniæ ornamentum hoc anno e vivis excessit, decima nona Aprilis.

Hubertus Languetus epistolã XV. ad Joachimum Camerarium Lipsiæ octav. Kal. Nov. 1564 scripta

In prima Latinæ adolescentiæ cœpi legere libros, qui continent disputationes de Religione, cumq; mihi sine delectu avide perlegerem quicquid mihi offerebatur, & aliquot annos in ea re contriuissem, cœpi esse valde perturbato animo: & quamvis multa inepta legerem, nulla re tamen magis offendebar, quam quorundam acerbitate in disputando. Sub annum autem Domini 154. quidam Germanus donavit mihi in Italia locos communes Domini præceptoris Philippi, quos uno anno quater aut quinquies perlegi, cum tamen interea peregrinarer. Ii tanquam filum Ariadnes fuerunt mihi variis Labirinthis involuto, cœpiq; ab eo tempore eum virum tanti facere, ut ridicarem reliquos indulgere suis affectibus, istum solum quærere, quid sit verum et pium. Sed quia legeram Lutheri et Helvetiorum concertationes de Cœna Domini, ibi adhuc hærebam: nam videbatur mihi Dominus Philippus non ita dilucide eum nodum solvere, ut reliqua. Constitui itaq; ad eum accedere, ut eius sententiam de ea re et aliis quibusdam exquirerem; cumq; ad eum venissem anno Domini 1549. ab eo tempore usq; ad ipsius mortem plerunq; apud ipsum vixi, nec scio, an in ullum alium tot beneficia, quot in me contulerit; cum me in convictu habuerit, et omnium peregrinationum comitem asciverit. Eius temporis, quo apud ipsum fui, recordatio est mihi ita grata, ut pene mihi inducat oblivionem earum calamitatum, in quibus reliquum tempus transegi & adhuc transigo! Cum natura fuerit admodum beneficus, vix tamen eius vitam describens poteris insignius exemplum beneficentiæ eius proferre, quam me: minus enim mirum est eum fuisse erga suos homines beneficum. Ego vero ad eum accessi peregrinus & ignotus, nulla re præterquam miseriis commendandus, et tamen non uno mense, aut anno, sed quamdiu vixit, eius summam erga me beneficentiam & ut existimo, benevolentiam sum expertus.

Has quadringentas & quadraginta octo Epistolas Melanchthonis Leidenses typographi acceperè a LVDOVICO Joach. F. Joach. N. CAMERARIO, Consiliario Regio Suecico & Exlegato, qui in epistola dedicatoria Huberti Langueti ad Joachim. Camerarium Epistolis praefixa, a° 1646 testabatur, eas Groningae, in quam urbem extrema senectute emeritus secesserat, inter reliquia a se asservari, donec typographum invenirent.

Epist. 594

PH. MELANCHTHONIS

EPISTOLARVM

LIBER,

Continens præclara multa

CVM

ECCLESIASTICA

TVM

POLITICA & HISTORICA

cognitione dignissima,

Antehac nunquam Editus.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ BONAVENTVRÆ & ABRAHAMI
ELZEVIR. Academ. Typograph.

CIↃ IↃ C XLVII.

(1647)

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

BENEVOLO LECTORI.

QUANTUS vir fuerit Philippus Melanchthon, ὁ πανάρετος καὶ πάνσοφος, cum scripta ipsius doctissima & sanctissima, atque ad omnem posteritatem duratura publicè loquuntur, tum præclaris encomiis testificati sunt Viri complures pii, graves ac eruditi, cum superiori tum hoc nostro sæculo. Postquam certè vir maximus, & heroico planè spiritu præditus Martinus Lutherus, beatæ memoriæ, vocatus ab alto Antichristi, in templo Dei sedentis tyrannidem & Romanæ Synagogæ abominationes Orbi Christiano patefacere ausus est, fidelis illi profecto, & utilis semper Philippus παραστάτης fuit, præcipuè autem in publicis congressibus & cun-

ctis ferè contra Pontificios Doctores habitis disputationibus & colloquiis primam aciem sustinens Euangelii puriorem religionem constanter defendit & victoriam cum laude sempiterna ab adversariis retulit. Universam denique illo tempore spinosam Theologiam Scholasticorum philosophicis offuciis & sophisticis Elenchis intricatam, aut alioqui renascente Euangelii luce nonnihil diffusam & dispersam, in certam methodum & corpus quasi perspicuæ & sanæ solidæque doctrinæ collegit, ut solam quidem accuratam veritatis cælestis curam in simplicitate fidei Christianæ, veluti cynosuram quandam, ante oculos habuerit, in summo & perpetuo tranquillitatis & pacis publicæ desiderio, atque ita in bona & sincera conscientia coram Deo & hominibus. Cunctis vero bonis artibus liberalibus disciplinis ac scientiis sua ætate ita juventutem imbuit, ut suo merito communis omnium in Germania illo ævo Præceptor appellatus fuerit.

rit. Sed neceſſe non eſt, hæc à me uberius recenſeri, cum Clariſſimus & celeberrimus Vir, Dn. Joachimus Camerarius, ὁ μακαρίτης, qui ipſi per omnem vitam atque adeo per annos XL. & quod excurrit, conjunctiſſimus fuit, totum Philippi vitæ curriculum, ejuſque mores, ſtudia, & de Eccleſia ſimul ac Republ. bene merita accurato libro complexus ſit: Cujus lectionem ampliſſimus Præſes Dn. Thuanus lib. XXVI. ſuæ hiſtoriæ, ut jucundam ſibi fuiſſe affirmat, ita cenſet, non inutilem fore cognoſcentibus eam cunctis, qui Eccleſiæ paci conſultum cupiunt. Etſi autem optimo Philippo in omnibus conſiliis, actionibus & officiis ſuis continuo

Hic ſcopus unus erat, cunctis prodeſſe, nocere
Nemini, amare bonos, & tolerare malos:

ejus tamen dicta, & facta ferè omnia, quaſi ſignum quoddam propoſita fuerunt, ad quod dirigeret veluti

ſagittas ſuas calumniis & obtrectationibus malorum hominum uſus Satanas. Multi igitur ingrati ejus diſcipuli paternam illius inſtitutionem & perpetuam beneficentiam & hoſpitalitatem ingratiſſimo animo peſſimis machinationibus compenſarunt, excitatis in Eccleſia turbis. Ex quibus facti etiam aliqui Apoſtatæ & Hæretici, non tantum famæ ipſius, ſed etiam vitæ nefariè inſidiati fuerunt. Diſtinxerunt Græci Theologi poſteriores Martyres & Homologetas ſeu Confeſſores, ut illos appellarent, qui interfecti eſſent à tyrannis propter profeſſionem veritatis Chriſtianæ, atque ita morte ſua, ut S. Scriptura loquitur, Deum glorificaſſent: hos, qui voce aut ſcriptis non minus, quam illi Chriſti & Apoſtolorum doctrinam conſtanter teſtificati, citra tamen effuſionem ſanguinis, in lectulis ſuis beatè fuiſſent mortui. Sed veteres Græci ſine diſtinctione Martyres dixerunt etiam illos, qui etſi occiſi non fuerunt, cruciatuum tamen aliquid propter

pter veritatis profeſſionem pertulerunt. Vnde Conſtantinus Magnus Imperator in Synodo Nicæna exoſculatus fuiſſe legitur cicatrices vulnerum, quæ quidam ex Patribus in illa congregatis accepiſſent ab Arianis inflicta. Hæc cum ita ſint, optimo Philippo Martyris nomen (nam Confeſſoris illi inter primos denegari nullo jure poteſt) merito tribuetur, qui à Sycophantis & Sophiſtis infinita vulnera perpeſſus eſt, ex quibus procul dubio mors etiam illi accelerata fuit. Non itaque præter decorum accommodari in defunctum poſſunt memoria digniſſimi ab ipſo Philippo alicubi ſuis Epiſtolis non ſine omine inſerti Euripidis verſus, quos poſt Socratis necem in Tragœdia de Palamede Athenis exhibita, expreſſit:

Εκάνετε κάνετε τὸν Ἑλλήνων ἄριστον
Καὶ μηδένα βλάπτοντα ἀηδόνα.
Occidiſtis, occidiſtis, Græcorum optimum
Et luſciniam neminem lædentem.

Quoties autem innocentissimus ille Vir in scriptis suis exoptavit, & petiit, ut nefarii illi sicarii cito se interficerent, quo pulcerrima veri martyrii corona honorari potuisset? Nec tamen hodieque desunt obscœnæ volucres, milvii, corvi, bubones, qui luscinias illi dulcissimæ & lenissimæ diro ululatu obstrepunt, vel potius detestabiles hyænæ, quæ sepulchrum ejus turpi & execrabili ausu effodiunt. Cæterum si quis serio scire velit, ex qua parte sit bonitas causæ, veritatis patrocinium, religionis sinceritas, is & Philippi, & adversariorum ejus scripta vel parum evolvat ac inter se citra affectum & præconceptam opinionem conferat. In illis nihil reperiet, nisi pietatem, fidem, sanctimoniam, tolerantiam, benignitatem, lenitatem, candorem, singultus & lachrymas pro Ecclesia, humilitatem & cæteras virtutes, quæ ab homine Christiano exiguntur. In his nihil nisi vaniloquentiam, amaritudinem, livorem, odia, invidiam, maledicentiam,

tiam, jactantiam, suspiciones malas, obstinationem in propugnandis manifestis erroribus, calumnias & convitia. Quo spiritu igitur, Christi an serpentis antiqui vel hæc vel altera pars acta fuerit, cuivis pio & prudenti facilè judicare licet. Hoc inter omnes bonos constat, & res ipsa loquitur, Philippum aliud fundamentum non posuisse præter id quod positum est, Jesum Christum. Super hoc fundamento illum ædificare studuisse, quantum Deus ei concessit, aurum, argentum, & lapides pretiosos. Quod si fortè, quod quibusdam iniquioribus videtur, ligna, fœnum, stipulas, scorias admiscuit, certè nec volens illud fecit, & si fecit, ignis afflictionum & persecutionum, quibus per totam vitam suam miserè exagitatus fuit, omne illud exussit. Apud Persas quidem lex humanitatis plena fuit, ut si quis in judicio argueretur contra Rempublicam feciſse, etiamsi liquido constaret, eum reum esse, non tamen damnaretur,

Digitized by Google

niſi inquireretur, plurane laudabilia & ex virtute, quam vitioſè egiſſet, & ſi honeſta & bona præponderarent, abſolveretur, ut autor eſt Diodorus Siculus. Quæ ſane obſervatio etiam inter Theologos vel maximè locum habere deberet, cum Apoſtolus ipſe jubeat, probare omnia, retinere quæ proba, recta & pia ſunt. Quanto igitur præclarius & ſincerius ſanctiſſimi viri Theodori Bezæ de Philippo judicium fuit, quod legimus in ejus ad Chriſtophorum Pezelium Epiſtola? Sic enim ſcribit: Singulare illum hominem exemplar fuiſſe, erudiendis plurimis ad fortitudinem animi cum moderatione conjungendam, id eſt, veram in quibuſvis difficultatibus ſapientiam præſtandam. Deinde ut illa, quam vocare ſolent, *Εὐήθεια* vel morum facilitas, interdum in eo nimia fuiſſe videatur, publico etiam non ſemel aliquo damno, quis tamen non deoſculetur *ἦθος* illud *εἰλικρινὲς καὶ πάντως ἀνέγκλητον*, in homine præſertim, quem & ſum-

ſumma doctrina & φύσει μαντικὴν ingenium, & tantus rerum uſus, vel maximè vafrum ac verſutum efficere potuiſſet, niſi Dei Spiritus ipſum gubernaſſet? Summus ſane Theologus, Johannes Calvinus, cum quo Philippus ſinceram ſemper amicitiam coluit, majus in eo robur animi, & præſertim in exorto diſſidio Euchariſtico, ut etiam poſtea in aliis quoque controverſis tum fidei articulis pleniorem ab eo mentis ſuæ explicationem expetiit, ne atramento teſtari publicè dubitaret, quæ tot ex medio grege martyres quotidie in Gallia ſanguine ſuo obſignata relinquerent. Sed non diſſimulavit Philippus ſuæ ſive ἐπαχῆς, ſive ἀπορίας graves cauſas: noluit in Eccleſiis Saxonicis intempeſtivè ignem gladio fodere, aut ad majorem diſtractionem oleum camino ardenti infundere. Igitur rejecit cauſæ diſceptationem cum Flaccianis & aliis ἐριστικοῖς ad doctorum virorum congreſſus & Colloquia. Inprimis ardenter expetiit ſemper commu-

communem inter cunctos, qui ab Antichristo Romano secessionem fecerant, Synodum, in qua non dubitavit accedentibus etiam exteris Doctoribus per piam συγκατάβασιν tolli posse excitatam à diversa sentientibus discordiam. Sed nunquam his tam salutare consilium placuit, immo ne hodie quidem placet aut probatur prefractis ingeniis inflatorum hominum, qui divisiones ex professo alunt, concordiam & pacem in Ecclesia fugiunt, & pascuntur verborum pugnis, quæ nullam afferunt utilitatem, sed auditores potius subvertunt, à quibus ut sibi caveat tam crebro & serio Timotheum suum monet ac obtestatur S. Apostolus. Nam profecto ex continuis illis & profanis clamoribus, atque ita nimium altercando veritas tandem amittitur, charitas autem Christiana prorsus exuitur, quæ tamen est σύνδεσμος τῆς τελειότητος. Nec vero negari potest, ex istis continuis inter Protestantes Theologos rixis & acerbis distractionibus occasionem da-

tam

tam Pontificiis, ut in commune illorum exitium & excidium hoc plus quam civile in Germania bellum conflatum fuerit, qua illa in omnimoda πανολεθρία, prohdolor! nunc ferè corruit. His igitur tantis malis, ut in futurum saltem occurrant pii Reges, Principes ac Magistratus Euangelici, Deus autor pacis, nobis exorandus est, sine qua nemo videbit Dominum. Verum de his satis nunc dictum sit. Hoc vero omnibus bonis agendum & promovendum esse videtur, ut quidquid adhuc à sancta illa anima Philippi, quod nondum lucem publicam aspexit, scriptum alicubi reperiatur, ab illis, qui ea inter χφμήλια sua possident, protrahatur è tenebris, nec publico diutius invideatur. Atque utinam adhuc multa ejus generis, quæ Gener ipsius Cl. Dn. Peucerus ad eum finem collegerat, ac fideli depositio boni viri commiserat, sed harpyiarum nescio quarum plagio intercepta fuerunt, (ut vir optimus Dn. Christophorus Pezelius in Epistola sua ad Illustriss. Principem Christia-

Christianum Anhaltinum in libello suo tertio Epistolarum Philippi dedicatoria conqueritur) adhuc bona fortuna alicubi eruerentur & posteritati consecrarentur. Interim, dum hoc fiat, nunc sextam Epistolarum Philippi partem Reipubl. literariæ bono publicamus. Eas sive à majoribus suis, sive ab amicis, acceptas Vir. Illustris quidam φιλιππόφιλος nunquam antea, quod scire possimus, editas nobis benignè credidit, ut publica communicatione omnium bonorum juris fierent. Asservat autem ille pleraque Philippi autographa, pauca apographa, quæ tamen illo ævo à fidis descripta, sunt ἀξιόπιστα. Præstaret autem, ut publicatæ jam ante ab aliis, & nunc nostra cura prodeuntes, & si quæ adhuc aliæ alicubi reperiri possent Philippi Epistolæ, secundum temporum, rerum & personarum, quibus inscriptæ sunt, seriem, uno volumine certo & exquisito ordine comprehensæ in publicum aliquando venirent. Quod fortassis, ubi meliora erunt tempora, aliquis

Ludovicus Camerarius

aliquis Reipubl. literariæ ſtudioſus perficiet. Nos quidem in his edendis nullum delectum adhibuimus, ſed ſine diſcrimine omnes publici juris facere voluimus. Nulla enim eſt Philippi tam exigua aut etiam properata Epiſtola, (Nam in hoc genere ſcriptionis nullam curam aut elegantiam adhibere aut voluit, aut propter negotiorum multitudinem potuit) quæ non humilitatis, candoris, miſerationis erga pauperes, caritatiſque Chriſtianæ ſpiritum exprimat, ut non tam dictionis ornatus aliquis requirendus, quam adeo raræ & inſignes pii animi virtutes in optimo viro omnibus bonis imitandæ ſint. Tu vero, benevole Lector, hanc editionem in optimam partem accipiens in uſum tuum converte, & fave illis, qui ſtudiis ſuis publicam utilitatem promotam cupiunt.

EPI-

EPITAPHIA

PHILIPPO MELANCHTHONI

à THEODORO BEZA scripta.

I.

ET tu igitur tandem tumuli sub mole repostus;
Die ô Philippe, nunc jaces.
Et quam invidisti vivus tibi tute quietem,
Cunctis quietem dum parat.
Ipsa tibi cura & sancti peperêre labores;
Carum ô bonis cunctis caput!
At tu funde rosas, funde isti lilia tellus,
Vt lilia inter & rosas,
Quo nil candidius fuit & nil suavius unquam;
Recubet Melanchthon molliter:
Et gravis huic ut sis caveas juvenisve senexve,
Qui nemini vixit gravis.

II.

Cui niveus toto regnabat pectore candor,
Vnum cui cœlum cura laborque fuit.
Num rogitas qua sit dictus ratione Melanchthon?
Nempe mare Euxinum qua ratione vocant.

PHI-

PHILIPPI MELANCHTHONIS

ELOGIUM,

Ex Historiarum Libro XXVI.
JAC. AUG. THUANI.

HOC anno CIↃ IↃ LX. *obiit Philippus Melanchthon Vitembergæ*, XIII. *Kalend. Majas, ætatis suæ climactericum diebus* LXIII. *egressus, ex hemitritæo senibus ferè lethali. Is Brettæ oppido Palatinatus Rheni natus, & Heydelberga oriundus, patrem habuit Georgium, usu tractandorum nostro more armorum insignem, ob idque Maximiliano Cæsari percharum, de cætero virum bonum & pium. Cum verò operam literis daret, in ludo ad Hercyniæ portam tunc celebri, sub Io. Hungero, & Georgio Similero, in Io. Reuchlini viri sua ætate doctissimi familiaritatem venit; qui Philippi nomen, quod habebat ille familiæ, significans solum nigrum Ger-*

mani-

manico ſono, in Græcum Melanchthonis mutavit, ſicuti ſuum à fumo denominatum ab Hermolao Barbaro olim in Italia in Capnionem converſum meminerat. Poſtea exortis in Germania propter religionem turbis, perpetuus M. Lutheri aſſecla. Longe diverſum tamen à Doctore ſuo ingenium ad eam cauſam attulit. Nam cum omni ope anniteretur, ut doctrina quam tradebat, eſſet perſpicua, & ambigua explicarentur, in eo ſumma alioqui erat altercationum ac rixarum fuga, & maximum tranquillitatis ac quietis ſtudium, ut niſi de neceſſariis contendendum minime putaret: nam poſſe conniveri ad nonnulla, ferri denique multa debere. Qua animi moderatione & æquitate, quanquam exacerbatis tunc temporis ſummopere omnium animis, maximorum tamen virorum opinione diſſidentium amicitiam ac benevolentiam meruit. Certe Franciſcus ante XXX *annos, cognito Melanchthonis peculiari ad ſedandas eas, quæ in Eccleſiam invectæ ſunt, turbas, ſtudio ex Gulielmo Bellaio Langæo, protinus ad eum Guiſa ſcripſit, miſſo Barnaba Vo-*

væo

væo Fossa, rogavitque, ut quamprimum in Galliam se conferret, de unione doctrinarum cum selectis aliquot Doctoribus acturus, quo pulcherrima illa sacræ administrationis concordia sanciri posset. Biennio vero post Iacobus Sadoletus Episcopus Carpentoractensis cum Romam venisset, & in Cardinalium Collegium præter spem & votum cooptatus fuisset, amantissimas literas ad eum dedit, quibus significabat, ardentissimè expetere se, ut quantumvis locorum spatiis, & opinionum dissidentia dividerentur, amore & studiorum communicatione in posterum conjungerentur. Sed qui obviam eam humanitatem exteris ac diversa sentientibus probavit, longè contrariam fortunam inter suos, & eandem doctrinam profitentes expertus est. Nam suborta repente in Germania factio eorum, qui ut se flagrantiore in Religionis causa studio versari demonstrarent, omnem Conciliationis & Concordiæ ineundæ mediam viam aspernabantur, & cæteros paci studentes, quos Adiaphoristas & Interimistas, nominibus ad odium compositis, vocabant, ut desertores & in

pietatis negotio tepidos damnabant. Horum anteſignani fuerant Matthias Flacius Illyricus, & Nic. Gallus, quibuſcum tota vita viro tranquillitatis alioqui cupido certamen fuit. In quo proinde poſt mortem reprehenſa eſt à ſuis, ea, quam dixi, rixarum & contentionum fuga: præterea nimium Philoſophiæ & Mathematicarum artium ſtudium, atque illius præſertim partis, quæ ex aſtrorum poſitu & concurſu, de vita ac fortunis hominum decernit. Verum de iis omnibus diligenter & ornatè admodum perſcripſit Ioachimus Camerarius, Melanchthoni tota vita conjunctiſſimus, cujus accuratam narrationem legiſſe ut mihi jucundum fuit, ita ab iis qui Eccleſiæ paci conſultum cupiunt, eam cognoſci non inutile exiſtimo.

CATA-

CATALOGVS

Eorum ad quos antecedentes EPISTOLÆ sunt scriptæ; juxta ordinem Alphabeti.

A.

ALexandro Alesio, Theol. D. pag. 359
Ambrosio Blaucer. 422
Ambrosio Moibano Theol. D. 352, 353
Amico cuidam anonymo. 370, 427
Andreæ Osiandro. 424, 425
Anonymo Viro cuidam magno. 17
Anonymo alii. 33.

B.

BErnhardo Zieglero, Theol. Doct. 317, *usque ad* 321.

C.

CArolo Utenhovio, Nobili. 31, 32
Casparo Crucigero. 359, 361
Casparo Eisingero J. C. 257
Casparo Nucelio. 42
Christophoro Carlevirzio. 20

D.

DAnieli Stibaro, Canonico Würcepurgenſi. 13, 15, 16
Dominico Schleupnero. 506.

E.

EVerardo Roggio, Conſuli Dantiſcano. 302, *uſque ad* 307.

F.

FAbiano Gyrceo. 508
Franciſco Balduino I. V. D. 258
Friderico Abbati Noribergenſi. 311. *uſque ad* 316.

G.

GAbrieli N. Paſtori Torgenſi. 516
Georgio Bucholtzer. 505
Georgio, Comiti ab Erbach. 10
Georgio Kargio. 512
Georgio Kumerſtadio J. D. 28
Georgio, Principi Anhaltino & Aſcaniæ &c. 6, 7
Georgio Sabino. 291
Georgio Sturciadæ, Med. 258, *uſque ad* 271.
Gulielmo Knutelio. 293, *uſque ad* 301

H.

HErmanno Wilkin. 514
Hieronymo Baumgartnero, Senatori Noriberg. 43, *uſque ad* 252
Hieronymo Beſoldo. 501, 502, 503.

Hiero-

Hieronymo Camerario, Cancellario Bamberg. 41
Hieronymo Ebnero. 42.

I.

IAcobo Mycillo. 292
Jacobo Rungio. 511
Joanni Autifabro. 430
Joanni Brentio. 371, *usque ad* 402
Joanni Bretschneider M. D. 289.290
Joanni Cæsareo. 34
Joanni Calvino. 323
Joanni Creitz, Cancellario Ducis Borussiæ. 30
Joanni Hesso, Theol. 324, *usque ad* 351
Joanni Langio, Theol. Erfurdensi. 408, *usque ad* 422
Joanni à Lasco. 321
Joanni Musslero. 309
Joanni Placotomo, Med. 282, *usque ad* 227
Josiæ Menio. 1
Justo Menio. 428,429

L.

LAzaro Spenglero. 253,254,255,256
Leonhardo Fuchsio, Med. 271, *usque ad* 281
Lipsicæ Academiæ Decano ac Doctoribus Theologiæ. 366.

M.

MArtino Bucero. 404
Matthæo à Wallerod, Coburgensi Præfecto. 27
Maximiliano II. Romanorum Regi. 2
Michaeli Rottingo. 509
Michaeli Vitigero. 356,357.

N. Ni-

N.

NIcolao Gerbelio. 39

P.

PAstoribus Ecclesiæ Argentoratensis. 367
Pastoribus Ecclesiarum in finibus Bohemiæ & Lusatiæ. 361
Paulo de Belsberg. 11, 12
Paulo Ebero. 510
N. Pfausero docenti Euangelium Viennæ in Austria. 369.

S.

SEbastiano Castalioni. 512
Sebastiano Rot, M. D. 288.
Sigismundo Augusto, Poloniæ Regi. 4.

T.

THeologiæ Doctoribus in Academia Lipsica. 366.

V.

VIto Theodoro. 431, *usque ad* 300.

W.

VVIttero. 354
Wolfgango, Principi Palatino Rheni &c. 9.

PH. MELANCHTHONIS

EPISTOLÆ.

Optimo Viro, JOSIÆ MENIO, *Norimb.*

S. D.

NON mihi plus sapientiæ & judicii sumo, quam quantum fuit in Quintiliano, de quo scriptum est; *Quintiliane vagæ moderator summe inventæ.*

Is vult adolescentes Grammaticas regulas ita discere, ut intelligant, quid rectè dictum sit, & non rectè dictum sit. Nec dubito viros sapientes D. Hieronymum & D. Ioachimum idem sentire. Quare valde te adhortor, ut assiduitatem in regulis Grammaticis inculcandis & reposcendis præstes. In Belgio dicunt, Si est bonus Grammaticus, est Hæreticus, quia sciunt Grammaticos legere fontes, & amare proprietatem & veritatem. Sæpè jocari soleo, nostros non venire in suspicionem hæreseos, propter Grammaticæ cognitionem. Utinam plurimi fierent & boni & sani Grammatici.

tici. Mitto tibi exemplum recentium publicorum edictorum. Benè vale. XII. Octobris.

Romanorum Regi MAXIMILIANO II.

SEreniſſime & inclyte Rex, Domine clementiſſime. Non utar longa excuſatione, cur ad R. M. V. ſcribam. Cognito enim negotio, ſpero R. M. V. pro ſua excellenti bonitate veniam mihi daturam eſſe. Hic Lælius Sozinus natus eſt in familia nobili Senenſi patre Juriſconſulto Clariſſimo Mariano Sozino, qui Piſis, Patavii & Bononiæ annos circiter quadraginta Juris doctrinam tradidit, & honeſtos homines multarum gentium erudiit, & conſilia paci publicæ utilia apud multas gentes dedit. Cum autem pater hunc filium Lælium ad Juris doctrinam aſſuefacere vellet, adoleſcens, ut fontes Juris, videlicet, Jus divinum cognoſceret, legit Propheticos & Apoſtolicos libros, quorum lectione cum divinitus traheretur ad veri Dei invocationem, & ad omnia pietatis officia, tanto ſtudio ſacrorum librorum flagrare cœpit, ut & Hebræam linguam diſceret, ut fontes certo cognoſceret. Deinde viſis Germanorum ſcriptis, in Eccleſiis Germaniæ vivere maluit, ac mecum amplius triennio vixit, fuitque mihi ejus conſuetudo propter eruditionem, pietatem, prudentiam & integritatem in omni officio gratiſſima. Poſtquam autem in Italiam, ubi familia

milia ejus clara est, fama perlata est, eum versari in nostris Ecclesiis, Inquisitores minari ei supplicia cœperunt, & absentem impediunt, quo minus patrimonio frui possit. Nunc confugere ad R. M. V. cogitat. Nec aliud petit, nisi ut Regia M. V. ei literas det tanquam ministro Venetias misso propter negotia quædam, ut securus ibi esse possit. Cogitat enim de vendendo patrimonio. Hac in re gratum Deo officium præstabit R. V. M. si viro erudito & Deum rectè colenti opituletur. Talis autem est ejus industria & fides, ut verè etiam R. M. V^æ. usui esse possit. Scriptum est: *Esto pater orphanorum, tunc magis diliget te Deus, quam diligit te mater tua.* Quid promitti majus potest amore Dei erga nos tanto, qui vincat maternam στοργὴν, quæ est ardentissima. Hac tanta promissione invitati libentius benefaciamus orphanis honestis, quorum esse usus potest. Maximeque regium est, filiis virorum doctorum, qui leges & justitiæ doctrinam illustrarunt, qui orbati sunt parentibus & cognatis, opem ferre. Talis cum sit Lælius & supplex ad R. V. M. confugiat, reverenter oro, ne R. M. V. supplicem in causa pia negligat. Præbuit hospitium Constans fugienti Athanasio ex Ægypto usque ad Treverim. Ita semper regium fuit, tegere pios contra injustam sævitiam. Vicissim autem benefaciet Regiæ V. M. Deus, & ut R. M. V. vires animi &

corporis confirmet & gubernet & servet eam, ut salutaris sit gubernatio patriæ & Ecclesiæ, toto eum pectore oro. Datum in urbe Vangionum. Cal. Decembr. Anno clo Io LVII.

Serenissimo & Inclyto Regi Poloniæ, SIGISMVNDO AVGVSTO S. D.

INclyte & Serenissime Rex: Verissimum est conservationem societatis humanæ & legitimam Regnorum constitutionem & opera Dei esse & testimonia de præsentia Dei in genere humano. Hæc magna Dei beneficia considerare virtus est & Deo grata & necessaria ad reverentiam Regum & Imperiorum in animis alendam. Eo autem magis est venerandum Regnum Polonicum, quia semper murus fuit reliquæ Europæ adversus Tartaros & Turcas, nec intulit bella vicinis Christianis. At Gallici & Germanici Reges mediam Europam & patriam domesticis bellis horribiliter lacerarunt. Singularis igitur gratitudo Regibus Polonicis & nobilissimo regno Polonico debetur. Quod cum sentiam vicissim oro, ut R. M. V. clementer meas literas accipiat, quas dedi Lælio Sozino, nato in familia vetusta Nobilitatis Senensis, filio clarissimi viri Mariani Sozini Jurisconsulti, qui annos amplius quadraginta Juris doctrinam multarum gentium hominibus tradidit, & multa negotia eruditissimis consiliis rexit. Hic Lælius

cum

cum ad paternum ſtudium ſe præpararet, ut prius fontes cognoſceret, ſcilicet Ius divinum, ſtudioſè legit libros Propheticos & Apoſtolicos, quorum lectione divinitus in ejus pectore accenſa eſt vera Dei agnitio. Ac ut certius & firmius judicium eſſet, adjunxit Hebrææ & Græcæ linguæ cognitionem. Propter hæc ſtudia profectus in Germaniam, mecum amplius triennio vixit, fuitque mihi ejus conſuetudo propter ipſius eruditionem, pietatem, prudentiam, & in omni officio modeſtiam pergrata. Eſt & hæc ejus virtus inprimis digna laude, quod à furioſis & fanaticis opinionibus * alienus eſt. Cum autem nunc mortuo patre hæreditatem petat, impeditur à Sycophantis inquiſitoribus propter noſtram familiaritatem. Quare ad R. V. M. confugere decrevit. Necrem injuſtam aut difficilem petit. Orat ſe Regiæ M. V. literis muniri, ut in urbe Veneta tanquam miniſter R. M. V. ſecurus eſſe poſſit. Talis autem eſt induſtria & fides ejus, ut & R. M. V. in legationibus & multis negotiis uſui eſſe poſſit; præſertim cum Italia ei nota ſit. Reverenter igitur oro R. M. V. ut talem virum ſupplicem clementer tueatur. Calend. Decembr. Anno cIↃ IↃ LVII.

* *Hic Socinus mirificè illuſit optimi Philippi bonitati. Occulte enim eum faviſſe fanaticis doctoribus, ejuſque hæreſes non niſi poſt mortem ipſius cognitas fuiſſe ſcribit Beza in Epiſtolis ſuis, Epiſt.* 81. *pag.* 329.

Illustrissimo & Reverendissimo Principi & Domino, Domino GEORGIO, *Principi in Anhalt & Ascania gubernanti Ecclesias Myserum, &c. Domino suo Clementissimo* S. D.

ILlustrissime & Reverendissime Princeps: Etsi multæ graves causæ sunt, cur me quoque liberatum esse maluerim hac periculosa legatione, tamen quia & Celsitudo Vestra & alii quidam honesti homines judicarunt, Principes & gubernatores Reipub. non sine specie contumaciæ, talem legationem omissuros esse, adjungi me aliis, si qui ibunt, patior. Ac meminit Cels. V^a. aulicos de hac tota re sermones. Sed optarim nostrum consilium de constituendo consensu plurium regionum, non esse spretum. Sed jam Dresdæ Dux Megapolensis Iohannes Albertus, & Legatus Pomeranicus adhuc fieri hoc posse censebant, ut suos nobis adjungerent. Cupiebam ante iter alloqui Cels. V^ram, sed in literis aulicis adeo breve spatium temporis scriptum erat, ut mox postridie post acceptas literas iter ingressus sim. Nunc Dresdæ jussus sum expectare adventum D. Cumerstadii & Fachsii, qui de his negotiis mecum loquentur, & de collegis hujus legationis. Fortassis autem jam concedetur mihi ut redeam domum, quod si fiet, rectà cum Dn. Camerario ad Cels. V^ram proficiscar. Sin autem non conceditur reditus, scribam omnia, quæ erunt ἀξιόλογα. Audio Ele-

Electorem brevi iter facturum esse ad Imperatorem, quod speramus profuturum esse ad pacem. Hac de re multa cognovi, quæ Celsit. V^ra nota esse optarim. De Osiandri libro composui amico responsionem simplicem, perspicuam & veram, non contentiosè scriptam, cujus exemplum petat Celsit. V^ra à Dn. D. Ziglero. Cogito idem argumentum jam in hoc itinere copiosius tractare. Mitto Celsit. V^ae pagellam de Parmensi calamitate, quæ est exemplum iræ divinæ, quod mihi profecto jam auxit dolores, cogitanti de multis miseriis publicis & privatis. Sed oremus filium Dei, ut nos regat & mitiget pœnas. Benè & feliciter vale, die XXII. Decemb. Dresdæ. Anno CIↃ IↃ LI.

EIDEM S. D.

ILlustrissime Princeps. Etsi in tantis tumultibus Imperiorum, & communi mœstitia, minus delectant studiosos literæ, tamen earum tractatio non prorsus omittenda est, & à divinis quidem jam levatio quædam dolorum petenda est. Hanc sententiam & mihi & aliis sæpe jam inculco, & intelligo Bernhardum Ziglerum, etsi una nobiscum rempub. luget, tamen hoc consilio non abrumpere operas Scholasticas. Cum autem propter Scholæ consuetudinem, nunc titulo Doctorum, ut vocant, ornandus sit, & usitatum sit, post pu-

blicam renunciationem teſtimonii, collegis ejuſdem laboris, ad ſignificandam conjunctionem animorum, convivium inſtruere, orat ſibi ferinam carnem donari. Scio nimis multos hoc modo in veſtris ſylvis venari, qui alibi etiam invenire prædam poſſent. Sed Theologi paucos habent potentes amicos. Cum autem à te & ab Illuſtriſſimis fratribus tuis, amari Eccleſiam Dei, & Eccleſiæ ſtudia ſciat, à vobis petere ferinam non dubitavit. Tribuetis igitur hoc beneficium homini docto, veſtram familiam reverenter colenti, & in iis ſtudiis verſanti, quæ & tu optime intelligis, & graviſſimo judicio antefers omnibus rebus humanis. Tanta eſt autem vis ingenii in Ziglero, ut neminem in his duabus Academiis ei præponendum ducam. Et hanc vim naturæ confert ad Eccleſiæ utilitatem, magna dexteritate illuſtrat Prophetica ſcripta, meque multa ex ejus obſervationibus didiciſſe profiteor. Cyrus junior laudatur à Xenophonte dulciſſima narratione, quod viris excellentibus miſerit interdum fercula, & vini lagenas. Et in hoc genere nota eſt multis veſtra cum liberalitas tum comitas. Sed præcipue grata nobis erit, ſi talis viri ingenio & virtuti hunc honorem habebitis. Bene valete. Die XXVII. Septembris quo ante annos 3831. primum conſiſtere arca Nohæ cœpit, poſt diluvium. Utinam Deus nunc quoque arcæ

Ec-

Ecclesiæ suæ quietem & tranquillitatem concedat!

Illustrissimo Principi ac Domino, Dn. WOLFGANGO, Principi Palatino Rheni, Duci Bavariæ, & Comiti Veldentiæ, &c. Domino suo Clementissimo S. D.

ILlustrissime & Clementissime Princeps. Etsi in tantis publicis motibus curæ, dolores, & sumptus crescunt Principibus, tamen scio Celsitudinem vestram non oblivisci Ecclesiæ Dei, quam servabit Filius Dei & Celsitudinem Vestram in ea. Cum autem eruditione opus sit Ecclesiæ, pietas eximia est Principum, subditis pauperibus opem ferre, præsertim ex Ecclesiasticis reditibus, ut ad discendum sumptus habeant. Est autem hic Nicolaus Tyro natus in oppido, quod Cels. Vestra gubernat, zur Weida / Et orphanus est. Scriptum est autem: *Esto pater orphano, tunc Deus MAGIS te diliget, quam MATER tua.* Quare Celsitudinem Vestram reverenter oro ut huic suo subdito & orphano ex aliquo Sacerdotio sumptus ad studia tribuat, cum quidem mores ejus sint honesti & initia doctrinæ, quæ necessaria est Ecclesiæ, mediocriter didicerit, & spes sit eum Ecclesiæ utiliter serviturum esse. In Academia nostra amplius anno vixit cum magna laude fidelitatis & modestię apud Virum optimum Ioh. Marcellum, qui fuit lector apud nos. Hoc mortuo rursus factus est

orphanus, & ad Celſ. Veſtram propter Patriam confugiendum eſſe cogitavit. Oro propter Deum orphanorum Patrem, ut Celſitudo Veſtra huic miſero opem ferat. Viciſſim Deus ſua dona Celſitudini veſtræ augebit, & ut augeat toto eum pectore oro. Bene & feliciter valeat Celſ. Veſtra. Die Aprilis undecimo cIↃ IↃ LII.

Ad Comitem GEORGIVM *ab Erbach.* S. D.

ILluſtris Domine. Quæ poteſt humana conſolatio alia eſſe bonis viris in his Imperiorum confuſionibus & docentium tyrannide, niſi mutui ſermones rectè ſentientium, ſicut credibile eſt crebros piorum congreſſus fuiſſe, Zachariæ, Simeonis & ſimilium. Quare libenter ad vos & ad Illuſtres fratres veſtros excellentes ſapientia & virtute expatiatus eſſem, & jam equi conducti erant, ſed hac nocte calculus tam atrociter me exeruciat, ut iter ingredi non auſim. Hæret enim cruciatus, quia tardè procedit calculus propter magnitudinem. Et quæ poteſt eſſe ſermonum hilaritas in tantis cruciatibus? Heri hûc venit Tridentinus Cardinalis iturus in Belgicum. Ex ejus comitatu duo ad me Itali acceſſerunt; quorum alter mihi librum exhibuit à ſe ſcriptum, in quo falſè & inſulsè contendit Philoſophiam totam, Phyſicam & Ethicam, incertam eſſe. Talis eſt vanitas hujus temporis damna-

re

re artes, quæ sunt dona Dei, & testimonia de Deo. Scripserat Cornelius Agrippa magus similes artium vituperationes, & in multis Germaniæ locis indocti similibus clamoribus abducunt juventutem à studiis, ut confirment idola. Precemur autem filium Dei, ut suam doctrinam tueatur, ac regat & servet Ecclesiæ reliquias, quem etiam oro, ut vos Illustres fratres servet incolumes, & gubernet vos, ut administratio vobis & Ecclesiæ salutaris sit. Bene & feliciter valete. die VI. Novembris CIↃ IↃ LVII.

Nobili Viro Dn. PAVLO DE BELSBERG *amico suo.*

SAlve Paule imaginibus ac virtute nobilis. Egone tibi adeo videor inofficiosus, ut absentis amici ac præsentis non eandem habeam rationem? Immo vero rationem habemus virtutum tuarum, longè quam ante licuerit, absentis honestiorem, quas plerique familiaribus aliquot conversationibus decoro adeo junximus ordine, junctas admirati sumus, ut nephas fuerit in ullo alio tantum specimen requiri. Scilicet ita sunt humana, ut unus non semper vivat singulis honore virtutis, qua vel ad ambitionem crebrius, quam vitæ usum utatur. Tu contra singulas ad singula ingenia contulisti, hunc urbanitate, illum magnificentia, me certe caritate devinxisti.

xisti, ut ne quid interim glorioſius dicam de reliquis. Ergo te quęſo, mi Paule, ſinas ut aliqua nos parte tui fruamur. Hoc eſt, mutuis gratiis eum, quem pectoribus S. ſanctus in fudit noſtris, amorem alito, amantem ama. Fortaſſis erunt conditiones meæ, ut ſpirare aliquid Pauli nomine dignum queam. Vale, & me commẽdatum habe. Tubingæ, XXVI. Iulii MD XVII.

EIDEM.

SAlve mi Paule. Nihil omnium ægrius deſideramus, ô Paule, ſpes ac decus eximiæ nobilitatis, quam literas tuas & Franciſcus noſter & ego. Sic amat ille te amicè, ſic ego colo non te modo, quanquam te maxime, ſed illam ipſam quam uſque eo ſpiras, virtutem. Quoties non mentione nominis tui propemodum ſenſu aliarum rerum excidimus? Quando non ob ora, ob oculos Paulus delitiæ noſtræ? Spes una, unicum decus noſtrum? O Paule fac ſciamus omnia nos tua. Quid uſque rerum apud te? Interim Franciſci, non dubium, amice atque adeo pro ingenio tuo, memineris. Forſan aliqua parte Philippus intercidit. Futurus ſi per fata liceat & virtutum veſtrarum comes, & præco nominis tui, ſi quem ſtudia mereantur honorem quondam. Cui enim vel omnia mea debeam potius, ſi qua ſunt modo, quam ei, qui me perpetua beneficentia, perpetuo amore candide adeo infimum

infimum de plebe hominem passus est? Dein qui ita sit Franciſci, ut nephas sit existimare ullum uspiam ulli esse devinctum magis. Cui adeo cum Philippo amicè conveniat non ullo merito meo, ut longe debeam omnia Franciſci nomini? cur non omnia tibi quoque? unus est Franciſci, unus Pauli animus. Obsecro committite vestræ humanitati Philippum. Vale fœlix. Ioannes Merzger te salvum esse cupit.

Nobilitate generis, eruditione & virtute præstanti
Dn. DANIELI STIBARO, *Canonico VVürcepurgensi, Patrono suo colendo* S. D.

I.

NOn dubito te pro tua sapientia & gravitate sæpe de instabilitate rerum humanarum & de causis publicarum mutationum cogitare. Qua in cogitatione hi qui res humanas temerè volvi ac fortuito judicant, non possunt non vehementer odisse me & mei similes. Sed longe aliter de te sentio, nam & providentia divina regi humana adseverare te arbitror, & hanc ipsam doctrinam, quæ sonat in Ecclesia Dei, certò traditam esse divinitus statuere te non dubito. Itaque spero, etiamsi immoderata aliquorum consilia & φοξλικώπες tibi displicent, tamen eorum studium te non improbare, qui res necessarias Ecclesiæ

Dei

Dei moderatè explicant sine regni cupiditate. Scripsi autem ea, quæ Ecclesiæ Dei profutura spero, quicunque tandem imperia & opes tenebunt. Nec immoderatas contentiones probavi ulla in parte unquam, sed in castris, in quibus sum, fuisse me & esse confiteor. Neque tamen loco Ecclesiam uno circumscribo aut inclusam esse sentio; sed ubique terrarum multos bonos & prudentes esse, qui & recte sentiunt, & verè Deum invocant. Qui etiamsi, quantum vellent, juvare doctrinæ & disciplinæ emendationem non possunt, tamen gemitu, & moderatione consiliorum ostendunt, se recte sentire. Hos quoque probari Deo significat Ezechiel, ubi vox divina parci jubet iis, qui gemunt propter prophanata templa. Existimo autem te quoque in eo numero esse. Quare te & diligo & colendum duco. Etsi autem horribilem discordiam, quæ exarsit, humanis consiliis dirimi non posse videmus, tamen interim erit Ecclesia, huic servire poterimus veris officiis etiam dum alii de regnis dimicant. Optarim igitur me quoque servientem mediocriter in explicatione necessariæ doctrinæ tibi non improbari. Hæc scripsi ad te, cum Ioachimus Vir Optimus tuique amantissimus iter ad te suscepturus esset, ut, cum nostra tibi conjunctio nota sit, me quoque tibi commendarem. Nam illum ut tueare & defendas, habes graves causas. Nota

est

est tibi ipsius virtus, nota eruditio, nota rectitudo consiliorum in omni officio. Et benè mereri eum de Repub. vides. Talis Vir ab omnibus honestis acerrimè propugnandus erat. Te quidem ei non defuturum esse scio. Benè vale. x. Aprilis.

II.

S. D.

EXpatiatus Lipsiam ad Virum optimum tuique amantissimum Ioachimum Camerarium, cum de studiis literarum, quæ nos quidem præcipuum vitæ humanæ lumen esse ducimus, multa differeremus, legi tuam querelam gravissime scriptam, in qua significas te optare salutarem Ecclesiæ emendationem, quæ profecto & veteribus multis morbis languet & recentibus tumultibus duriter concutitur. Nec vero dubito, quin facilè & piorum saluti consuli posset & vera ratione stabiliri ac ornari ἀξίωμα Ecclesiasticum, si vel pauci essent in fastigio vestro sic animati, ut te esse animadverto. Mihi immoderata consilia nulla unquam placuerunt in utraque parte. Cumque viderem in tantis voluntatum ac judiciorum distractionibus unum hoc maximè profuturum, quicunque status reipub. futurus est, videlicet veræ & necessariæ doctrinæ explicationem, in hanc præcipuè incubui. Nec agam aliud, sed has scholiasticas operas dum conceditur,

ceditur, faciam. In hoc curriculo si quid mihi tristius accidet moderatè ferre decrevi, nec video quid in singulis ordinibus boni, oppressi potentiorum authoritate, facere aliud possint, quam ut privatim sese domesticis studiis ad pietatem exuscitent ac forti & constanti animo temporum difficultates ferant. Hæc ad te scripsi, non quod arbitrarer tibi meo consilio opus esse, sed quodam simplici studio, ut intelligeres me & virtuti tuæ favere & tecum optare communem tranquillitatem. Respiciet autem tandem Deus vota ac gemitus piorum. Plura in strepitu mercatus addere non vacabat. Benè & feliciter vale. Lipsiæ, ex ædibus D. Ioachimi. Die v. Ianuarii.

III.

S. D.

ADolescentes Francicos ut initio libenter exciperem hospitio, eo motus sum, quia tibi gratitudinem pro tuis beneficiis plurimis debeo. Postea ut consuetudo eorum mihi & meis jucunda esset, perfecerunt ipsi sua modestia & suavitate. Nec defutura erant eis deinceps quoque mea officia. Nunc postquam avocantur, oro Filium Dei ut eos protegat, & talem constituat Reipub formam in qua & ipsorum virtus luceat & labor sit salutaris ipsis & aliis. Profecto ingenti dolore adficior, cum tales adolescentes ad virtutem idoneos

neos intueor & simul cogito, quam difficile sit in hac dilaceratione Reipub. certum vitæ cursum instituere. Sed oro Deum, ut universæ Germaniæ pium consensum Ecclesiarum & tranquilla imperia restituat. De vino quod mihi misisti, gratitudinem me tibi debere profiteor & gratiam tibi habeo. Si qua in re etiam alicui tua causa gratificari potero, faciam id summo studio. Proficiscitur cum Petro Lotichio Hagius natus in urbe Wirceburgo, quem ut propter patriam & propter ipsius integritatem complectaris oro. Bene & fæliciter vale. Nonis Septembris ɔIↃ IↃ LIV.

Ad magnum quendam virum, tempore belli
SMALCALDICI. S. D.

ETsi exempla moderationis & clementiæ in victoria recitari ex veteribus historiis multa possunt, tamen ingrati essemus, si aliorum potius quam Imperatoris Caroli Augusti mansuetudinem & lenitatem commemoraremus. Qui cum antea captis Regibus & domitis Principibus magna cum laude pepercit, tum vero jam insigni exemplo victoriam moderatus est, collocatis captivi filiis in amissa hereditate. Hæc bonitas est Deo grata & maximè conveniens summo fastigio. Existimo autem præcipuos viros in aula intueri in Domini exempla, & consilia ad salutem humani generis referre. Te certè

& natura placidum ac beneficum esse animadverti, & sapientiæ doctrinæque studiis ita confirmatum, ut & ad justitiæ normam omnia consilia dirigere, & hanc lenire æquitate & misericordia studeas, ut serves homines non malos, quorum in Repub. usus esse potest. Quare ad te scribere ausus sum mansuetudine & sapientia fretus tua. Equidem in Academia oppidi Saxonici quod oppugnastis fuisse me confiteor, tamen cum arma non gesserim, & doctrinam vitæ necessariam & quæcunque ad imperiorum conversiones spectant, juventuti bona fide tradiderim, aliqua me spe veniæ sustento. Ac minus mihi iratscuntur boni & sapientes, qui norunt, qui mei dolores, qui sensus, quæ voluntas semper fuerit, & initio belli, & multo antequam spargi semina viderem. Nunquam opes aut potentiam ullam speravi vel captavi. Nunc igitur supplex ad te venio, teque propter religionem oro, ut bonis & doctis viris, qui semper alieni fuerunt ab omnibus contentionibus publicis, & artes vitæ utiles docuerunt Mathemata & Physicen, aut enarraverunt scriptores Græcæ & Latinæ linguæ, opem feras, ut redire in oppidum, unde initio belli exire jussi sunt, & ædes suas tenere concedatur. Iniquissimum est horum causam jungi cæteris, qui in odio erunt propter dogmatum certamina. Non enim opinor vos bellum gerere cum artibus.

tibus. Rex Demetrius cum Rhodum obsideret, murumque eo in loco ubi tabula fuit Protogenis magna arte depicta quassaturus esset, revocavit inde milites, inquiens se non bellum gerere cum artibus. Eaque initia fuerunt faciendæ pacis cum Rhodiis. Quanto erit glorioſius Imperatori Carolo ſervare tot bonos ac doctos viros, quorum eruditio Reipubl. uſui eſſe poterit, quam Demetrio fuerit ſervaſſe mutam tabulam. De me non audeo ſcribere, etſi ſapientibus & non duris judicibus de mea voluntate & de meis actionibus ſatisfacere me poſſe arbitror, ſed amicorum cauſam tibi commendo, quorum eruditio tanta eſt, ut non dubitem ultro te hos defenſurum eſſe, ſi tibi noti eſſent. Scripſi brevibus propter tuas occupationes, orans ut meam epiſtolam boni conſulas, ac mihi per hunc virum integerrimum conterraneum tuum D. Michaelem ſignifices, quid ſpei noſtris amicis eſſe poſſit. Nomina eorum hic adjeci. Benè vale. xv. die Iunii, anno clɔ Iɔ xlvii. Embecæ.

Nomina eorum, de quibus ſupra fit mentio.

Iuriſconſulti quærent fortaſſis alios patronos. Sunt enim in vicinia Marchio & Elector, abs quibus petent reditum ad ædes ſuas.

D. Hieronymus Schurff.
D. Plicardus.

D. Benedictus.
D. Melchior Kling.
D. Laurentius Zoch.

Doctores Medici.

D. Augustinus Schurff.
D. Iacobus Milichius.
D. Straub.

Mathematicus.

D. Erasmus Salveldensis.

Linguæ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ Professores.

M. Vitus.
M. Ioannes Marcellus.
M. Paulus Eberus.

Pastori POMERANO *& Diaconis, Doctori* CRVCIGERO, *quem magnopere tibi commendo, integris & modestis optarim etiam opem ferri. Nam & sancti muneris est sacerdotium, & senecta habenda est ratio.*

ME *quoque tibi commendo tuendum, quantum sine periculo tuo fieri potest.*

Nobilissimo & prudentissimo Viro, D. CHRISTOPHORO CARLEVITZIO, *Consiliario Cæsareo & Saxonico* S. D.

CUm de beneficio Illustrissimi Principis Electoris, ac de tuo studio in causa Ionæ amanter ad me scripseris, & adjunxeris adhortationes, ut consilia instituta de concordia Ecclesiarum meo loco adjuvarem, de utroque

que negotio necessariò respondendum esse censui: Teque oro, ut hanc meam Epistolam longiorem, quam quales ad occupatos scribere soleo, non gravatim legas. Totum enim me Tibi aperio. Primum autem gratias ago & Illustrissimo Principi, & Tibi, quod ætatis & domesticarum calamitatum Ionæ miseratio plus apud vos valuit, quam injuriæ memoria. Nec enim ignoras, quantum decus sit parcere subjectis, ut ille inquit, si tamen naturæ sunt sanabiles. Nunc de adhortatione primum hoc tibi confirmo, me optare, ut Illustrissimus Princeps de sua & Consilii sententia statuat, quod videbitur maximè salutare fore & ipsi & Reipublicæ. Quidquid ergo decreverit Princeps, etiamsi quid non probabo, tamen nihil seditiosè faciam, sed vel tacebo, vel cadam, vel feram, quidquid accidat. Tuli etiam antea servitutem pænè deformem, cum sæpè Lutherus magis suæ naturæ, in qua φιλονικία erat non exigua, quam vel personæ suæ, vel utilitati communi serviret. Et scio omnibus ætatibus ut tempestatum incommoda, ita aliqua in gubernatione vitia modestis arte ferenda & dissimulanda esse. Sed si non modo silentium à me flagitari dicis, verum etiam suffragationem, non dubito Te virum sapientem & hominum naturas introspicere, & sagaciter de ingeniis ac voluntatibus judicare. Non sum natura φιλόνικος, ac

si quis alius consociationem hominum valdè amo. Nec movi has controversias, quæ distraxerunt Rempublicam; sed incidi in motas, quæ cum & multæ essent & inexplicatæ, quodam simplici studio quærendæ veritatis, præsertim cum multi docti & sapientes initiis applauderent, considerare eas cœpi. Et quanquam materias quosdam horridiores autor initio miscuerat, tamen alia vera & necessaria non putavi rejicienda esse. Hæc cum excerpta amplecterer, paulatim aliquas absurdas opiniones vel sustuli vel lenii. Cumque tribunitia passim in tota Germania plebs in conviviis, & indocti Concionatores in templis igni oleum adderent, multa correxi, quo tempore ita accenderunt adversus me aulam propter studium moderationis nonnulli, qui jactitant se nunc veluti caduceum tenentes in Conventu Augustano concordiæ autores esse, ut vita mea in discrimen veniret. Ac postea annis ferè viginti alii me frigus & glaciem nominarunt, alii me assentari adversariis dixerunt. Memini quendam mihi objicere, me ambire galerum Cardinalitium. Hac iniquitate judiciorum nihil motus, cum in his operis Scholasticis dici de Ecclesiæ doctrina necesse esset, res necessarias quanta potui proprietate exposui, multas præscidi inutiles quæstiones, quosdam scopulos præterii, ne accenderentur majora dissidia, & profuisse hanc pro-

propriam explicationem ad consensum Ecclesiarum in multis regionibus non obscurum est. Sed quidam ideo mihi irascuntur, quod invitasse juventutis studia ad doctrinæ nostræ genus existimor, & confirmasse multorum voluntates. His idem respondeo, quod mota Repub. Attica, & translata gubernatione ad quadringentos respondit Pisandro Sophocles interroganti, Cur statum quadringentorum adjuvisset? Quia, inquit, nihil vidi in Repub. fieri melius potuisse. Non inflectere me ad adversarios volui, ut me hortabantur multi potentes viri, quia judicavi rectius & his regionibus nunc quidem convenientius esse harum Ecclesiarum statum, quibus officiis possem, tueri & ornare, quanquam & hic status non meo, sed aliorum consilio constitutus erat, in quo etsi quædam mihi displicebant, ut in omni gubernatione aliqua sunt vitia, tamen in hoc agmine, in quo studium erat quærendæ veritatis, esse malui, quam apud hostes, qui injustam sævitiam exercebant: Et deinceps quoque tranquillitati harum Ecclesiarum libenter serviturus sum. Sed turbari eas vel mutato genere doctrinæ, vel pellendis honestis viris nequaquam velim, deque eorum nova dissipatione cum cogito, ingenti dolore jam quoque afficior. Nihil tam tenerum est, nihil facilius turbatur, quam invocatio Dei in mentibus hominum. Nec majus

ullum malum est, nec acrior ullus dolor, quam invocationis labefactio. Assentior, inquies, nec mutabitur genus doctrinæ. Tanta est Caroli Imperatoris pietas, ut sanare & conjungere Ecclesias velit. Credo Imperatoris voluntatem bonam esse, & video mediocres conditiones proponi. Sed tamen pauca quædam mitigari optarim. Multa sponte & liberaliter largior, de quibus acerrimè pugnarunt alii. Politiam Ecclesiasticam, ut Episcopis & summo Episcopo tribuatur autoritas, quæ describitur in libro Augustano, conservari opto, fortassis natura sum ingenio servili. Sed tamen verè ita sentio, modestiam esse convenientem bonis mentibus, gradus gubernatorum non labefactare. Forma vetus Collegiorum magno consilio constituta est ad exemplum Ecclesiæ quæ in populo Israelis fuerat, ut ibi doctrinæ Custodes & testes essent: Et sunt in Collegiis illis alicubi docti viri: Nec existimandum est ad diuturnitatem aulas Principum illiteratorum futuras esse in custodienda doctrina diligentiores. Libenter & cæremonias, quas liber præcipit, recipio. Scio enim disciplinæ partem esse cæremonias, & opinor vitam meam testari, me disciplinæ & ordinis amantem esse. Et constat meis scriptis qualibuscunque invitari juventutem ad intelligendam & amandam disciplinam. Puer etiam in templis singulari voluptate ritus omnes

nes obſervavi, & natura mea alieniſſima eſt ab illa Cyclopum vita, quæ ignorat ordinem actionum, & odit ritus communes velut carcerem. Nec tantum amplector hæc quæ recenſui, ſed perſuadere etiam aliis eandem ſententiam ſtudebo. De fide autem fuit admonitio neceſſaria, quam ad vos miſi, & obtineri poſſe emendationem arbitror.

In ea etiam cauſa melior eſt voluntas Imperatoris, quam eorum, qui formulam compoſuerunt, qui glorioſum ſibi eſſe ducunt, nos tanquam pueros præſtigiis ludificari. Quanta in invocatione ſanctorum in aliis nationibus & quam tetra exempla vidiſti ipſe, talia nequaquam ſtabiliam mea ſuffragatione. De ceteris articulis nunc non pugno. Illud autem in hac deliberatione etiam conſiderandum eſt, quid mediocribus Paſtoribus perſuaderi poſſit. Vellem igitur vos & præcipuis ex ſenioribus Paſtoribus conſilium veſtrum plane exponere, ac oſtendere, cur hanc conciliationem Eccleſiis profuturam eſſe exiſtimetis. Horum apud vicinas gentes autoritas etiam valeret, quorum voluntates ſi non adjunguntur ad veſtras nova diſſidia erunt. Si quis autem ſtultam vel injuſtam pertinaciam eſſe judicabit, non aſſentiri libro in omnibus articulis, & abuti nos lenitate Imperatoris dicet, huic reſpondeo, me non ſolum publicæ pacis cauſa, ſed etiam ne invocatio in rudioribus turbe-

tur, multa largiri & dissimulare, nec ignorare me illud Pindaricum, τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐσθλὸν σοφῶτον ἀνθρώποις. *Tacere sæpe est summa sapientia hominibus.* Sed modus est quidam ejus rei. Si autem hac moderatione placare potentes non possum, & videor esse Ecclesiæ ἀλάστωρ, *pernicies*, *malus genius*, aut videar apud nostros amicos fuisse velut Melanthius apud procos Penelopes, autor pecoris edendi, ut Ovidii verbis utar, vel monstrator armorum, feram Deo juvante quæ accident, non ut illi Melanthio, sed ut aliis multis, qui in bonis causis etiam levioribus veritatem vitæ antetulerunt. Nec impediam, quo minus constituant Rempub. suo arbitrio gubernatores. Etsi autem scio hanc nostram moderationem non satisfacere iis, qui summam potentiam tenent, tamen te oro, ut cum hæc certamina non moverim, & sine petulantia veritatem quæsiverim, & meæ explicationes multis bonis rebus aliquid lucis attulerint, mihi ut veniam des vel studio Ecclesiarum nostrarum cupienti, ne earum tranquillitas turbetur, vel alioquin minus videnti quid expediat. Consiliis de bello nunquam adhibitus fui, cumq; Ducum naturas nossem, dolui eos arma capere. Sciebam & illud, nihil simile esse Pelopidæ & Epaminondę, meumque judicium & dolorem ante bellum iis ostendi, quorum apud Principes valebat autoritas. Neque vero sum Stoicus, & fortius

cum

cum Zenonis familia præliari soleo, quam nostri Duces ad Danubium præliati sunt, nec ad Stoicum fatum refero hanc calamitatem: sed multis nos magnis delictis attraxisse pœnam agnosco, ac Deum oro, ut in ira sua misericordiæ recordetur, & servet Ecclesias & politias, quæ sunt hospitia piorum studiorum. Benè vale, Quarto Cal. Maii, anno cIↃ IↃ XLVIII.

Nobilitate generis Virtuteque præstanti Domino MATTHÆO à WALLEROD, *Viro Clarissimo Coburgensi Præfecto, suo Patrono* S. D.

CLarissime Vir, nobilitate generis & virtute præstans: Scio Tibi nota esse omnia quæ de caussis ac legibus colendarum & tuendarum amicitiarum divinitus tradita sunt, videlicet propter virtutis honorem, & propter communem consociationem in repub. bonos & benè merentes complectendos & defendendos esse. Nec dubito quin gravissimis causis moveare, cur Ioachimum Camerarium & verè ames, & omni genere officii juvandum esse censeas. Vides enim quod multis egregiis virtutibus præditus sit. Ac verè ut de Hierone dixit Pindarus, δρέπειν αὐτὸν κορυφὰς ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν, id est, *decerpere fastigia, & id quod in unaquaque virtute pulcherrimum tenere.* Nec hodie alius de literis melius meretur. Etsi igitur scio Te tuo judicio tuaque voluntate omnia tua officia delaturum esse, tamen te oro ut hac in re &

Rem-

Rempublicam ipsam intueare, & propter eam amanter excipias Ioachimum, & adjunctis aliquot Equitibus Würtzenburgum comiteris. Scis unde sit ei periculum, & quantum & quam injustum. Ideò de hoc amici Viri optimi itinere valdè sum sollicitus, ac primum oro Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut eum servet, deinde Principes Viros si possem ad eum tuendum hortari cuperem. Benè & feliciter vale, die IX Aprilis.

Clarissimo & optimo Viro D. GEORGIO KVMMERSTADIO *Doctori Iuris, Consiliario in aula Illustriss. Ducis Saxoniæ Mauricii, suo Patrono* S. D.

SCio multos præstantes Viros esse & in vestra Republ. & alibi, quorum prudentia, virtus ac fides in certis partibus gubernationis lucet, quos & ipse de genere humano benemereri judico, & ut debeo veneror. Sed multo melius iidem illi mererentur, si totam Remp. animo complecterentur, eique omnibus partibus opem ferre suo loco studerent. Nunc verò quotusquisque hanc nostram provinciam literariam, quæ certè ad Rempubl. maximè pertinet, vel intelligit vel adjuvat? Cum autem ex optimis Viris intellexerim, te & ceteris Reipubl. partibus, & litteris optime consultum velle, ad te potissimum duxi mittendam esse Epistolam, quam ad Ducem Mauricium de Academia Lipsica scripsi,

scripsi, téque rogo, non solum ut exhibeas litteras meas Illustrissimo Principi, sed etiam ut causam autoritate atque oratione tua adjuves. Quantum referat conservari & ornari hanc scholam pro tua prudentia vides ipse. Nisi enim possessio litterarum in urbe Lipsia retinebitur, vastitas & barbaries universæ Germaniæ secutura est, ac hujus meæ opinionis non leves conjecturas habeo. Pugnabis igitur vere, ut dicitur, pro aris, videlicet pro Academia, in qua excoli doctrina bonas naturas oportet, quæ postea tum Ecclesias, tum consilia Senatoria gubernent. Iacent cæteræ Academiæ in magna Germaniæ parte, non tam fatali tumultu concussæ, quam neglectæ gubernatorum voluntate, qui literas oderunt. Eò magis vobis annitendum est, ut excitetis, tueanimi & ornetis vestram Academiam, præsertim cum vrbs Lipsica diuturnius hospitium studiis concessura videatur, quam cæteræ. Hoc si me non prudentia civili prædicere putas, existimes tamen vaticinari quodam animi impetu. Fortassis etiam ineptus videbor eo nomine quod hospes de vestra Rep. vos interpello, sed hanc reprehensionem non moror. Præcipua & communis civitas omnium bonorum Virorum est Ecclesia, cujus præcipuum est ornamentum, liberalis doctrina. Benè & feliciter vale. Lipsiæ die 7. Octob. 1542.

Nobi-

Nobilitate generis & doctrina præstanti D. JOANNI CREITZ, *Cancellario Ducis Brussiæ Illustriss. suo patrono* S. D.

VIr Clarissime: Quantum interfit reipub. adolescentes, præsertim natos equestri loco, qui sunt seminaria reipub., adhiberi ad literas, & rectè institui, tu pro tua eruditione & prudentia optimè intelligis. Quare non dubito, quin juventutis studia juvare cupias, quantum potes. Et audio tibi cum D. Georgio de Kunheim amicitiam esse non vulgarem. Is habet filium præclaræ spei Christophorum, id quod ex genere orationis judicabis. Brevi postquam unum atque alterum ei exemplum proposui, cœpit scribere multò commodius. Hæc est illustris significatio ingenii. Ideo te rogo, ut patrem accendas, ne filio desit. Pater non mittit pecuniam, sed Eustachio de Slieben mandata dedit ut adolescenti mittat pecuniam. verum is nihil mittit, quanquam literis admonitus. Est enim occupatus negotiis aulæ infinitis, ut ipse vidi. Quare opus erit, ut pater vel per mercatores certos, vel per alios certos homines pecuniam huc mittat. Lipsicis nundinis commodissimè poterit mittere. Hac de re, ut cum patre Christophori agas, vehementèr peto. Devincies tibi adolescentem optimæ spei hoc beneficio. Et ego judico patrem optimè collocaturum esse sumptus. Quid sit facturus, velim significet nobis. Hoc tem-

tempore ita eram obrutus negotiis, ut accuratius scribere non licuerit. Dabis igitur veniam negligentius scribenti. Adolescentis studia tibi commendo, homini & intelligenti dignitatem studiorum & bene cupienti amici filio. Bene & feliciter vale. IV. Octob. cIↃ IↃ XXXVII. Commendo me tibi.

Clarissimo Viro Nobilitate generis, virtute & doctrina præstanti Domino CAROLO UTENHOVIO *Domino Marchemii, patrono suo* S. D.

PEtrus Edingus hospes meus, Vir gravis & doctus, tuique amantissimus, sæpe me hortatur ut ad Te scribam, & ego admiratione virtutis tuæ ita moveor ut tecum mihi assiduam familiaritatem esse optem. Sed tam tristi tempore quid possim scribere, quod aut ad tuum dolorem leniendum aut ad meam mœstitiam levandam multum afferat? Videmus orbem terrarum undique premi, ut nihil dicam aliud, magna imperiorum confusione. Utinam Ecclesiæ rectè gubernarentur: nam in his acquiescere mentes possent abductæ à conspectu miseriarum politicarum. At vestræ quidem Ecclesiæ prorsus oppressæ sunt servitute: nostræ melius reguntur. Sed tamen in quibusdam non nihil est incommodi. Ac si arbitrarer humanis consiliis sanari hæc mala posse, plura quærerem. Nunc cum sciam, Ecclesiam Dei non posse solis hominum consiliis regi, servio in hac mea statione juventutis studiis:

ſtudiis: doceo utilia, & gubernatoribus, qui nos audire nolunt non odioſè obſtrepo, ac Deum oro ut me & alios regat. Precor etiam ut te gubernet & ſervet, cui genus vitæ, dignitas, virtus, locum in Republicâ illuſtriorem conceſſerunt, in qua ubi ſententia tua aliquando res bonas poterit juvare, id ut facias, te etiam atq; etiam rogo. Conditi ſumus præcipuè ad agnitionem & celebrationem Dei. Aliqua igitur ſummi illius operis ratio habeatur. Hæc ſcripſi, & ut Petro morem gererem & ut meum erga te ſtudium tibi oſtenderem. Hiſtorias Gallicas aut aliarum gentium ſcio ad vos perferri ab aliis, quibus Reſpublica notior eſt quam mihi. Benè & feliciter vale. Pridie Calendarum Octobris clɔ Iɔ XLIV.

EIDEM.

S. D.

SCio te meminiſſe Eccleſiam omnium temporum & colligere exempla Profeſſorum & Apoſtolorum, qui ſimiles ærumnas tulerunt, ut tu nunc & alii multi ferunt. Lenit hæc conſideratio exemplorum dolorem. Sed multo efficacior eſt vox filii Dei ad confirmandos & erigendos animos, qui promiſit ſe gregi ſuo adfuturum eſſe, *Non relinquam vos orphanos:* Immo erigit etiam inter ipſa ſupplicia mentes Spiritu ſancto qui lucem & lætitiam divinam in mentibus accendit. Hac ut

Te

Te consolatione Filius Dei Dominus noster Iesus Christus sustentet ex animo precor. Precor etiam ut non sinat extingui lucem veræ doctrinæ, sed ubique colligat & servet sibi aliquam Ecclesiam, quæ in tota æternitate fruatur & lætitia Dei, & Christi, Prophetarum & Apostolorum consuetudine. Deus est qui ut velimus efficit & adjuvat, ut labor non sit irritus. Is faciat ut nostra studia sint salutaria Ecclesiæ & nobis. Benè vale. Calend. Maii.

N. N. S. D.

QVod ad te, Vir gravissime, ausus sum scribere, ignotum ignotus, non est quod ascribas vel impudentiæ vel temeritati. Siquidem has à me literas extorsit Iohannes Troger juvenis juxta eruditus atque facundus. Is me multa tui nominis prædicatione, mirum est, quam accenderit studio conciliandi tui. Neque enim non potui vehementer mirari eum, qui in gravissimis occupationibus Reipubl. gerendæ & literas bonas maximeque pias, familiares adeo habere dicebatur. Sarmatiæ, vel hoc nomine gratulor, quod non modo in Sacrificorum numero eruditos habeat plures, quam quod ego sciam, ulla usquam natio, sed & in eorum numero, quos à literis avocare vitæ genus ferè solet. Perge itaque dextrè facere, quod facis, favereque rectis studiis, potissimum autem pietatis. Neque

vero pietatis ſtudia voco, quæ Monachiiſti, novum Chriſtianorum genus, meditantur, ſuperſtitioſa verius, quam pia. Ipſam Chriſtianiſmi formam ex ipſo Chriſto malis, quam ex neſcio qualibus ἐκτύποις *ſimulacris* haurire. Vereor enim ne pluſculum tribuas his hominum παραδόσεσι, *traditionibus*. Sed quid ego hæc εἰς ἀθήνας, *Noctuas Athenas*? ſtudium ergate meum declarabit optimus Iuvenis Trogerius. Vale Vir graviſſime. Witenbergæ. XIX. Februarii. M. D. XXI.

Clariſſim. & Doctiſſimo Viro, JOANNI CÆSAREO S. D.

UT poſt prælium, ita poſt conventuum exitus, hæc civilia certamina melius narrari poſſunt. Cum igitur finem Conventus adhuc expectemus, nondum de eo ſatis plane ſcribere poſſum. Sed narrabo hiſtoriam, quæ præceſſit, quam ſcio tibi jucundam lectu fore, mihi certè ſpectanti fuit jucundiſſima. Priusquam Princeps publicavit librum Inſtaurationis * Eccleſiarum, legere & penitus cognoſcere eum ipſe voluit. Pertinebat hæc diligentia ad ejus officium, & laude digna eſt. Sed multo magis miratus ſum ejus in auſcultando attentionem & aſſiduitatem, & in expendendis ac emendandis locis obſcurioribus & horridioribus prudentiam, & in diſputando eru-

* *Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, Comes à Wied.*

diti-

ditionem. Tribuit quinque diebus matutinas horas quinas huic auſcultationi, adhibitis Coadjutore, Comite Stolbergio, Huſmanno, Ienepio, Buchelo & me. Attentiſſimè audivit legi integrum opus. Quoties occurrit locus in quo aliquid deſideravit, re diſputata, accuratè dixit quid ſibi videretur, & auditis aliorum ſententiis, vel mutari, vel illuſtrari eam partem juſſit, quædam ipſe ſuo judicio rectè emendavit. Multas controverſias dogmatum ita dextrè dijudicavit, ut animadverterem res tantas ei diu cogitatas eſſe, & integram Eccleſiæ doctrinam rectè ab eo intelligi. Scio paucos hac judicii dexteritate præditos eſſe, quæ quidem & ingenii vim ſignificat, & curam atque intentionem animi quam nemo adhibet, niſi qui vere Deum colere & invocare cupit. Erat ſitus liber cæleſtis doctrinæ ad manum, juxta Lutheri verſionem, recens editam Witebergæ. Ibi ſæpè teſtimonia citata ipſe requirebat, ut fontes conſideraret. Hæc ſæpe commemoravi aliis, & hodie recitavi duobus graviſſimis Comitibus Manderſchid & Novæaquilano, cum D. Bucerum & me ad quandam deliberationem vocaſſent. Cum igitur judicem Principem pia voluntate, & bono conſilio hanc inſtaurationem Eccleſiarum moliri, & ipſius virtutem laudandam eſſe ſentio, & Deum orandum, ut pia conſilia adjuvet. Cumque te idem judicare & optare arbitrer,

hanc tibi narrationem gratam fore ſperavi. Nunc de conventu pauca adjiciam. Breviſſimæ deliberationes fuiſſent, niſi rem extrahere Gropperus ſtuderet. Comites, Ordo Equeſtris, Legati Civitatum cenſuerunt recipiendam eſſe formam Eccleſiarum reſtaurandarum. Sed Legati Collegii Colonienſis refragantur. Etſi enim doctrinæ genus non improbant, tamen expectari Collegii conſenſum volunt. Nectunt moras, negant rem tantam ſubito conſtituendam eſſe. Adſunt viri optimi, ſenex frater Principis, Stolbergius, Glichenſis, ſed habent, ut ſolet fieri, mandata certa. Suntque adjuncti duo Gropperus & Hieronymus. Sed πρωταγωνιστὴς eſt Gropperus Is hactenus variis artificiis pugnavit, ut impediatur Eccleſiarum emendatio. Liber profecto tantum neceſſariam omnibus pueris κατήχησιν continet & ſummam Chriſtianæ doctrinæ. De Collegiis & ἱεραρχίᾳ Eccleſiaſtica, ut vocant, moderatiſſimæ ſunt ſententiæ, ut maneat forma politiæ Eccleſiaſticæ, maneant Collegia & ἀξιώματα ἱερατικὰ, opes, gradus, ornamenta; ſed ſuperſtitiones graves tollantur. Sæpè in conventibus Germanicæ Nationis hanc pacis viam propoſui. Nec aliam video, niſi hanc unam, ut retineant Epiſcopi & Collegia ſua ἀξιώματα, & ſuas opes, & recipiant doctrinam piam. Quid cogitari æquius poteſt? Si hanc moderationem Gropperus

non

non probat, sed prius nos interfici cupit, nec Ecclesiæ nec patriæ benè consulit. Sed Deo hæc commendo. Habes historiam conventus inchoatam tantum. Nam ante finem plura nunc quidem scribere non poteram. Deum æternum patrem liberatoris nostri Iesu Christi oro, ut te diu servet incolumem, meque tibi ut parenti commendo. Bene vale, Die Iacobi 24. Bonnæ, Anno 1543.

Clarissimo & Doctissimo Viro, Domino JOANNI BAPTISTÆ EGNATIO *amico suo. Venetias.*

ETsi in his Europæ tumultibus & fatali regnorum perturbatione, nec honos est literis, præsertim in hac nostra natione horridiore, nec colere studia doctrinæ quantum optamus possumus: tamen cum multis veris caussis moveamur, ut speremus mansuras esse aliquas Respubl. religione & jure consociatas, non desino meo loco adhortari nostram juventutem, ne frangatur animis in hac tanta temporum mœstitia, sed quantulamcunque literarum & doctrinæ professionem retinere conetur. Ut autem Pericles, apud Thucydidē Athenas nominat τὴν ἑλλάδος παίδευσιν *Græciæ institutionem*; ita multo verius Italia sola multis sæculis unicum domicilium est omnium doctrinarum & omnium gentium in universa Europâ magistra. Quare maximè probo honestissimam cupiditatem adolescentum nostrorum,

qui doctissimos homines apud vos audire & in patriam ex vestris fontibus quasi rivulos aliquos eruditionis deducere cupiunt. Cum autem te sciamus, non solum doctrina, sed etiam humanitate in illa omnium sapientissima & humanissima natione excellere, teque propter eruditionem & ætatem velut Nestorem veneremur, omnes, qui literas mediocriter didicimus, maxime cupiebat hic * Matthæus Irenæus natus in nostra Francia tibi commendari. Si quid igitur testimonio meo tribuis, magnopere te rogo, ut propter nostras literas, in primo congressu eum amanter excipias. Postea enim ubi nosse eum cœperis, pro tua summa humanitate ultro eum propter optimos mores & cognitionem multarum bonarum artium complecteris. Etsi enim Iurisconsultorum doctrinæ se dederit, ut aditum ad Rempublicam haberet, tamen antea se illo doctrinarum orbe, quas Philosophia continet, præclarè instruxit. Et ad hoc decus pulcherrimam morum moderationem, candorem & fidem semper adjunxit. Nec tam propter Iurisconsultorum disputationes, quam propter tuos Socraticos sermones Italiam appetivit, quos sibi ad omnem vitam rectè agendam profuturos sperat. Quare ei sciscitanti interdum aliquid de literis aut de aliis

* *De hoc Irenæo & tragico ejus casu lege, quæ scribit Ioach. Camerarius in vita Ph. Melanchth. pag.* 181.

hone-

honestis rebus ne desis, te etiam atque etiam oro. De mea vero erga te observantia loquples testis erit hic Matthæus. Amavi nomen ante annos triginta puer adhuc cum tuæ annotationes primum in lucem prodiissent. Postea te magis veneratus sum, quo magis intelligere virtutes cœpi, & scis ex judicio ortam observantiam non extingui. Quare me quoque tibi commendo. Benè & fæliciter vale. Mense Augusto.

Clarissimo & Doctissimo Viro, D. NICOLAO GERBELIO, *amico charissimo* S. D.

ET luctu tuo vehementer afficior, optime & charissime Gerbeli, & mederi conarer, si quid humanis præsidiis profici posse arbitrarer, sed præter eas consolationes, quæ sunt nobis propositæ in divinis litteris, cæteræ Philosophicæ omnes admodum sunt inanes & frigidæ. Una est hæc magna & efficax, quod scimus oportere Ecclesiam Dei subjectam esse cruci, & cur sit subjecta, Deus sæpè significat, qui & ingentibus ærumnis exercuit lumina Ecclesiæ, & præcipuè ducem Filium suum. Cum igitur voluntas Dei nobis nota sit, & cum exitus monstrati sint, faciendum est, quod Petrus inquit: δεῖ ἡμᾶς ταπεινωθῆναι ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ Θεοῦ. *humiliter subjici potenti manui Dei.* Vocat autem manum Dei potentem non modo, quod sæpè florentem fortunam subito evertit, sed etiam quod

mirandis modis liberat & respicit suos. Quare in adversis rebus & obediamus Deo, & non succumbamus dolore, sed sciamus ipsum velle, ut mœstitiam moderemur, intuentes in animis illum æternum portum, in quo Ecclesia primum acquiescet. Multa hoc biennio funera amicorum luxi. Nuper soror mea extincta est, est & fratris mei conjunx mortua: & isthic Capito, Grynæus & ejus filius. Denique longum habeo Catalogum, nec perferre dolorem possem, nisi ita judicarem, & Deo parendum esse, & hos non amissos esse, & iisdem de rebus suavius philosophaturos esse, de quibus in hac caligine utcunque disseruimus. Ita tu quoque senties. Honestissimas conjuges tuas & dulcissimos liberos rursus complecteris, & filium perduces per totum agmen Prophetarum & Apostolorum, & commemorabis ea, quæ puero tradidisti, multa sciscitaberis ipsos autores, audies concionantem filium Dei, videbis conjuges tuas colloquentes cum Heva, Sara & similibus. Hæc quoties cogito, miro desiderio videndæ illius novæ Academiæ incendor. Meministi Socratem dicere, sibi nihil posse jucundius accidere migratione ex hac vita (si animæ sint immortales) quam ut ad Palamedem & reliquos sapientes veniat, à quibus discat ea de quibus jam dubitet. Si illi hæc obscura & incerta spes metum mortis leniebat: nos quo animo esse debe-

debemus, qui scimus certo, nos ad illam Dei consuetudinem esse conditos, & per Filium ἀρχιερέα nobis amissum decus restitutum esse? Hæc non eo scripsi, ut te docerem, sed quod existimavi tali tuo tempore colloquium amici tibi non ingratum fore. Benè vale.

Amplissimo Viro, D. HIERONYMO *Camermeister, Camerario, Bambergæ Episcopi Cancellario* S. D

EGo, mi Domine Hieronyme, cupio sane gratificari & vobis omnibus & imprimis fratri vestro Ioachimo, sed de meo, ut ajunt corio, non de alieno. Nunc id quod à me postulatur, in aliorum est potestate positum, ut istuc proficiscar. Sum alligatus hic à Principe cui servio, sine illius voluntate ego domo abire non possum, aut à schola, præsertim tam diu, abesse. Ego arbitrabar fratrem vestrum aliquam aliam magis compendiariam viam inventurum esse, quam hanc, hujus negocii conficiendi. Ad hanc si quid adhuc consilii supereſt non nihil restat temporis. hoc ei significavi quantum sit, ut si velit tamen accurrere satis tempestivè possit. Christus gubernet totam rem & custodiat vos universos, patrem ac domum vestram. Valete. Ex Islebia.

Amplissimis Viris D. HIERONYMO EBNERO *&* CASPARI NVCELIO *Moderatoribus Reipublicæ Noribergensis, Dominis suis*
S. D.

CVm innumera extent in me beneficia vestra, sæpè vereor ne videar impudens, dum nullum finem facio subinde alia flagitandi. Sed quoniam existimo vos pro vestra excellenti sapientia meum consilium perspicere, minus timidè ad vos scribo quam meæ personæ conveniat. Videtis enim me non de meis, sed de studiosorum adolescentium commodis apud vos agere, qui hoc tempore quantis difficultatibus conflictentur, non ignoratis. Et quia mihi vestra sapientia, vestrumque de omnibus bonis literis atque artibus judicium notum est, non invitus studiorum ac literarum causas ad vos defero. Non possunt honestæ artes sine præsidio eorum qui præsunt conservari. Sed his nemo liberalius opitulatur hoc tempore quam vos. Ita fit ut cogar à vobis opem atq; auxilium studiosorum nomine toties implorare. Hæc de meo officio præfari volui, quod vobis tantæ sapientiæ viris magnopere velim probari. Nunc exponam vobis caussam quam agendam apud vos suscepi. Est apud nos quidam ex oppido Winsheim Vitus Ortlin, cui de publico cives sui annis jam aliquot sumptus studiorum præbuerunt. Is cupit sibi prorogari id stipendium, speravitque hoc

ita

ita se consequi posse, si vos pro eo apud Senatum suæ patriæ laboraretis. Hoc ut faciatis vos etiam atque etiam oro. Neque enim collocari melius ea pecunia potest. Norunt cives ejus ingenium doctrinamque hominis & diligentiam in omni genere officii. Quod si essent tempora æquiora nostris studiis, talis vir non egeret, quem ego tanti facio, ut ejus judicio multum in studiis utar ipse. Quæso igitur vos ut pro vestra sapientia atque humanitate talis viri causam suscipiatis, eumq; suis civibus commendetis, ut inchoata studia absolvere possit. Multum se vobis debere putabit, si hæc vestra opera consecutus fuerit. Et ego reliquis erga me vestris officiis innumerabilibus hoc quoque adscribam. Valete feliciter. Ex Iena. Postridie Vincentii.

Philippi Melanchthonis Epistola ad Nobilissimum & Præstantissimum Virum, D. HIERONYMVM BAVMGARTNERVM *Seniorem, in Civitate Norimburgensi Senatorem celeberrimum.*

BAVMGARTNERO S.

VElociores spiculis Cydoniis
Abite Iambi, Hieronymumque visite,
Meoque precamini salutem nomine
Sodalium optimo, atque candidissimo;
Seu contulit se ille in urbem Francicam,
Quæ conditoris Cæsaris accepit pio

Cineres

Cineres ſacratos hoſpitio; ſeu Noricam
Vrbem colit, vocare quam Exteri ſolent
Oculum theatrumque unicum Germaniæ;
Seu ruſticatur cum ſuis, & Najadas
Inter, Deoſque ruris audet carmine
Certare cum nymphis; At illæ texere
Student frequentes ſerta Vati, Pegnicam
Reſonare qui ripam docet primus, modos
Græcoſque, Romanoſque. Non hoc clarior
Futurus amne Thybris eſt ad poſteros,
Nec orbe notus omni Ionicus Melas.
Huic perfrui mandate jambi molliter
Faventibus quod contigit Diis ocio.

Pridie Cal. Auguſti. CIↃ IↃ XXIII.

I.

S. D.

SCripſi ad Spenglerum, ut, ſi quâ ratione fieri poteſt, per fratrem Venetiis hærentem libros huc mitti ſelectiores curet, quandoquidem reliqui bibliopolæ uſque adeo inſaniunt, ut præter nugas illas vulgares nihil advehant, aut importent; Dabis igitur operam tu quoque, ut publicam cauſam rei literariæ diligenter Spenglero commendes. Non audeo tecum expoſtulare, quod Coburgos tuos ceſſas officii ſui admonere, & hortari, ut optimam mercem, bonos codices adportent. Videntur enim & tuas & tui ſimilium voces, aut judicium non magnopere morari. O ni-

hili

hili homines, qui usque adeo nullam habent publicæ necessitatis rationem! Post triduum hinc exspatiabimur in patriam, ut spero, profecturi, vnâ Ioachimus ibit qui inde Basileam ad Erasmum excurret; Quam vellem te illi comitem adjungere licuisset! Nihil unquam perinde offendit hic, atque impuri illius Ἐξεσμομάστιγος crudelis criminatio. Vale fœlicissimè. Anno clɔ lɔ xxiv.

II.

S. D.

BOna spes erat, fore, ut, postquam è patria rediissem, Wittebergæ te invenirem. Ea adeo fefellit, ut literas etiam ibi acceperim, quibus me Noribergam invitas. Video plane te domi hæsurum esse, quod bono optarim tuo fieri. Per Francos non licuit iter facere, tametsi impense cupiebam Ioachimi penates salutare, & is nos amantissimè invitabat. Verum Nesenus nos Francofordiam retraxit, & ego verebar, ne quâ amicos apud vos invidiâ onerarem, qui obiter adeundi erant; Passim enim augent optimæ causæ invidiam, importuni quorundam motus. De Forchemiis primum Erphurdiæ, bone Deus, quæ monstra audivimus! Christus tueatur Euangelii gloriam, quam nulli magis lædunt, quam indocti & improbi concionatores, dum volunt videri valde patrocinari. De decimis ajunt tumul-

tumultuari illos, cedo quid oportuit? Mederi Osiandrum his malis, si quid potest, cupio. In eadem causa domi meæ ad Rhenum pleroſque castigavi, qui idem saxum versaturi videbantur. Vale. Anno cIↃ IↃ xxIv.

III.

S.

NOn dubito, quin familiariter feras Nesseni interitum. Is nos ita cruciavit, αὐτόπτας, *oculares testes*, ut vix videatur accidere potuisse quidquam acerbius. Et tamen tale est seculum, ut pene in lucro deputandum sit, si contigerit citius hinc discedere. Nos parentavimus Mosellano & illi. Mitto versiculos, ut te quoque invitem ad scribendum. Addidi his literis scriptas ad Hallerum Suabachensem, is fere duos menses abest, multo longius, quam constituit τῇ αὐτοῦ, *sua*; Interea nihil scripsit; & cum cætera hanc sollicitant, tum etiam τὸ κεφάλαιον πρᾶγμα ἐστὶ *caput rei*, quod scire te existimo. Proinde te etiam atque etiam rogo per nostram amicitiam, ut mox ad eum has literas mittas, & horteris ad respondendum. Nihil potuit fieri incivilius, quam quod tam diu in re tanta ne literam quidem misit. Vellent isti, si quid responderit, ne literæ interciperentur, aut interciderent, conduci peculiarem nuncium, qui illas huc adferret, quod si videbitur tibi res postulare, quæ-

so,

so, ut nostro sumptu conducas, aut illum jubeas conducere. Ioachimus abest, profectus in vallem Ioachimi ad Sturcium veterem amicum. Ebnero nunc non vacabat scribere. De puero rectè habent omnia, magna accessio ad amorem erga illum meum facta est, postquam versiculos cœpit facere, facit enim & diligenter & fœliciter. Vale, mi Hieronyme, Christus te custodiat; Hallerus sine nobis intrivit, sed tamen optarim, postquam cœpta fabula est, piè peragi. Anno cIↃ IↃ XXIV.

IV.

S.

PRæter opinionem accidit, ut manserit nuncius hodie; Quare constitui rursus ad te scribere. Ita me Christus amet, Hieronyme, opto, ut contingat vobis Professor præditus locupletiore aliquanto facundia, quam est nostra. Deinde ut maximè cupiam vobis obsequi, tamen honestè non possum facere, ut à Principe Friderico discedam: Nec vos sanè civiliter missionem mihi ab illo flagitare poteritis: Ego verò ne id faciatis, valde hortor, malo quidvis pati, quam videri fidem illi datam fefellisse, aut non satis largè præstitisse, quidquid ille sibi de me pollicetur: Est humanum habere beneficiorum rationem, quæ ille in me contulit. Quid si Eobanum? magna vis ingenii, magna facultas est, & mores essent futuri

futuri tales, quales eorum ſunt, quibuſcum habiturus eſt conſuetudinem; Quid ſi alios? nihil enim attinet nominare: Sed commendo tibi omnia. Vale iterum. pridie Cal Novemb. anno cIↃIↃXXIV.

V.

S. D.

NIhil minus volui, quam auctor eſſe extrahendi negocii de ſchola; Quare te rogo, mi Hieronyme, ne me expectetis, quin deligite vobis interea ex Profeſſoribus unum aliquem, quem putetis parem eſſe magnitudini rei: Nihil ambitiosè ſcribo, in re tanta non convenit ἀκκίσασθαι, *ficte recuſare.* Et ego omnia malim, quam ullo modo morari publicum commodum urbis veſtræ. Ego, dum meâ operâ hic ſunt uſuri, nullo modo avelli poſſum, nec ulla res eſt tanta, non valetudo, non inopia, quæ me hinc extrudat, priuſquam id honeſtè videam poſſe fieri. Habes κεφάλαιον· τὰ λοιπὰ δὲ θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται, *ſummam: reliqua verò in Dei ſunt poteſtate.* Georgius ambit ſtipendium à Senatu, eâ in re accipio adjuvari eum ab Oſiandro poſſe, quæſo itaque commendes ejus cauſam illi, ut apud Nucelium προξενήσῃ τοῦ γεωργίου, *intercedat pro Georgio.* Scis quanti hunc adoleſcentem faciam propter inſignes ingenii dotes: Et hactenus non modo ſpei noſtræ reſpondit, ſed ſuperavit etiam:

quare

quare te rogo pugnes hac in re, ut hujus ſtudia provehantur, omnibus viribus, & ut illi dicunt, πάσῃ μηχανῇ. Vale. Pridie Barbaræ, Anno clɔ Iɔ xxv.

Obſecro, ſi quam de me ſpem concepiſti, futurum, ut ad vos protrahar, abjicias eam. Nolo enim meâ diſſimulatione morari veſtrum commodum. Dii melius, quam ut eo dementiæ & improbitatis prolabar.

VI.

S. D.

Neque mihi libet in valetudine tam tenui longam epiſtolam ſcribere, neque tibi, opinor, vacat occupato in adornando Hymenæo prolixas literas legere. Cum Eobano ex ſententia ſenatus veſtri egi, ſic, ut dicerem, deferri ſtipendium quinquaginta & centum aureûm nummorum, aut non multo minus; quid poſtulet in literis videtis. Itaque quanquam non dubito, quin judicetis, jam eſſe conductum, ut de mercede nihil mutetis, tamen cupio ei reſponderi, ut confirmetur; ſunt enim qui diſſuadent profectionem. Tu vero, mi Hieronyme, quantum potes, incumbe, ut incepta Schola exædificetur: magnum, mihi crede, ad rempublicam inde commodum rediturum eſt. Nulla eſt enim præterea urbs in Germania, nullus Princeps, qui ceperit conſilium conſervandi literas. Vel cum ali-

quo incommodo vestro, tamen posteritatis juvandæ causa res tam præclara, tamque utilis toti generi hominum urgenda videtur. Vtinam scias, quæ sunt in aulis, in urbibus aliis eorum judicia de literis, qui ad gubernacula sedent, tum magis incepto, quanquam valde delecteris, delectari te posse putem. Sigismundo Gelenio scripsi, non omnino negligenter, ut vides, mitto enim tibi exemplum: vellem & te illi, & Ioachimum scribere. Quod ad me attinet, ego vobis honesta petentibus non defuturus sum, modo faveat incepto negocio Christus, qui certè piis consiliis favet. Et ego sic judico honestissimo studio, & sanctissimo vestros Patres cepisse consilium de Schola. Mitto item meam sententiam de Ecclesiasticis reditibus, quam tu ita demum exhibebis, si tibi probabitur. Nam de parte superiori quæstionis ῥητῶς *disertè* pronuncio, eaque de re omni Iureconsultos consului. Scis meam de non mutandis ritibus sacris sententiam, postquam ea sunt antiquata, quæ poterant conscientias lædere. Reliqui mores qui supersunt κακά εἰσιν εὖ κείμενα, *mala sunt bene posita*. Scis autem esse in proverbio religiose profecto dictum τὸ κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινητέον, *malum bene positum non movendum esse*. Vale. Ioachimo per occasionem exempla epistolarum tum Eobani, tum mearum ad Sigismundum mitti cupio. Ioachimo hunc

So-

Sophoclis codicem mittas, una cum literis, quas illi inscripsi. Nuptias & totum illum vitæ cursum fortunet tibi Christus. Iterum vale. Cal. Ianuarii. cIↃ IↃ xxv. Caspar Bornerus nondum mihi respondit.

VII.

S. D.

PEr mihi jucundum fuit, quod scripsisti, magna quadam alacritate civium tuorum animos incumbere in scholæ constitutionem. Neque enim illi aut ornamentum vrbi honestius, aut firmius vallum comparare possunt, quam sit ludus pueritiæ rectè institutus. Neque verò tu parvam gratiam mereris, cum, ut existimo, tuis hominibus ad conservandas & excitandas literas calcar addis. Ego haud gravatim operam in hac re meam vobis polliceor, tametsi vires meas non ignoro, sentioq;, quam non aut judiciis de me vestris, aut voluntati respondeam. Nam nec usus rerum, nec ætas, nec doctrina est tanta mihi, ut meo consilio magnopere vobis opus esse ducam, sed, quia accersor, videar valde ineptus, si venire recusem. Quare decrevi cum Ioachimo ad vos brevi adeo proficisci. Nam Ioachimus in Prusia abest, rediturus huc, ut spero, circiter Calendas Octobris: Interea commeatum ab Illustrissimo Principe nostro petam, quem in re tali facilè, opinor, impetrabo. Christus &

vestrum consilium, & nostram profectionem fortunet. Capitur & nostræ scholæ exædificandæ consilium, & principia satis bene habent; sed est eventus, ut scis, in potestate superûm. Vale fœliciter. VI Cal. Octob. anno clɔ lɔ xxv. Seylero hospiti vestro salutem meis verbis dicito.

VIII.

S. D.

TAmetsi ea, quæ mihi privatim à civibus tuis deferuntur, pergrata sunt; tamen aliquanto majorem voluptatem capio ex novo illorum in provehendis literis studio. Nam quæ mihi benevolentiâ magis, quam meo aliquo merito tribuuntur, nisi sim impudentissimus, non queam agnoscere: quod verò ad invehendas in patriam excitandasque literas animum adjiciunt, videntur non modo de suis civibus, sed de vniversa Germania pulcherrimè mereri cupere. Fœlices enim Respublicæ, si literæ rursus in civitates, & hominum concilia cœtusque revocantur. Atque hæ in tanto Principum ac Regum veterno videntur planè casuræ nisi urbium ope apud nos ab interitu vindicentur, quo magis adnitendum est tibi ac bonis omnibus, qui in vrbibus imperatis, ut optimas Disciplinas tueamini ac velut exulantes domum reducatis. Quod vero ea in re meam operam requiris, breviter tibi, mi Hieronyme, οὐδὲν ἀκκισάμενος nihil ficte recusans respon-

reſpondebo; Nihil mihi perinde in votis eſſe, atque publica ſtudia vbicunque gentium aliqua ex parte juvare. Nec poſtquam rei magnitudinem intelligere cœpi, deſtiti illis pro virili patrocinari, neque vobis in re tam præclara defuturus ſim, modo ut queam. Non me uxor, non amici, non quæſtus moratur, quo minus ad vos mox advolem: alia ſunt, quæ me hic partim alligant, partim etiam à tam ſplendida provincia abſterrent. Primum enim, dum meâ operâ uti volet Princeps Fridericus, non poſſum hinc honeſtè diſcedere. Nam cum is de me liberaliſſimè meritus ſit, præſtandum eſt viciſſim mihi, ne quid in ingratum putent collocatum eſſe. Itaque mihi curæ eſt, perſolvere, non modo quantum debeo, ſed etiam quantum ille ſibi de me pollicetur. Malim equidem fame mori, quam ab officio diſcedere, præſertim cum meo peccato literas ipſas non mediocri invidia gravarem, *τότε δέ μοι χάνοι δ' ῥεῖα χθών*, *tunc verò mihi debiſcat lata terra*, cum parum reveritus videbor dignitatem literarum. Extrudi me facile patiar, ſed miſſionem flagitare non videtur ſatis civile; Et tamen video diu me hic hærere non poſſe. Schola collabitur ſubinde migrantibus optimis quibuſque Profeſſoribus: Ego hoc perpetuo biennio ſedulo egi, ut conſtitueretur, res ita extrahitur, ut ſpem omnem conſtituendæ ejus abjecerim. Decrevi autem quanto-

cunque meo periculo perdurare, ἐ τῷ ναυάγια πολιτεύεσθαι, ne usquam in me vel fidem vel gratitudinem desiderare queant. Habes id quod videtur esse hac in re caput. Deinde ut maximè meus essem, tamen & tibi, mi Hieronyme, videndum esset, ut pulcherrimo operi idoneum architectum conduceres, & mihi, ne conditionem susciperem, cui vires nostræ non respondeant: Porro cum existimem non trivialem aliquem prælectorem à vobis requiri, sed declamatorem, qui in urbem secum non mediocrem tantum earum artium, quæ vulgo docentur, supellectilem, sed eam etiam dicendi facultatem adferat, quæ adolescentium orationem fingat, improbè facerem, si me vobis obtruderem. Nam ut de eruditione, de ingenio nihil dicam, quæ sint sane mediocria, si ita vultis, certe genus orationis est non admodum scholis utile, quæ exuberantem copiam & floridum quoddam dicendi genus postulant: Nostra vero oratio exilis & jejuna est, nihil ἀνθηρὸν, *floridum*, omnia angusta, & sine succo. Misit me puerum in Saxoniam Capnio, non intelligens onus nihilo magis adpositum ad rem tantam, quam ad lyram asinos ajunt; defuerant enim puero Præceptores, eramque in ea vetustus schola, ubi capitale erat attingere meliores literas. In Saxonia magna varietas studiorum meorum fuit, & quantulacunque est facultas, quam

assecuti

assecuti sumus, ea sine duce αὐτοδιδάκτῳ à me ipso docto contigit. Nunc cupiam hanc personam errore susceptam deponere, si liceat, & tamen dum non licet, operam do, ut virium imbecillitatem quoquo modo sarciam, & vitiis meis medear, qui, si conditionem ambiam splendidiorem, velle videar κατὰ παροιμίαν δὶς ἐξαμαρτεῖν, *juxta proverbium, bis aberrare*, quod aut stulti aut improbi etiam hominis esse judicant. Est enim omnino fœliciore vobis artifice opus, quam nos sumus. Facio quod venditori leges præcipiunt, at ego boni viri officium esse sentio, ut mancipii vitia in auctione dicat. Exposui enim quid in me ipse desiderem, reliquum est, ut tu videas, quomodo satisfacturus sis tuis civibus & patriæ, si te proxeneta talem Rhetorculum juventuti conduxerint, quam scis esse seminarium reipublicæ. Itaque non modo servitus me hic detinet, sed conscientia etiam imbecillitatis meæ absterret, quo minus operam meam venditem vobis. Volo autem te amplissimis verbis meo nomine Senatui gratias agere, tam honorificè de me sentienti. Sunt inter Professores literarum plerique alii, è quibus optimos quosque optarim à votis seligi, nihil attinet nominari, cum noris. Scis qualem ille Præceptorem eligere doceat, qui efficiat καὶ μύθων ῥητῆρας καὶ πρακτῆρας ἔργων, *& verborum Oratores & Actores rerum.* Ardua profecto, & plena ne-

gocii res est. Sed nuncius interpellat; Ego quod ad me attinet pro nostra amicitia hoc negotium tuo judicio tuæque fidei commendo. Vale. Cal. Novembris, anno cIↃ Io xxv.

IX.

S. D.

GRatum officium facis, mi Hieronyme, quod toties nos amantissimis literis tuis salutas, idque, si me amas, pergas porro facere. Nam ut vulgare hoc scribendi officium sit, tamen ego tui similium amicorum scriptis mirificè delector. Res tuas εὐοδωθῆναι καλῶς *feliciter procedere*, (libenter enim Paulino verbo utar) opto, certe optimè sperare cœpi, vbi ex literis tuis intellexi piis conatibus tuis τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου *principem huius mundi* insidiari. Tu ne cede, & contra audentior ito. Interea committes tuam salutem Christo, qui scis quantum ardeat studio juvandi suos. Santerio bene cupio, sed in tam variis occupationibus præstare minus possum, quam vellet ille. Accedit huc valetudo impar laboribus iis, quos commendatio requirit, sed faciam tamen amici officium, præsertim sicubi ea dare possum, quibus ad studia elegantiorum literarum invitetur juventus. Bucolica nunc paro. Ioachimus Pedianum non nihil emendat, qui nondum in Germania vsquam excusus est, vbi Bamber-

gen-

gensis χαλκόγραφος venerit, habebimus ejus rationem, & ego precium pro σφαίρᾳ numerabo. Ebnerus puer respondet & tibi & patri: nihil fallo, ejus germanæ sunt epistolæ, vix pauca verba mutavimus. Vtinam fortunet nobis diligentiam nostram, & hujus studia Christus, qui si adspirarit, spero civem bonum & patronum literarum fore patrem, nisi te summa contentione tuebitur, & de literis, & de me male mereri sentiam. Vale, mi Hieronyme. Meum silentium excusabis Osiandro, salutabisque hominem nostro nomine reverenter.

X.

S. D.

CErtissima spes erat, Ioachimum comitari proficiscentem in Francos; Iuvabat enim & hoc officii amico præstare, & urbem vestram, & si qua sunt vetera monumenta visere, sed domi detinuit metus repente incussus, nescio quorum sermonibus τῇ συζύγῳ τῇ ἐμῇ, *conjugi meæ*, ne in longinquo itinere videlicet interciperer. Ridiculum. sed hic est ejus generis captus. Ego cessi imbecillitati ejus, quid enim facerem? Servimus; hæc communis ordinis nostri sors est, tu si mente liberâ præditus es, cave capistrum hoc admittas. Sed extra jocum; Proximæ literæ tuæ valdè me delectarunt, optoque ut succedant, quæ instituis, ex

animi sententia. Nam & literarum puto dignitati accedere, si quid tibi accesserit. Laudoque hac parte Rempublicam Noribergensem, & quod honorem virtuti habet, & quod ad se φιλοσόφους invitat. Beatas civitates Plato judicavit, ubi tui similes regnarent: Ego hoc rectius puto dictum, benedictione justorum civitates florere, scioque quantum in te non modo literarum, sed & pietatis studium sit. Perge itaque fœliciter, quæ cœpisti. Quod Hutteni libellum misisti, gratum est. Nam tametsi improbam criminationem, & plus quam hostilem, pene συκοφαντικὴν, *calumniandi artem*, dixerim, probare non possum, tamen referebat vidisse nostra. Vides autem, quanam & nos invidiâ oneremur. ἀλλὰ τοῦτο Θεῷ ἐν γέναση κεῖται, *Sed hæc Deo nota vel commendata.* Vale fœliciter.

XI.

S. D.

TUas literas nuper adeo Chalcographus Erlingus attulit, ex quibus de Eobano & Bornero certior factus sum, quid statueritis. Hodie rescivi de Sigismũdo Gelenio,* & quanquam sperem coràm de omnibus rebus me tecum collocuturum esse, tamen libuit, hoc tempore meam de Sigismundo sententiam per-

* *De Gelenio vide Ioach. Camerar. in vita Ph. Melanchth. pag.* 105.

scri-

scribere. Ea mihi eruditio & facundia hominis esse videtur, ut singulare ornamentum urbi vestræ allaturum existimem, si ejus copia contigerit. Itaque non puto faciendum, ut ejus locum succesſor quæratur, sed tantisper vacuus relinquatur is locus, dum ille ad nos pertrahi per occasionem possit. Et initio pluribus Professoribus non magnopere opus est. Nam latinarum literarum professionem sustinere duo, Ioachimus græcarum valdè potest. Mathematicum neminem præter nostrum Longicampianum novi, qui par futurus sit provinciæ ritè docendi. Sed habes in vicina urbe duos Schonerum & Eiberum mihi ignotos. Nostrum Simonem non puto in disciplinis, quantum hæc res poscit, versatum esse, ἀλλὰ παρέργως ἀσκηθῆναι *sed obiter exercitatum*. Itaque tu cogitabis vnà cum reliquis eruditis hominibus, unde accersatis earum literarum Professorem. De meo negocio nondum in aulam retuli; Nam me necessariæ quædam res domi detinuerunt his feriis. Erasmi ὑπερασπιστὴν *propugnatorem* vidisti opinor. quid? satisne videmur depexi ab illo? Me immerentem gravissimâ invidiâ onerat. Sed hæc coràm, ut spero. Vtinam in ceremoniis nihil porro mutetis! ego quandam, puto, non contemnendam hujus judicii causam habeo. Vale, die Martis post κυριακὴν *Dominicam* Quasimodogeniti, Anno clɔ Iɔ xxvi.

XII.

XII.

S. D.

QUiſquis illic tuarum rerum ſtatus eſt, opto, ut quæ moliris, & auſpicato agas, & fortunent ſuperi. Neque enim dubito, poſtquam huc animum adjeciſti, ut vitam rectè inſtituas, inſidiari tuis conſiliis Mundi principem. Nobiſcum non belliſſimè agitur, qui tantum jucundiſſimorum ſodalium amittimus. Verum ego fortunam meam boni conſulo, ſemperque ita judicavi, neque prudentius, neque gravius quidquam à nobis præſtari poſſe, quam quod illi dixere τὸ παρὸν εὖ τιθέσθαι, *rem præſentem bene diſponere*, quanquam hanc ſolitudinem literæ veſtræ minus triſtem faciant; Quare te rogo, ſæpe huc ſcribas. Ecquid Pircamerus? ſatisfactumne eſt? Cupio equidem. Verum ſi fieri non poteſt, quod volumus, magna nobis hæc ſolatia ſunt, nec pendere nos ab hominibus ullis, nec frangi, ſi præter meritum ſuccenſeant alii. Tametſi in ejus prudentia magna mihi ſpes eſt. Neque enim convenit, ut fraudi nobis aliena peccata ſint. Vale. Apellum & Fiſcherum noſtro nomine reverenter ſaluta.

XIII.

XIII.

S. D.

NOstri, ut conviviorum ratio fert, mutant consilia de itinere, πραγμάτων ὧν μέλει αὐτοῖς, *Negotia ipsa non curant.* Nec tibi majorem dolorem insulsitas consiliorum, quæ agitant, adfert, quam mihi. Mox ad te veniemus Ioachimus & ego. Ioachimus cœnabit apud Stilerum, ego tecum manebo. Bene vale.

XIV.

S. D.

DE Eobano non dubium est, quin meas literas acceperis. Itaque tuas & ad me & ad illum expecto. Caspar respondit, sed petit sibi prorogari tempus commigrandi ad vos, qui sine magno alieno ære Lipsiâ avelli subito non possit. Ea in re facietis, quod videbitur. Nam ego suspicor extrahi ab illo rem, ut ante videat ludi auspicia, & quomodo res sit successura aliis, quam ipse veterem conditionem abdicet. Spero te jam domi habere uxorem, quod ut sit faustum & fœlix faciat Christus! Deus, inquiunt sacræ literæ, conjunxit, quare precor, ut fortunet & pulcherrimam societatem, & conjunctionem. Vale fœliciter. Postridie Dominicæ Invocavit.

XV.

XV.

S. D.

HAnc epistolam dedi meo ministro, magis ut videres me retinere tui memoriam, quam quod haberem aliquod dignum te argumentum. Omnia quæ passim in Germania moventur, existimo tibi propter senatus vestri vigilantiam notiora esse, quam mihi sunt. Nicolaus Minguicius magnas copias equitum contrahere conatus est, ut impetum in Lusatiam faceret; dicitur conductus à Johanne, qui regnum Hungariæ invasit: nos tamen speramus, impedituros esse consilium nefarium ac seditiosum Principes Saxoniæ, & alios quosdam Ferdinandi amicos. Quidam fortè, ut scribis, molitur res novas, sed hodie intellexi, Ὁ ἡμετέρος ἡγεμόνος *Ducis nostri* filium ad Landgravium iter constituisse, is haud dubie dabit operam, ne quid temere novi improbè geratur. Colloquium cum Oecolampadio condixit Lutherus, neque enim finem ullum faciebat Landgravius petendi, ut sibi hoc officii tribueretur. Bucerus scripsit ad Brentium jam triumphans de illo congressu. Senatui urbis vestræ pro missis voluminibus Jurisconsultorum, quæso te, ut meis verbis reverenter agas gratias. Rem præclaram, & utilem Reipublicæ facit urbs vestra, quod sumptu suo vindicat ab interitu talia monumenta.

Vale

Vale fœliciter. in die v. Iacobi, Anno cIↃ IↃ XXVIII.

XVI.

S. D.

EST apud nos quispiam Vitus Winshemius, quem arbitror tibi de fama notum esse. Vir est eruditione, ac modestia singulari præditus, habetque apud nos privatum ludum, neque alius ullus hoc tempore aut fœlicius, aut majore cum fide docet. Propter has virtutes mihi longè carissimus est, & quia sæpius ejus judicio in meis studiis utor, magna etiam cum eo mihi familiaritas est. Huic aliquot annis datum est à Winshemensi senatu stipendium, aurei viginti, id prorogari sibi certa quadam de causa petit, sperans se impetraturum per primarios cives urbis vestræ, quorum autoritas merito fit plurimi à Winshemensibus. Scripsi igitur D. Ebnero, & D. Casparo Nucelio, easque literas tibi mitto, ut tu eas exhibeas illis, simulque hanc causam suscipias. Magnum mihi beneficium puta te præstitisse, si hoc negocium susceperis. Est hic & alius quidam sic satis studiosus adolescens, civis vestræ urbis Wolfgangus Aupell, cui sumptus studiorum hactenus dati sunt ex legato quodam. Huic spes est facta, fore ut amplius suppeditetur, si ejus studia commendata fuerint Testamentariis, audio in illis Colerum

rum senatorem esse. Obsecro te igitur, ut Colerum roges, ut studiis ipsius consulat. Scripsissem ad D. Colerum, si mihi tantum fuisset otii, sum enim hoc tempore plus aliquanto occupatus, quàm soleo. Scio te pro tua humanitate cupere consultum omnibus studiosis, proinde ad te illorum causas defero, & cum Colerus doctrina minimè vulgari sit, spero, ut facile studiosi hominis causam patiatur sibi commendari. Ebnerus filius recte valet. ἀνάβασιν absolvi disputationem, sed non edam, nisi antea eam Lutherus viderit. Vale fœliciter. Anno clɔ Iɔ xxviii.

XVII.

S. D.

NOn est oblivione officiorum tuorum, quæ in me collocata esse summa abs te liberalitate memini, factum, quod aliquandiu nullas ad te literas dedi, sed tum occupationibus, tum etiam desidiâ, nihil enim dissimulo apud amicum: sed desidiam nulla alia causa parit, nisi valetudinis perpetua vexatio. Ignosces igitur mihi, mi Hieronyme, pro humanitate tua, quam semper tribui tibi maximam, si hoc genus μικρὰς φιλοφρονήματος *exilia humanitatis officia* parum sedulo præstiti. Neque enim eram commissurus, ut meum officium desiderares, si qua res gravior incidisset, in qua cum aliqua tua utilitate meam diligentiam tibi pro-

probare potuissem. Nunc te rogo, ut veterem erga me benevolentiam tuam conserves: ego vicissim in te colendo efficiam, ut intelligas, me non minus constantiæ amantem esse, quàm aliarum virtutum, neque enim nihil mihi abs te tribui judico. Valde gratam rem feciſti mihi, quod pecuniam ab Ebnero Michaeli curaſti, videor enim mihi magno onere liberatus, pecuniâ illa persolutâ. Verum profecto est, quod ajunt, partem fœlicitatis esse, nihil debere. Ego sum bibliopola factus quodam meo incommodo, nam mihi nondum dimidium persolutum est, sed hos libros publicæ utilitatis causa volui huc adferri. Ioachimum necessario suo tempore, ut vides, quæso te, ut pro tua fide adjuves. Vale. Secerium tibi commendo.

XVIII.

S. D.

LUtherus aliquot diebus abfuit hinc in inspectione vicinarum Ecclesiarum, quare nondum potuimus respondere ea de re, de qua Spenglerus ad nos scripsit. Macedo has deliberationes non expectat, quem quidem noster ἡγεμὼν *Dux* summâ fide ac diligentia ad ocium & tranquillitatem hortatur, sed ille satis contumaciter respondet. Nobis tota res est in precationibus posita, nec dubito, quin Christus sit his curis ἔκβασιν *exitum* tolerabi-

lem daturus. Tu igitur magno animo sis, & memineris, oportere nos, siquidem Christi discipuli sumus, experiri & pericula majora, quam ut humanis consiliis gubernari queant, & auxilia supra hominum existimationem. *Iacta curam tuam in Deum*, inquit Psalmus. Has voces si ad nos pertinere judicamus, erigere nos debemus, & bene de voluntate Dei sperare. Hæc scripsi κοινωνῶν τῆς μεριμνῆς σε, *particeps factus tuarum curarum*. Figuli causam tibi commendo, qui, ut opinor, non abhorrebit à Theologico studio, nec obest his, qui aliquando ad Ecclesias regendas adhibebuntur, attingere doctrinam rerum civilium; πόλις ἄνδρα διδάσκει, *civitas virum docet*, ajunt: quare mirum in modum sunt inepti, qui rerum civilium prorsus sunt imperiti. Vale, Dinsiag post Antonii festum.

XIX.

S. D.

DE puero statuendi tibi potestatem pro arbitrio tuo facio, nec ægrè recipio ad me, si ingenium videtur adpositum ad literas. Regum nostrorum minas expectamus, causa, salusque nostra Christo curæ erit, ut ut cadat res. Est autem, mi Hieronyme, hoc tempore diligentiâ & operâ mihi tuâ opus. Hæret hic adolescens quispiam Vitus, civis tuus, qui satis fœliciter didicit literas, verum non suppe-

tunt

tunt porro ſumptus ſtudiis, & periculum eſt, ne deſerendæ literæ ſint. Nuper adeo accepit ſtipendium quoddam apud vos modo vacuum eſſe, rogavit, ut ſuo nomine ad amicos ſcriberem. Ego vero cum anno ſuperiore Georgii cauſam tam impudenter egerim, non ſum auſus hanc ſuſcipere, ne viderer veſtris immodice ineptus, qui ſubinde novis commendationibus tanquam leges ferre vobis inſtituiſſem. Et tamen vellem adoleſcenti certè ſtudioſo (neque enim dubito meam fidem obſtringere) conſultum. Gratum feceris, ſi tu illum commendaveris tuis principibus, præſertim cum de ingenio ex ipſius literis conjecturam facere poſſint. O miſeras literas noſtras, quibus vſque adeo nihil honoris habent Satrapæ, ut indignas ducant, quas ſuis illis infœlicibus opibus foveant. Ego ad Ebnerum ſcripſi, ſed penes te erit, de reddendis literis, ſtatuere. Nam ſi videbitur commodum, patior exhiberi, ſin obfuturas putas, aut me ridiculum fore, qui in tantum mihi ſumam, ut ſummos homines meis commendationibus moveri ducam, concerpe. Nolo enim me propines deridendum naſutis illis. Committo rem omnem tuæ prudentiæ & fidei. Horburgium ſalutabis meo nomine, neque enim vacabat ſcribere. De Eobano melius ſpero, & tamen, ſi quid peccat, non tam ei, quàm illis, qui eum producunt in

ſcenam, iraſcor. O perditos ſycophantas! Vale, poſtridie πάσχατος. Literas inſcriptas Ebnero non obſignavi, ut tu prius legeres, quam de reddendis conſilium caperes: Vide quanta ſollicitudine ſcripſerim.

XX.

S. D.

MIrè gratum officium facis, quod noſtri non obliviſceris. Accepi enim binas à te, poſtquam hinc abiſti, quarum alteras Lipſiâ, alteras Bombergâ miſiſti. Hoc demum eſt verè amicum eſſe, quanquam merito fit, quod facis. Scis enim quanti te faciam, quantum diligam. Proptera te rogo tui ſimilis eſſe pergas. Nos enim, etſi officiis pares non ſimus, non committemus ut non αὐ τῷ τῷ μέτρῳ, κατὰ τὸ Ἡσιόδειον, *eâdem menſurâ, juxta Heſiodi dictum*, amaſſe videamur. Quæ ſcribis περὶ τῶν τυράννων, *de Tyrannis*, etſi imbecillitati precor τὸ τοῦ πνεύματος *Spiritus* robur, tamen omnino malo ſævire hoſtes, quam langueſcere noſtros, qui excitari non poſſumus εἰ μὴ τῷ σταυρωθῆναι, *niſi crucifigamur*. Iam hoc etiam periclitamur, ſi cadat animus hoſtibus, ne ſe, quod ſæpe vidiſti jam factum, inter εὐαγγελικοὺς (ſic enim ſe vocant) venditent, quibus voluptas eſt omnia perturbare, miſcereque imis ſumma. Optarim autem in nos potius impetum fieri, qui paſtores ſane dicimur, quam in gregem. Sed vide

vide Satanæ consilia. Amalechitas scribit Moses caudam Israëliticam, hoc est, imbelle vulgus adortos esse, sed potens Deus est & quosvis tyrones animare. Tu vale, & accingere tandem ad scribendam ἱστρίαν τοῦ Φραγκίσκου, *historiam Francisci.* Dignissimum tua diligentia argumentum fuerit; modo audeas. Vale, postridiè Margaretæ.

XXI.

S. D.

MI Hieronyme, quid petat hic bonus vir, ex literis Doctoris Martini intelliges, quæ sunt ad Osiandrum & Hectorem scriptæ. Ego tametsi non magna in spe sim, posse consuli hac ratione homini, tamen te per caritatem obtestor, si quid omnino vsquam potes, calamitatis te hujus miserescat. Vale.

XXII.

S. D.

BAsilius Myropola Wittenbergensis accepit Magenbuchium Norimbergâ discedere, & ejus conditionem vacuam fore: porro hic suo sacco vivit, in magna inopia. Si posset surrogari Magenbuchio, valde sibi consultum putaret, & ad medendum sic videtur idoneus, ut recte præferri etiam Magenbuchio possit. Quare te rogo, ut adnitaris, quoquo modo hujus inopiam sublevare. Christus

de seſe bene mereri judicat, qui pauperes adjutant. illi putato te officium præstitisse, si quid Basilio præstiteris. Vale, in die Natalis Domini.

XXIII.

S. D.

TAmetsi nihil haberem, quod magnopere perscribi ad vos referret, tamen parum humanum putavi dimittere sine meis literis ad te notissimum hominem, Christophorum nostrum, præsertim qui cuperet hoc officiolo, sic enim arbitratur, bene de te mereri. Gratissimam rem facis, quod toties humanissimis literis tuis nos salutas, idque ut pergas facere, te etiam atque etiam rogo. Nam mihi ad confirmandam quidem amicitiam nostram nonnihil momenti habere videtur id, quæ tametsi sanctissimis auspiciis, videlicet studiorum conjunctione, contracta, radices altius egerit, quam ut convelli temere possit, tamen, nescio qui fit, ut dulcescat magis amicitia veluti condita officiosis epistolis. Ego quantum sinunt, vel occupationes vel vires, non cessabo. Hoc tempore in manibus, habeo μελέτην, *meditationem*, quâ de legibus dicam ex publico instituto. Nam legem tulimus, ut singulis mensibus declametur, ad eam curam accessit adversa valetudo, insomniâ enim diu jam pene perpetuâ laboro. Heri novus

casus

casus adflixit filiam, acerbior quam ut scribere possim, & tamen videor mihi nonnihil acquiescere, cum ad te scribo. Tu cum ingenio, ocio, eruditione abundes, meque adeo, quid enim dissimulem, multis præcurras passibus, saxis, ne desideremus officium tuum. quisquis istic rerum tuarum status est, memineris nos Deo curæ esse. Cedo quid voluit, quid exigebat Christus, cum vetaret esse sollicitos. Ex hujus te oraculo compara; *Revela Domino viam tuam, & ipse faciet*, qui nisi advigilaret, & tanquam excubias pro nobis ageret, proh quoties laberemur? Tam multa nos fallunt in rebus humanis, ut pene videantur recte sensisse *οἱ τὸ ἐπέχειν δοκιμάσαντες, qui dubitandum esse statuerunt.* Puer noster Erasmus bonam adhuc mihi spem facit, dignum fore nobis, & majoribus suis. Versiculos ad Patrem mittit, primitias suorum poëmatum. Ioachimus noster declamabit in emporia. Cætera coram Christophorus; Saluta amicos. Vale *καὶ ὄναιο ὦ φιλτάτη κεφαλή, & juva ô charum caput.*

XXIV.

S. D.

NOn dubitabam, quin & causam suam tibi diligentissime ipse Stor commendaturus esset, & tu ultro de illo benè mereri cuperes, viro primum erudito, deinde amico etiam.

Quare de universa re parcius ad te scribere instituì, tantum officii causa has literas ad te dedimus, ut currentem, quod ajunt, incitaremus. Næ ego in vestris plusculum humanitatis desiderare cogar, si nullam Stori rationem habuerint, hominis summa fide & candore præditi, deinde de Republica vestra bene meriti, postremo ad literas satis adpositi. Incumbe igitur, mi Hieronyme, in hanc causam summis viribus, ne amici saluti defuisse videare. Nam cum emergendi, vix ei alia restet via commodior, de ejus capite hic quæso agi putes. Consului, ut si res postularet, & à Principe nostro opem implorares. is adduci se haud gravatim, ut opinor patietur, ut causam boni viri, præsertim non invidiosam, suscipiat. Invenienda ratio est, qua insidieris eorum animis, penes quos hujus rei arbitrium est. Quod si submonuisset me citius Stor cum Luca pictore hinc ad vos proficiscente, rem, & consilia mea communicassem. Verum diligentia tua facilè sarciet, si quod hic peccatum est. Nolo esse prolixior, ne de fide tua dubitare videar, quà mihi nihil usquam exploratius est. Vale, pridie Paulinæ conversionis.

XXV.

XXV.

S. D.

EXistimo Vitum hunc tibi notum esse, mi Hieronyme, quare nolo tibi pluribus verbis prædicare ejus ingenium aut doctrinam, quorum utrumque mihi quidem dignum videtur, cur juvenem amemus, ejusque studia foveamns. Et cum in urbe vestra multi sint literati senatores, tamen vides in uno te plus esse spei studiosis adolescentibus, quam in reliquis. Quæso igitur te pro humanitate tua, ut hunc Vitum, quantum potes, adjuves, si quod aliquando vacuum stipendium erit, de hoc juvando cogitabis. Opulenti pauci discunt, hinc etiam nuper duo juvenes optimæ spei à literis ad mercaturam abstracti sunt. Eo magis pauperum & tenuiorum studia vobis fovenda sunt & excitanda vestra liberalitate: id etiam sacræ literæ docent, neminem militare suis stipendiis. Nam & hæc nostra militia ad Rempublicam pertinet custodiendam & gubernandam. Vale. Amicos nostros istic Eobanum & Ioachimum & Michaelem tibi commendo.

XXVI.

S. D.

HIc Adolescens Georgius domum revocatus est à propinquis suis, cum ipse ma-

gnopere cupiat in ſtudiis verſari. Illi diu jam hoc agunt, ut à literis avellant. Neque tamen vicerunt adoleſcentem, donec novo conſilio minantur hic ei fame pereundum eſſe, niſi ipſis obtemperet. Rogavit itaque me, ut ſe tibi commendarem. Neque enim dubitat, cum intelligas vim, atque utilitatem ſtudiorum, te autorem fore ſuis propinquis, ut conſilium mutent, de eo removendo à literis, & ſperat autoritatem tuam plurimùm valituram eſſe apud ſuos. Et quia ex patrimonio non poteſt tolerare ſumptus ſtudiorum, decrevit ambire ſtipendium, quod nunc Muſurus habet, ut cum erit vacuum, ſibi concedatur, ea etiam in re utetur & conſilio & autoritate tua. Quare te rogo, ut eum adjuves, & principibus civitatis commendes. Magnos profectus fecit in literis, ut videatur nobis res indigna fore, ſi à ſtudiis removeatur. Deliberatio illa, de qua mihi ſcripſiſti, nunc eſt in manibus noſtris. Nam & noſter Princeps ea de re conſuluit, quicquid ſcriptum fuerit πρὸς τὸ ἡμέτερον *ad noſtrum*, mittam vobis. Sed erit ſumma, ut arbitror, unumquemque ſuo periculo debere, non alieno, credere. Itaque Princeps non debebit arma ſumere ad eorum defenſionem, qui eam neque poſtulant, neque bona conſcientia poſtulare poſſunt. Iuriſconſulti poſſunt aliquid excogitare, ut defendant illam rem non eſſe injuſtam, quia jus concedat

πόλεμον

πόλεμον ἄρξν, *bellum movere*, si recuset magistratus causam cognoscere, sed est nimis calidum. Nos non utemur. Mitto tibi dispositionem ad Romanos de qua te oro, ut mihi per occasionem, cum habebis ocium, tuum judicium perscribas.

XXVII.

S. D.

INstitutum tuum benè fortunet Christus, quem quidem videmus tot encomiis ornasse conjugium, ut non aliud vitæ genus aut in sacris literis magnificentius prædicetur, aut credibile sit, Deo magis placere. Literas senatus vestri in aulam mittam, ubi si mihi Princeps noster commeatum dederit, non gravabor ad vos proficisci, tametsi existimem mea opera non magnopere opus esse cum Professores habeatis ejusmodi, quibus ego collatus, jure videar χῖος, ut ajunt, πρὸς κώους, *Chius ad Coos*. Neque tamen ante Lipsicas nundinas opinor, me posse iter ingredi. Quare interea de re tota tibi scribam, & rogo ut cum licebit, tu quoque perscribas, quid responderit Sigismundus, quam spem de Schola conceperis. Vale, pridie Dominicæ Lætare. De meo scripto ad senatum, miror te nihil respondisse, ubi de ceremoniis nulla mentio facta est à me, non consilio, sed forte non venerat

nerat in mentem. Nunc nescio an referat refricari memoriam ejus negocii.

XXVIII.

S. D.

SIc est, ut scribis, Hieronyme, multo plus nocent Euangelii gloriæ fanatici Spiritus, qui nunc passim nova dogmata serunt, & maximos tumultus in civitatibus excitant, quam ulla unquam sævicia tyrannorum nocuit, & nisi pollicitus esset Christus, se nobiscum usque ad consummationem seculi mansurum esse, vererer, ne tantis fluctibus oppressa religio penitus interiret. Non enim alio spectant istæ hæreses, nisi ut penitus deleatur nomen Christianum. Precor autem Christum, ut in tam periculosis tempestatibus gubernet ac servet naviculam suam, atque etiam communibus precibus hæc mala sanare possemus. Tu quoniam isthic in aliqua parte Reipublicæ es, quantum potes advigilabis, ne in urbem vestram irrepant novorum dogmatum Professores. Ego jam dudum institui scribere contra ἀναβαπτίστας, & de rerum communione, sed partim valetudine, partim quotidianis occupationibus prohibitus, non possum absolvere, quod paro, sed incumbam, quantum potero, in hanc rem. Pro Vito, filio cujusdam vestri civis laboro, ut Senatus urbis vestræ conferat ei stipendium, postquam id

Stor

Stor reliquerit, semper cavi, ne quem indignum vestris civibvs commendarem. In Vito autem singulare mihi ingenium, & singularis eruditio esse videtur, quare si vestro beneficio contigerit ei perdurare in studiis, spero, eum ornamento patriæ fore aliquando. Rogo igitur te, ut quantum potes, adjuves adolescentem & probum & pauperem. Multum ei tua commendatio etiam apud Ebnerum profutura est. Ages igitur, quantum honeste poteris, ut habeatur ejus ratio. Vale.

XXIX.

S. D.

QUanquam oppressus eram summis & acerbissimis animi doloribus, mi Hieronyme, tamen ad te de re neutiquam tali meo tempori conveniente scribo, nempe de negocio quodam nuptiali. Conradus Musurus ducit uxorem, filiam civis cujusdam apud nos. Itaque contendit à me, ut ad te scriberem, teque rogarem, ut, si ea res patrem nonnihil offenderet, tu pro tua autoritate placares illum. Habes totam rem, neque enim opus est, me tibi argumenta ὑποθέσθαι, *suggerere*, quibus flecti pater debeat: Tantum hoc addam, præclarè vos facturos, si hujus adolescentis studia & res adjuveritis. Nam in eo studio, cui se dedit, quodque nunc plurimum habet splendoris, videtur mihi vir acer futurus. Sic

de

de eo judicant etiam præceptores ipsius. Si quid in eo desiderant amici suavitatis, multa mutabit æras, & ἄλλος βίος ἄλλων διαιταν, *alia vita aliam vivendi rationem* adferet. Vale feliciter.

XXX.

S. D.

QUid hic actum sit, ex fratre, & aliis legatis urbis vestræ intelliges. Nunc coactus sum ad te scribere de negocio Haneri. Is valde cupit sacerdotium suum mutare cum quodam fratris Marsilii sacerdocio. Ea in re speravit meam commendationem apud vos aliquid habituram momenti. Video hominem calamitosum esse, non uno nomine, quare optarim ei prospectum. Nihil autem à vobis peto, quod præstare sine incommodo non possitis: & suspicor quædam in Hanero desiderari, quæ hactenus impedierunt, quo minus à vestris adjutus sit. Ego tamen bona in spe sum, futurum tractabiliorem, atque commodiorem, si quo beneficio vestro obligatus erit. Quare te rogo, mi Hieronyme, ut, si poteris εὐκαίρως, *opportunè*, nihil enim postulo aliud, respicias hominis miseriam, eumque adjuves. Vale fœliciter. Ex urbe Spira, die Georgii, Anno cIↃ IↃ xxix.

XXXI.

XXXI.

S. D.

CÆsar adhuc expectatur, de voluntate ejus affirmare nihil possumus. Hoc accipio, duas esse sententias senatus Cæsariani, alii censent Cæsarem non debere rem cognoscere, sed edictum proponere, in quo simpliciter damnet omnia, quæ sunt in Ecclesiis novata. Alii sentiunt, Cæsarem debere cognoscere has controversias, & corrigere in veteribus ritibus, si quid est vicii. In hac sententia dicitur esse Vir summus ὁ ἀρχιγραμματεὺς *Cancellarius*, Mercurinus, quem ajunt dicere, se adversa valetudine, hac spe secutum esse Cæsarem, ut rebus rite consuleretur, si id nolit Cæsar facere, pœnitere se hujus officii, ac nolle attingere violenta illa consilia, quia res ostendat, quam nihil profecerit simile consilium Wormaciæ. De Eobani negocio, si potest expectare exitum & καλῶς φρονῶ conventus, facilior ut spero, res erit; sed si vos putatis, nunc statim agendam rem esse, sequar vestrum consilium. Scribes igitur. Vale fœliciter, pridie Vocem jucunditatis.

XXXII.

S. D.

DEdi hanc epistolam rogatus juveni Magdeburgensi profecturo in Italiam ad discendum

scendum jus civile. Is enim petiit à me, ut se tibi commendarem, cupit uti consilio tuo, de pecunia Mensariis committenda, qua in re te quæso, ut indices ei vel Noribergæ vel Augustæ homines certos, per quos curari negocium possit. Habes totam rem, officium est ejus generis, quod sine tuo incommodo præstare poteris. Et meministi illud, ut homo, qui erranti comiti monstrat viam, καὶ τὰ λοιπὰ, *& cætera*, quæ putant eo pertinere homines docti, ut libenter communicemus illa, quæ sine incommodo nostro communicari possunt. Novi nihil habeo præter illos rumores περὶ τῆ παρασκευῆς τῶν Τούρκων, καὶ τὰ περὶ βασιλέως, *de præparatione seu apparatu Turcorum & illa de Rege vel Imperatore*, quæ omnia tibi notissima esse puto. Apologiam nondum absolvi, impeditus non solum valetudine, sed etiam aliis mihi negociis, quæ quotidie incidunt περὶ συγκρήσεως, *de conciliatione*, quem molitur Bucerus. Scito Lutherum non assentiri Buceri scripto, res est, ut vides plena periculi. bene Bale.

XXXIII.

S. D.

TUas literas accepi, quæ mihi certa de causa hoc tempore præsertim gratæ fuerunt. Quod autem ad illa negocia conventus attinet, de quibus scribebas, postquam adversarii nullâ

nullâ moderatione noſtrorum flecti potuerunt, ut pacem facerent, τὰ πράγματα, ὅπη τῷ Θεῷ φίλον, ἀγέσθω, *res, quò Deo placet, perducantur.* Nunc ad te coactus ſum ſcribere de negocio Georgii Gruneri civis veſtri, quem antea tibi commendavi, ut ipſum in petitione ſtipendii adjuvares. Ejus rei te iterum admoneri voluit adoleſcens, quoniam tempus appropinquat. Præceptor Chilianus laudat mihi ejus ſtudia, & pro eo laborat hac in re, quod non faceret, niſi ingenium & mores etiam probaret. Nos novi nihil hic habemus, nondum enim redierunt noſtri ex Smalcalden. Allata ſunt huc vaticinia mulieris Kitzingenſis, quæ vobis haud dubiè nota ſunt. Prædicat intra paucos menſes horribile bellum futurum eſſe. Mihi quidem dubium non eſt, quin ad arma ventura res ſit magis propter cupiditatem, quam propter Chriſtum. Reliquum nobis hoc unum eſt, ut oremus Chriſtum, ut ipſe gubernet hos periculoſiſſimos motus ad Eccleſiæ utilitatem & gloriam Euangelii ſui. Bene vale, καὶ ἀγαπητὴ δύνοιαν ἔχων πρὸς ἐμὲ ἀκμάζουσαν, ὥσπερ ἔωθες, *& perge benevolentia florente me complecti, ut ſolitus es.* Apologia adhuc ſub prælo eſt, retexitur enim, & amplificabitur à me tota.

XXXIV.

S. D.

QUæso te, Vir optime, ut pro tua humanitate meum silentium, quo hactenus usus sum, boni consulas. Nam in his miserrimis curis, quibus exerceri nos scis, cum minus me delectent hæc ipsa studia, fit ut segnior ad scribendum fiam. Accedit ad hæc valetudo incertissima, & quædam quotidianorum negociorum varietas: hæc sæpe volentem scribere ab ineepto revocant. Nunc cum isthuc iret Doctor Hieronymus Schurf, rogavit me Wolffgangus Aubeck, ut te rogarem, ut nobis significares quid sperare debeat de stipendio, quod ex testamento, nescio quo, petit. Scripsit ea de re Academia ad Senatores quosdam vestros, qui nondum, quod sciam responderunt. Si quid potes, rogo te, ut illum bonum juvenem adjuves. Est enim valde studiosus, & mores dignos habet optimis studiis. Scis quæ sit fortuna nunc nostri ordinis, nisi enim à tui similibus defensæ literæ fuerint, & excitatæ, quid futurum est aliud, nisi ut Scythica quædam barbaries, aut si quid hac deterius est, Germaniam opprimat Doctor Hieronymus etiam orabit urbis vestræ Senatores, ut hunc juvenem adjuvent, quæ in hoc motu nostra consilia fuerint, ἔγραφα ποτὲ πρὸς Ἰωάχιμον, *scripsi aliquando ad Ioachimum.* Vale fœliciſſime cum uxore. XXXV.

XXXV.

S. D.

QUod rarius ad te scribo, non fit oblivione officiorum erga me tuorum, quorum recordatio mihi gratissima est, sed versor in miserrinis curis, atque occupationibus, quæ cætera officia sæpè impediunt. Quare meum silentium boni consulas. Nunc dedi literas Gaurico Neapolitano, Astronomo, viro docto & humanissimo, quem cum intelligerem cupidissimum esse videndæ urbis vestræ, duxi ei literas ad te quoque dandas esse, quod inter ornamenta urbis vestræ, quæ spectare cupit, meo judicio, verissima ornamenta existimari debeant boni ac docti viri, tui similes. Quare te rogo, ut eum non graveris excipere & salutare; Vir est humanissimus, & in sua arte facile Princeps. Nec rudis est aliarum literarum: Nobiscum fuit toto quatriduo. Benè ac fœliciter vale. 22. Maii, Anno clɔ Iɔ xxxii.

XXXVI.

S. D.

NOn nunc primum queror de consiliis atque actionibus nostrorum, sed ita fit κατὰ παροιμίαν, πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδοι, &c. *juxta proverbium, Medicorum multorum introitus*, &c. Princeps vir est optimus & amantissimus pacis, sed ille, quo de scribis, animum habet

mirabiliter violentum, & eget, ac mihi sæpe visus est cupere omnia in casum dare. Si Cæsar ordine petet restitui Monachos, & similes, non vult Lutherus ad arma decurri, sed si personæ Principis vicini periculum molientur, permittit illi uti suo jure, si quod Iureconsulti ei permittunt. Ego non dissimulo me, propterea quod nostros noram, fuisse pacis cupidiorem Augustæ. Non enim credas facilè, quam longè absint ab illa Euangelica constantia & moderatione nonnulli, quam jactant, sed ut video motus fatalis est. Nos orationibus nostris commendabimus rem Christo. Audio vacuum esse quoddam exiguum stipendium: Est autem hic adolescens, filius civis Noribergensis, adolescenti nomen est Alberto Webber. Patrem vocat Georgium Webber. Videtur mihi bonum & commodum ingenium esse, ac dignum, quod vestra liberalitate alatur, & à puerili doctrina præclarè instructus est. Oro igitur te, ut commendes eum Senatui. Hoc beneficium, crede mihi, benè collocaveris. Ignoscès autem mihi, quod hæc negotia tibi impono. Est enim tibi homini doctissimo, literarum causa, hæc molestia devoranda, quæ te præcipuum habent Patronum in vestra Republica. Bene vale. 15. Februarii.

XXXVII.

XXXVII.

S. D.

QUod ad te rarius scribo, Vir optime, quidvis in causa potius esse judices, quam tuæ erga me benevolentiæ oblivionem. Ego enim te propter excellens ingenium semper feci plurimi, & cum me amanter omni officii genere à te coli viderim, ingratus sim, si debere me tibi dissimulem. Sed hæc tempora, quæ te quoque, ut video, non leviter exercent, non solum hæc communia officia, sed pene omnia mihi studia literarum excutiunt. Vides, quo, non dico, inclinent, sed plane ruant omnia. Legi tuam epistolam non sine magno dolore, in qua significas, quæ te causæ moveant, ut de deserenda Republica cogites. Esset illud quidem his miserrimis temporibus præcipue nobis optandum, ut latere liceret, neque ego tibi quicquam præscribo; Sed tamen vides, mi Hieronyme, in qua quasi statione collocatus sis, quam, nisi Respublica prorsus oppressa est tyrannide, nolim te deserere. Sed non vacat nunc multa scribere. Spero te consilia tua ad publicam utilitatem accommodaturum esse. Hic juvenis Iohannes Sumerer Noribergensis sic satis literatus est, & pauper petit unum ex stipendiis minoribus, quod nunc audivit vacuum fore. Erit tuæ humanitatis adjuvare adolescentem ci-

vem & ſtudioſum, & pauperem. Idque ut facias, te etiam atque etiam oro, ſcis quam dura ac iniqua ſint hæc tempora talibus ingeniis. Ideo te doctrina tali præditum tueri ſtudioſos decet. Bene vale, cIↃ IↃ xxxiii. die Veneris μὴ πλὼ πάχαῖ@.

XXXVIII.

S. D.

SCio tibi optimos mores D. Baſilii Carthuſiani notos eſſe, quare non dubitavi eum, rogantem præſertim, tibi commendare, in quo uno & ſtudioſi literarum & homines pii iſthic plurimum ſibi præſidii eſſe judicant. Hanc opinionem bonorum virorum ego quidem non minus honorificam tibi eſſe ſtatuo, quam ulla alia ornamenta. Quæſo igitur te, ut Baſilium complecti ac tueri velis. Nihil autem petit, niſi ut per occaſionem habeatis rationem ſui, ſi quo miniſtro in aliqua Eccleſiola opus habebitis. Ita vixit apud nos, ea fuit ejus moderatio & gravitas in omnibus rebus, ut nemo non de eo præclare hic ſentiat. Præbuit etiam ſpecimen & doctrinæ, & ſtudii erga Eccleſiam. Hic enim ſæpe concionatus eſt, & libenter juvit noſtris diaconos, quod hoc tempore in tanta hominum arrogantia pauci faciunt. Bene igitur pones beneficium apud bonum virum. De publicis negociis non habeo, quod ſcribam, Sunt enim vobis notiora omnia.

omnia καὶ τῶν ἡμεδαπῶν πάνυ θαυμαστὴ καὶ αἰσχρὰ ὀλιγωρία εἰσὶν τῶν μεγίστων πραγμάτων, *& nostrates ad miraculum usq; & turpiter negligunt res maximas:* quare & ipsi pauca scimus, & quid habeant consilii de illis ipsis rebus, quæ ad ipsos pertinent, & ad Ecclesiam, ignoro. Bene vale, 21 Ianuarii Anno cIↃ IↃ xxxv. quem opto & tibi & tuis & universæ Reipublicæ atque Ecclesiæ faustum & felicem esse.

XXXIX.

S. D.

ROgavit me hic adolescens Iohannes Haberbergius civis vester, ut se tibi commendarem, proficiscitur enim isthuc ad stipendii petitionem, ad quam sibi opus esse præceptorum testimonio judicabat. Quare te oro, ut meas literas boni consulas. Vides enim me neque ambitione, neque πολυπραγμοσύνῃ *curiositate*, sed officio ad scribendum adduci. Hic juvenis patre orbatus matrem solum habet inopem, quæ ei non potest suppeditare studiorum sumptus, præbuit ergo clarum specimen & modestiæ & amoris erga literas. Hic enim servivit quibusdam scholasticis magnâ æquitate animi, ne cogeretur deserere literas. Talis animus profecto dignus est publicâ liberalitate. Quantum in literis profecerit, poteris ex ejus oratione judicare. loquitur propriè ac purè. Oro igitur te, ut &

propter orbitatem, & propter ejus modeſtiam & doctrinam, ipſius rationem habeatis in conferendo ſtipendio, videtur benè poni beneficium in tali ingenio: poſtremo etiam meâ cauſa volo eum tibi commendatiorem eſſe. Amo enim eum propter ſingularem modeſtiam ipſius. Sum brevior, ne tibi alioqui occupato addat aliquid moleſtiæ longior epiſtola, & ſcio te ea humanitate & prudentiâ præditum eſſe, ut maximè tuendos tibi ſtudioſos eſſe ducas, qua in re profecto de Republica optimè mereris. De rep. nihil novi habeo. Conventus παγγερμανίας, ut ſcis, eſt in expectatione. Deus gubernet Principum mentes ad pietatem & pacem. Nuper mihi Princeps quidam narrabat Cæſarem ita flagitare Synodum ut ſi Papa non indicturus eſſet, ipſe palam affirmet ſe nationalem Synodum habiturum, quam quidem magis optarim, ſi tamen id vellent agere Principes, ut veritas illuſtraretur. Bene vale, 15. Februarii cIↃ IↃ XXXV.

XL.

S. D.

IAm eram in procinctu, cum hic adoleſcens Sebaſtianus Schufelius literas à me flagitaret. Nam de Gallico itinere cogor referre ad Principem. Scripſit enim ad me Rex Galliæ, & additæ ſunt literæ Epiſcopi Pariſienſis, & alio-

aliorum, quas, si mihi commeatum dederit Princeps, videbis. Rogavit autem hic adolescens, ut se tibi commendem: nihil petit, nisi ut iter hoc suum existimes non cupiditate aliquâ, sed necessitate susceptum. Sane placuit mihi, quod judicavit sibi præstandum esse, ne judicia bonorum offenderet. Commendo igitur eum tibi, teque rogo, ut eum parentibus commendes. Videtur mihi probum ingenium esse, & satis profecit. De aliis rebus coràm, ut spero, brevi. Bene & fœliciter vale; postridie diei Laurentii clɔ Iɔ xxxv.

XLI.

S. D.

VT tota rerum natura gemit cum Ecclesia, præsertim in hac ultima & languida mundi senecta, ita civitas vestra nunc communium Ecclesiæ miseriarum & dolorum partem experta est. Sed misericordiæ Domini, quod non consumpti estis, ac vobiscum & lugemus & precamur filium Dei, ut has calamitates leniat. Hæc sunt initia vastitatis quæ proximè antecedet finem mundi, & de qua prædictiones & consolationes voce divina traditæ sunt, quas te meminisse scio. Valde te oro, ut de te; & de tuis aliquid mihi significes. Auditores nostros dimittimus propter luem, quæ hic grassari cœpit. Michaelem Rottingi filium, honestum & eruditum adolescentem, tibi

commendo. Bene & fœliciter vale. 6. Iulii. Filio tuo mittit meus gener libellum.

XLII.

S. D.

EGo vero, Vir optime, cum officio tuo, tum ipso genere literarum, quarum summa est elegantia & venustas, mirificè delector. Quare illâ excusatione assiduitatis tibi non erat utendum, cum ingens beneficium mihi præstari judicem. Illud autem oro, ut cum & occupationes & ingenii imbecillitas vetent, quominus αὐτῷ τῷ μέτρῳ *eadem mensurâ* respondeam, non aspernere tamen hunc animum, profectò præclare de tuo ingenio ac virtute sentientem. Gaudeo te Vitum complecti, spero enim, eum & urbi vestræ, & Ecclesiæ Christi magno ornamento futurum esse. De negocio ipso ita judico, rectè vos consulere patriæ, quod eum retinere cupitis, & ipse potius debet operam patriæ; Fortassis hoc quidem tempore in Academiis viveret suavius, sed tamen cogitare eum decet, quid patriæ debeat, & in urbe vestra tantum ingeniorum ac literarum est, ut cum qualibet celebri Academia certare possit. Habes meum judicium, non enim libuit scribere prolixius. Nuncius Pontificius profecturus in Marchiam, VVitebergæ fuit, exceptus est honorifice à Præfecto: Vocatus ad eum Lutherus, libe-

liberè dicitur de Romana Tyrannide cum nuncio locutus. ſcribam totum colloquium, ubi integram hiſtoriam audiero. Vidiſtine Doleti petulantiſſimum ſcriptum contra Eraſmum? Curavi ut reſpondeatur. Bene vale, den Mitwoch poſt Martini, anno cIↃ IↃ xxxv.

XLIII.

S. D.

ADoleſcentem Sebaſtianum tuis literis mihi commendatum adverſa valetudo iterum cogit redire in patriam. Et habet ipſos Medicos autores conſilii, ne quid fingi ab eo putes. Ipſe animadverti hunc noſtrum aerem his qui ad phthiſin idonei ſunt, parum ſalubrem eſſe, nec tam accuſo vicinas paludes, quarum vapores aliqui putant in cauſa eſſe quam quod judico aquilonibus torreri nimium ſicca corpora. Dedi itaque literas huic juveni, ne mores potius, quam valetudinem diſceſſus cauſam eſſe arbitremini. Sunt hic Capito & Bucerus, & alii quidam qui ſanè inflectunt ſententiam ſuam περὶ τῆς εὐχαριστίας, ἢ μυστηρίου τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ *de Euchariſtia ſeu Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti*, ſed neſcio an ſanari tantum ſcandalum hoc conſilio poſſit; Noſtri nihil paciſcentur cum eis, ut arbitror, & cauſas facile potes divinare. Bene vale. Die aſcenſionis Chriſti, cIↃ IↃ xxxvi.

XLIV.

XLIV.

S. D.

EGo vero, Vir optime, cum officio tuo, tum ipso genere literarum valde delector, quæ non solum amoris erga me tui, sed etiam optimæ voluntatis erga rempublicam significationes continent minime obscuras. Quare assiduitatem mihi tuam in scribendo scito gratissimam esse, in qua utinam tecum paria facere possem, sed pro tua summa humanitate velim existimes mihi non studium, sed facultatem deesse. Querelam tuam de nostra Academiola nos πεθόντες *qui patimur* experimur verissimam esse; Multis magnis incommodis conflictamur. Adhæc accedit seu contemtus literarum, seu nostri neglectio insignis in iis, qui tueri publica studia debebant. Sed illi ipsi utinam saltem in domesticis rebus ac periculis essent διόφθαλμοι *perspicaces*. Ego hic quadam officii ratione hæreo, nec dubito, quin, si erit Synodus, ut certè erit, magna mutatio maximarum rerum secutura sit. Teque valde rogo, ut si quid habebis de adventu Cæsaris in Italiam, & de Synodi indicendæ consiliis, nobis significes. Gallicum iter impeditum esse non molestè fero, etsi norunt amici, quàm vehementer scriptis literis invitatus sim. Vitus, opinor, exemplum habet, sed obtineri æqua non potuissent, &

præ-

præjudicia quid pariant incommodi, non ignoras. Ab Anglia vero multa me deterrent. Decurro igitur ad illud Socratis, qui apud Platonem disputat nusquam nisi in exilio Philosophiæ locum esse. sed desino. Bene vale. Hic adolescens seu animi imbecillitate, seu valetudine motus consilium cepit mox redeundi domum. Anno clɔ Iɔ xxxvi.

XLV.

S. D.

UTinam Deus & urbi vestræ, & universæ Germaniæ pacem concedat, deinde si reprimi Tyrannis aliter non potest, opto, ut Centauri, qui non vobis tantum, sed omnibus bonis ubique sunt inimicissimi, furoris sui pœnas dent. Nulla in tota Germania natio est tam infesta nostræ causæ ὥσπερ οἱ Φεραγχικοὶ ἵπποις. Itaque si opus erit armis, simus bono animo. Nam illi δοῦλοι τῶν εἰδωλολατρῶν *servi idololatrarum* non vincent. De meo hospite quod scribis, doleo sane, sed non magis vobis dicitur infestus esse, quam toti nostræ causæ. Scripsissem ad eum multo ante his de rebus, si arbitratus essem me aliquid promoturum. Dicitur, τὸν ἱερέα τὸν ἀδελφὸν τοῦ ἄρχοντος *sacerdotem Principis fratrem*, respicere, quem si amat, nescio quomodo ejus fratrem amare possit, ne dum nos. De mea in ducatum VVirtenbergensem profectione nihil habeo certi.

Voca-

Vocatus sum de Principis sententia, sed amicorum literis. Nec ego usquam tali tempore quicquam ambio, etiamsi hic sane dura conditione vivo, sed si quid potero usquam facere, quod videbitur profuturum Ecclesiæ, nihil habebo prius aut antiquius. De mea erga te voluntate ita statuas velim, tuam autoritatem semper apud me valituram plurimum, quare gratissimam mihi putabis tuam in scribendo assiduitatem. Neque de Anglicis rebus, neque de VVirtenbergicis, quidquam adhuc constitui, neque quidquam constituam, nisi prius collocutus fuero vobiscum. Bene vale, Anno cIↃ IↃ xxxvi.

XLVI.

S. D.

GEnius urbis vestræ hoc nomine magis venerandus est omnibus doctis, quod iis disciplinis, quæ Mathematicæ vocantur, adeo favet, ut nusquam majora sint earum studia, quam in urbe vestra, & ingenia ad eas artes aptissima apud vos nascantur. Nec dubito, quin hujus laudis possessionem tueri cupiatis. Porro hic tabellarius Erasmus Floccius civis vester natura ad Mathematicen factus est, & jam initia fœliciter didicit. Ad hanc Philosophiæ partem tamen & alias artes adjunxit. Quare si poterit inchoata studia absolvere, spero eum & patriæ ornamento, & reipu-

reipublicæ usui fore. Sed est ei opus alienâ liberalitate. Quare commendo eum vobis, ut in conferendis stipendiis hujus Erasmi rationem habeatis, idque & genio urbis tribuite, qui præcipue favet Mathematum studiosis, & ipsius adolescentis virtuti. Nam & mores sunt modestissimi & γνησίως philosophici, & ea naturæ dexteritas est, ut de studiis ejus optimè sperandum sit. Quare non dubito, quin hoc beneficium bene collocaturi sitis, si hunc juvenem adjuveritis. Itaque te etiam atque etiam rogo, ne ei desis. Hic audimus fabulam de prorogatione Synodi, propterea quod Dux Mantuanus metuat, ne Pontifex si adducat magnum comitatum, occupet urbem. Fabula habet magnos autores, sed nescio Poëtæ sint an historici. Bene vale. 3 Cal. Iunii clɔ Iɔ xxxvii.

XLVII.

S. D.

VIcinia duplicat nobis labores, in qua quidem ut bene constituantur Ecclesiæ, omnibus votis optandum est. Fortassis harum regionum consensus & ad exemplum & ad pacem Germaniæ profuturus est. Optare autem omnes boni debent, ut & recte emendentur Ecclesiæ, & rursus Germaniæ concordia coalescat, ὡς ἔρις ἐκτε θεῶν ἐκτ' ἀνθρώπων ὄσσολοιτο, *ut lis & inter deos & inter homines pereat.*

Sed

Sed hæc aliàs. Ideo autem hæc præfatus sum, ut brevitati mearum literarum ignoscas. Erasmus Floccus & Sciurus isthuc redeunt. Erasmo fui ipse hortator ad iter suscipiendum. Nam febri liberari non posse videtur, nisi mutato aëre, ut sæpe accidere animadverti. Sciurum quædam officii ratio evocat: Ioachimus enim eum accersit. Rogo autem, ut utrique migrationis veniam impetres, ut liceat Sciuro apud Ioachimum versari, & Erasmo vel domi vel alibi vires recreare. Spero te probaturum esse has causas, & pro tua summâ humanitate effecturum, ut stipendia retineant. Brevi tibi judicium mittemus de genesi illa Augustana. Novi nihil habemus præter illa, quæ in Mysnia vicina aguntur. Ante triduum acerrima contentio in disputatione Monachi Dominicastri Lipsiæ fuit. Hæc opinor è Lipsia ad vos scribi. Reipublicæ vestræ tranquilliratem opto. Bene vale. Postridiè Iohannis Baptistæ cIↃ IↃ xxxix.

XLVIII.

S. D.

MItto tibi genesin Augustani civis tam anxiè efflagitatam, quam quidem tantum eo retinui, quia eramus per otium aliquot annorum revolutiones descripturi, ut judicari de annis posset. Sed ille, cujus est genesis, fortassis metuit alio consilio eam à nobis retineri.

Remitto

Remitto igitur & rogo, ut mihi significes, an acceperis. Si mihi annorum descriptiones additæ essent, significationes addidissemus, etsi non sum artifex, sed si quid possum judicare, censeo genesin esse faustam, significantem claritatem inter cives & ἐξοχὴν, *excellentiam*, pericula captivitatis, & adversæ valetudinis crebræ, hæreditates amplas & fortunam in metallicis. In summa judico esse faustam genesin. Deus gubernet significationes. Bene vale. 3 Augusti cIↃ IↃ xxxix.

XLIX.

S. D.

POst minoris Geuderi mortem jusseram secedere fratrem, & expatiatus est per aliquot dies cum sodalibus, sed rediit, audio utrumque contagio infectum esse in suburbio. Statim igitur Ancillæ Doctoris Sebaldi * ægrotare cœperunt, altera etiam mortua est, postea vagatum contagium per familiam absumpsit Doctorem Sebaldum, conjugem, Pædagogum Geuderorum, sodalem Noricum, & adhuc ægrotant ex sodalitio quatuor. In tantum luctum incidimus errore, & negligentia Pædagogi, qui falso narrarat non ægrotasse puerum. Deus respiciat nos, & servet juventutem destinatam Ecclesiæ & Reipu-

* *Hac de re lege quæ commemorat Camerarius in vita Philippi pag.* 184.

blicæ gubernationi. De hac enim sollicitus sum, non de mea vita. Opinor tibi notum esse generum Doctoris Christiani, qui fuit Cancellarius Ducis Saxoniæ Electoris. Tunc enim erat ejus gener in decuria Scribarum, Leonardus Stetner Bavarus Frisingensis. Est ingenio oratorio, & scribendo ac dicendo eloquens, & in Jure diligenter versatus est; Et in decuria Scribarum præfuit negociis δικαστικοῖς, *judicialibus*. Is cupit maximè omnium inservire vestræ Reipublicæ, cepit enim eum aulæ satietas, & habet rem familiarem satis bene constitutam. Quare si IC^tum aliquem conducturi estis, hunc Doctorem Leonardum vobis commendo, teque rogo, de eo ut cum cæteris loquaris, valet ingenio, & in bonis causis firmus mihi ac fortis esse videtur. Deus te servet incolumem Ecclesiæ suæ & reipublicæ De cæteris nostris rebus scripsi nuper ad Vitum prolixe. Bene & fœliciter vale. Calend. Novemb. cIↃ IↃ xxxix.

✠ L.

S. D.

TUas literas mihi Paulus reddidit redeunti ex Torgau, quo eram subito evocatus, cum allatæ essent literæ Imperatoris Caroli de conventu Spirensi. Etsi autem in cæteris ille sic satis videtur contator, tamen περὶ τῆς διαλλαγῆς τῶν ἐκκλησιῶν, *de reconciliatione Ecclesiarum*, vult

vult agi subito. Iubet ut sexta die Junii simus Spiræ. Ea de re opinor Senatum vestrum etiam accepturum literas à nostro. Sed hæc gubernabit Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, &, ut gubernet, oramus. Hanc epistolam tibi reddet Matthæus Francus, quem judicavi idoneum esse ad erudiendos & exercendos adolescentes quos volebatis Paulo Ebero commendare. Quanquam autem Matthæus juvenis est, tamen scito gravitatem, fidem, eruditionem & diligentiam in omni officio tantam esse in eo, quantam omnino requiretis. Et pater vult eum dare operam Juri discendo, quare hanc conditionem libenter accipit, & tueri studebit. Commendo igitur tibi juvenem honestissimâ voluntate præditum, & bono judicio. De conventu Spirensi si quid audiero, paulo post scribam ad Vitum. Bene vale, Vir optime. Die x i Maii Anno cIↃ IↃ xL.

XLI.

S. P.

DEus pater liberatoris nostri Jesu Christi, & naturæ universæ conditor, servet te incolumem Ecclesiæ suæ, ac spero equidem reliquias in civitatibus bene moratis Deum servaturum esse, ne penitus extinguatur scintilla doctrinæ cœlestis, quæ utcunque adhuc, ut Johannes inquit, ἐν τῇ σκοτίᾳ λάμπῃ *in tene-*

bris lucet. Hac ſpe mea vota ad Eccleſiæ preces adjungo, ut Deus te & ſimiles viros bonos ſervet. Non ſæpe Eccleſia habuit vera ſtudia Regum, Pontificum, & Principum. Nam hi habent animos occupatos vel ambitione, vel aliis cupiditatibus. Privatæ familiæ magis & coluerunt Euangelium, & conſervarunt Eccleſiam, ut Eliam nemo Regum in Phœnice aut Syria excipiebat, ſed inops vidua, & manſit in ea familia veræ religionis ſtudium: Nam viduæ filius Ionas dicitur fuiſſe. Erant non ſolum privati, ſed etiam exules Abraham, Iſaac, Jacob, ita ſpero Deum nunc in tantis orbis tumultibus conſervaturum Eccleſiæ reliquias. Proinde te adhortor, ut æquiore animo & aliqua cum ſpe perferas labores & curas, quas ſuſtines in tuendis rebus bonis. Conventus hiſtoria adhuc quidem perbrevis eſt. deliberatur de ordine diſputationis. Meminiſti dictum Ariſtotelis; Beatas fore Reſpublicas ſi de artibus artifices judicarent. Nobis vero dati ſunt βραβευταὶ *arbitri* Equites & Canonici quidam alieni à noſtris ſtudiis, & hi habent Choragos, ut fit in Comœdiis, quædam, ut vocat Æſchines, περιτρίμματα τῆς ἀγορᾶς, *legulejos qui in foro ætatem contriverunt*. Deus adſit nobis. Bene vale. Wormatiæ 28 die Novembris cIↃ Ic XL.

LII.

LII.

S. D.

PUblici congressus nostri, ut spero, satis honesti fuerunt, postea decurrit Eccius privatim ad formulam, cum diceret aperte Granuelo, veram esse sententiam nostram, sed non posse obtineri apud suos, cumque postridie abiret Granuelus, postea nihil actum est, nec de formula auditum est nostrum judicium. Ita manfit res integra. Scio tibi & Ecclesiam & literas, & doctores Ecclesiarum esse commendatos. Ideo te rogo, ut places animos eorum, qui nonnihil succensent aut D. Osiandro, aut aliis. Erat profecto res dubia, de qua ipse in utramque partem diligentissime disputaveram. Nam statuere meum non erat, præsertim, si consilium θερμότερον *calidius* anteferrem. Dixit ille fortassis minus placidè, quam ego, sed tamen profuit ad rem diligentius deliberandam hæc ipsius oratio. Rogo igitur, ut & ipse boni consulas, & apud alios eum excuses. Bene & fœliciter vale. die 19 Januarii 1541.

LIII.

S. D.

DE Ecclesia, & ceteris negociis coràm fortasse brevi colloquemur. Nunc causam tibi adolescentis Hieronymi Pezolt com-

mendo. Is petit ſtipendium theologicum, quod ut impetret, valde te oro, ut iis penes quos eſt jus conferendi, commendes. Nam & ſano ac modeſto ingenio præditus eſt, & in ſtudiis bonarum diſciplinarum bene promovit. Probo ejus actionem etiam, & ſonum vocis. Quare cum ſpes ſit, Eccleſiis docendis idoneum fore, rogo ne ei deſis. Attulit mihi à te literas, cum primum huc veniret. Cum igitur te præcipuum habeat patronum, neminem habet alium, ad quem confugiat. Ac profecto judico, te etiam Reipublicæ benè conſulere in hoc ornando & adjuvando. Utinam poſteritati relinquamus cuſtodes doctrinæ cœleſtis graves, & moderatos. Talem fore hunc Hieronymum, ſpero. Bene vale. 7. die Martii 1541.

LIV.

S. D.

EGo vero, Hieronyme cariſſime, cum in curru ſedens, verſiculos illos, ut ſoleo, componebam, non de aliis, ſed de mea ignavia cogitabam, me ipſum taxabam: poſtea, ut fit, dum amicis impertio, miſi etiam Vito, ut tibi amanti ſtudiorum exhiberet. Nec te quicquam ἐπαχθὲς, *moleſtum*, ſuſpicari volo. Noſti ingenii mei ſimpliciratem καὶ ἀνήθειαν, *probitatem*. Manus luxatio me ſatis duriter exeruciat, & tarda eſt curatio. Burgundus medicus

dicus rationem sequitur dissimilem consuetudini Germanicæ, sed dum spes est obtempero. De negociis conventus nondum multa scribere possum. Existimo voluntatem Imperatoris non abhorrere à moderatis consiliis, sed intelligo Pontificios & Bavaros acerrimè pugnare, ne vera explicatio instituatur. Imperator ostendit, se delecturum esse suo judicio quosdam, qui de controversiis colloquerentur, & addidit disertè, velle se inquiri veritatem. Nunc concurrunt Pontificii, ut impediant delectum: Et audio præscribere novum articulorum ordinem: Primum volunt agere de sacramento corporis & sanguinis Christi, sit ne panis αἰνίττον σῶμα, ἢ ἀληθὲς, *figuratum corpus an verum*. Secunda quæstio erit de potestate ἀρχιερέως Ῥωμαίου, *Pontificis Romani*. Vides quo consilio hic ordo instituatur: sed certiora paulo post sciemus. Si vixero, Deo dante, veniam ad vos, ut citius ab illis saltibus discedam, qui meis Musis gratiam non bonam retulerunt. Vale fœliciſſime, Vir optime. Salutem tibi optant D. Cancellarius Franciscus, D. Plicardus, D. Cruciger. Ratisbonæ Anno cIↃ IↃ XLI.

LV.

S. D.

NIsi arbitrarer à legatis vestris acta conventus copiosè vobis perscribi, mitterem

ipse historiolam eorum, quæ hactenus intellexi acta esse, vel instituta potius, adhuc enim litigatur de exordio. Etsi autem video, non futurum, ut pertexatur VVormacienſis disputatio, tamen Cæsar his verbis usus est, se velle inquiri veritatem de dogmatibus. Ideo opus erit, adesse plures ex Doctoribus nostrarum Ecclesiarum. Brentium jam accersivimus, vellem & vestros adesse. Nam quotquot adsumus, Dei beneficio, decrevimus μὴ ἰδιοβουλεύειν, *non propriis inniti consiliis*, sed communicatis sententiis respondere, quod præsertim in Ecclesia fieri maximè decet. Rogo igitur, ut sis hortator, ut vel alios, vel Vitum huc Senatus mittat. Impendent disputationes, non, ut erat Ecciana VVormacienſis, ἐπιδεικτικαὶ, *ad ostentationem comparatæ*, sed profecto insidiosiores. Opus est igitur convenire plures, ut alii alios monere & adjuvare possint. Hac tota de re pro tua prudentia diligenter cogitabis. Bene vale. die 15. Aprilis 1541.

LVI.

S. D.

QUod me tam amanter invitastis, ut iter per Noribergam facerem, delector & amore tui, & benevolentia senatus, sed multæ sunt causæ, propter quas hoc tempore solitudines potius quæro, quam congressus frequentiores. Habeo animum primùm luctu occu-

occupatum propter eos, quos hoc tempore amisimus, Philippum & Clementem vestrum, addo etiam Mysnensem equitem, deinde novas sollicitudines circumferentem. Quoties hic curiam sum ingressus, cohorrui magnitudinem rerum de quibus erant deliberationes & periculorum molem. Nunc cohorresco. quoties animo intueor aulam, & cogito eas deliberationes, quæ secuturæ sunt. Ideo te rogo, Hieronyme carissime, & vir optime, ut boni consulas hanc meam profectionem, & senatui meis verbis agas gratias. Amicitiam nostram & opto & spero perpetuam fore, qua quidem in cœlo fruemur aliquando ἀπαλλαγέντες τῶν τυράννων καὶ τῶν σοφιστῶν, *liberati à Tyrannis & Sophistis.* Deum oro, ut det placidam, καταστροφὴν conventui. Benè & fœliciter vale. die 26 Julii. Ratisbonæ. Anno CIↃIↃXLI. Collegæ tuo salutem opto.

LVII.

S. D.

REmittit isthuc Anglicum infantem Lutherus, quem πτῶχος Anglus clam in ædibus Lutheri reliquit. Quid petat Lutherus ex ipsius literis intelligis. Rogo ut causam adjuves, ut puer in παιδοτροφείῳ alatur. Utinam tua & similium consilia valuissent de mittendis quam primum auxiliis in Pannonias, sed meministi illud vetus, οὐ νῦς ἐνὶ κενταύροισι,

Intelligentia non est Centauris, imo vero, οὐδὲν δίκαιον, ἢ εὐσεβὲς παρὰ κενταύροισι, *Nihil justum vel pium apud Centauros.* Etsi autem non mediocre periculum est Germaniæ à Turcis, tamen non frangamur animis. Servabit & propugnabit Deus Ecclesias suas. Hac spe & sustentemus nos & arma capiamus. Non erit quieta Monarchia, quam sibi Turca despondet. Bene vale, carissime Hieronyme, & Vir optime. Die 4 Octob. 1541.

LVIII.

S. D.

IMperator jusserat μετὰ τὰς διαλέξεις, *post Disputationes*, ut nos delecti expectaremus finem harum deliberationum. Quare etsi nostri dissentiebant, tamen volui indicare Palatino Friderico ὥσπερ βραβευτῇ *ut arbitro*, me revocari. Is, probato meo officio, rem indicat seu L. Gellio, seu Domino. Ita jussus sum manere. Habui graves causas, quare clam discedere noluerim, volo utrisque testatum esse, me ingenue & simpliciter agere in re tanta, quam ago, nec ad me pertinere σοφίσματα αὐλικά. Sedeo igitur domi, & versiculos compono, & si quid negocii restat, nec periculum, nec laborem defugio. Vesperi nos vocarunt Wirtebergenses, & jam Snepius illis promisit de me. Ioachimus nondum à fratre rediit. Sic expecto eum. Bene vale ὦ

λῶστε

λῶστε καὶ φίλτατε Ἱερώνυμε; *Optime & amicissime Hieronyme.* cIↃ IↃ XLI.

LIX.

S. D.

UTinam, Hieroyme optime, diu exercere, & tueri literarum & Evangelii studia possimus, quæ profecto existimarem Turcicam barbariem funditus deleturam esse, nisi hac unica consolatione sustentarer, quod scimus filio Dei curæ esse suas Ecclesias, & Evangelium. Atrocissimi rumores statim secuti sunt tuas literas. Nam aulæ nostræ certo significatum est, Tyrannum Turcicum ipsum adventare, & adducere multitudinem barbarorum infinitam. Quare petamus ab æterno Deo, patre liberatoris nostri Iesu Christi, auxilium & defensionem. De Adolescente Tuchero respondet Paulus, se & libenter tibi gratificari, & fideliter navaturum operam, ut adolescens recte erudiatur & exerceatur. Bene & fœliciter vale. d. 14. Iunii cIↃ IↃ XLII.

LX.

S. D.

ETsi arbitror tibi notum esse Hieronymum Schreiber / tamen si de ejus ingenio, eruditione, gravitate morum testes requiris, audire Schonerum & Vitum poteris. Planè ita judico, nec dexterius ingenium in hac schola esse,

esse, nec ullum ex Professoribus doctiorem esse in tota Philosophia. Scribit solutam orationem, & carmen fœliciter, tenet Mathemata, & Philosophos græcè legit expeditè. Cumque jam de Mathematica lectione hic deliberaretur, multi eam mandari Hieronymo cupiebant. Sed alter civis vester Erasmus Floccus petivit satis sedulo, & vel quia magis eget, vel quia studium adfinis habebat, lectionem obtinuit. Cum autem Hieronymus cupiat studiorum causa peregrinari, & patrimonium sustinere sumptus diutius non possit, orat, ut stipendium Medicum, quod Flocco hactenus dedistis, nunc in se transferatur. Certe si scissem hæc de patrimonio, etsi Flocci paupertate etiam movebar, tamen pro Hieronymo magis contendissem, cum hic de lectione ageretur. Et volente aula poteram anteferre Hieronymum. Nunc igitur oro, ut virtuti Hieronymi hoc tribuas, ut eum Senatui commendes, ac perficias, ut stipendium obtineat. Interdum soleo in his commendationibus adscribere, ut mea causa labores, etsi aliquid studii addere te volo mea causa, tamen scias, tantam vim ingenii, tantam eruditionem Hieronymi esse, tantam morum gravitatem, ut nulli justius collaturos vos stipendium existimem. Magno erit ornamento patriæ propter Doctrinam Mathematicam, propter quam civitas vestra omnibus eruditis ca-

rior

rior est. Quid? quod mores sunt ejusmodi, ut civem gravem, & dignum patriæ fore judicem: propter has causas mihi cum eo amicitia est, quæ utinam possit ei prodesse! Magnum me beneficium accepisse abs te judicabo, si Hieronymus impetrabit, quod petimus, & tu intelliges stipendium in hominem ingeniosum utiliter collocatum esse. Bene vale. die 13 Feb. cIↃ IↃ xxxxiii.

LXI.

S D.

SI aut ingenium Valerii Cordi, aut honestissimos mores, aut eruditionem in hac communi nostra Philosophia, aut diligentiam in inquisitione plantarum ignorares, longiori mihi oratione opus esse arbitrarer: sed quia scio, te non solum sapientem, sed etiam dextrum & candidum censorem esse ingeniorum, & alienorum studiorum, ero brevior. Intelligo autoritate publica istic, & tua oratione Cordo mandatum esse, ut compositiones Medicamentorum ad usum nostrorum myropoliorum conscribat. Etsi difficile opus est, tamen quia studium suum probare vobis cupiebat, operam suam vobis promisit. Sæpe mihi, mi Hieronyme, in mentem venit Pindari, qui quod Athenas supra reliquas civitates Græciæ laudasset, à Thebanis suis mulctatus est. Sed fuit hoc humanitatis Atticæ, quod

Athe-

Athenienſes eam mulctam ſolverunt: Nec vero bellicis laudibus, robore, opibus, ſed doctrina, & honeſtarum artium ſtudiis antecellebant Athenæ. Hæc judicavit Pindarus majora eſſe ornamenta quam res ceteras, quibus aliæ civitates florebant. Etſi autem in hac ſenecta mundi & Imperiorum confuſione fortaſſe nullæ ſunt ſimiles politiæ Græcis illis, tamen hoc res oſtendit, nunc quidem nullam eſſe urbem Germaniæ, in qua plus ſit honeſtarum artium, quam in veſtra. Ideo eam anteferre cæteris ſoleo, & opto, ut poſſeſſionem hujus laudis, quam tenuit jam aliquot ſeculis, diu retineat. Tibi vero aliquid debet patria, qui curas, ut Eccleſiæ quoque ornentur, & ut in civitate literæ colantur. Nunc igitur literatum hominem tibi commendo, teque rogo, ut ſenatui prædices non ſolum opus, quod miſit Cordus, ſed etiam egregias ipſius virtutes. Non enim dubito, quin delectentur boni viri, etiam ignari literarum, virtutis laude. Adjunxit autem Cordus ad doctrinam optimos mores, & ſingularem in omni officio diligentiam. Quantum autem artis ſit in Medico opere, etſi rarus nunc eſt in judiciis candor, tamen ſperat veſtros Medicos prædicaturos eſſe & probaturos has deſcriptiones, nec dubitat ſe bonis & eruditis ſatisfacturum eſſe. Quare te etiam atque etiam oro, ut librum Senatui offeras & perficias, ut intelligat Cordus,

dus, & voluntatem ſuam, & ſtudium vobis gratificandi, & hunc laborem Senatui veſtro probari. Id officium cum arti & doctrinæ, tum vero Cordo ipſi tribues, qui profecto propter virtutem dignus eſt, quem boni viri complectantur & adjuvent. Bene vale. Wittebergæ die Matthiæ Apoſtoli. Anno cIↃ IↃ XLIII.

LXII.

S. D.

QUid cogitari majus aut admirabilius poteſt, optime Hieronyme, hoc ipſo Dei opere, quod jam Eccleſia in his feriis præcipue celebrat, conjunctione videlicet divinæ & humanæ naturæ. Nec vero dubium eſt, hoc mirando fœdere teſtari Deum, verè nos ſibi curæ eſſe, verè nos à ſe diligi. Hac ſpe ipſum invocemus, & ab eo expectemus auxilium in omnibus periculis publicis & privatis. Me quidem nulla res alia ſic confirmat de providentia cogitantem, ut hæc ipſa hujus fœderis recordatio, ſeu conſideratio copulationis divinæ naturæ & humanæ. Scis autem & γάμον *conjugium* imaginem eſſe ejus conjunctionis divinæ & humanæ naturæ, quare nunc ad te cauſam defero amici, qui ambiens quandam puellam, tuam in ea re commendationem & interceſſionem ſibi plurimum profuturam exiſtimat. Ioachimus Λευκοπετραῖος, qui apud vos

vos docet literas, ambit, nescio, quam: Id enim ex Vito audies, teque orat, ut sis προθυμήτης, *parartus*. Nihil præscribo tibi, sed ubi totum negocium audieris, de tua sententia statues, ac si probabis consilium, pro tua summa humanitate adolescentem adjuvabis. Benè & fœliciter vale. die 9 Decembris. 1543.

LXIII.

S. D.

Χρηστὸς αὐὴρ κοινὸν ἀγαθόν ἐστι, *Vir bonus bonum est commune*, sic veteres Græci, qui humanitatis officia maxime omnium gentium intellexisse existimantur, dixerunt. Ac verè Dei donum est civem esse salutarem patriæ. Quare de te cogitans, Deo gratias ago, quod te ad juvandam Rempublicam vocavit, & te gubernat, ac precor, ut perpetuo tibi adsit Nunc tibi Hieronymi Besoldi honesti & eruditi adolescentis causam non magnam commendo. Scripsimus etiam ad Senatum, teque oro, ut juvenem bonæ spei, & in primis modestum commendes τοῖς ἐν τέλει, *magistratibus vel optimatibus*. Mitto tibi proximi edicti nostri pagellam. Nihil enim habebam nunc quidem aliud. In conventu fortassis unà erimus. Benè & fœliciter vale. Die natali filii Dei ὃ λόγος σαρκωθεὶς, *Sermonis incarnati*, Anno clo Io XLIV.

LXIV.

LXIV.

S. D.

SCis ipse pro tua sapientia quid potuerit à privatis hominibus, præsertim nostri ordinis, effici ad te liberandum. * Certè obsidem me libenter dedissem pro te latronibus illis, quicunque fuerint, qui te captum tenuerunt. Vota etiam ad Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi sedulo feci. Nunc Dei ipsius benignitate restitutum te esse honestissimæ conjugi tuæ, dulcissimis liberis, Ecclesiis vestris, studiis literarum, nobis omnibus, valdè lætor, & Deo æterno, patri Domini nostri Iesu Christi, qui te reduxit in domum tuam, gratias ago, eumque oro, ut te servet incolumem, ac regat, ut sis σκεῦος ἐλέους, *vas misericordiæ*, & salutare organon Ecclesiæ & patriæ, qua re nihil melius homini aut magis optari aut dari potest. Sis fœlix civis, ut fuerunt Ioseph, Samuel, Iosaphat, Elisæus, & similes gubernatores, quorum Deus ad salutem patriæ mentes flexit; non talis, quales fuerunt Pericles, Demosthenes, & alii quamvis laudati, qui cum Deum non nossent non profuerunt Ecclesiæ Dei. Tuum cursum ita Deus gubernet, ut gubernavit hactenus, ut sis & Ecclesiæ Christi, & universæ Germaniæ saluta-

* *Legenda, quæ de hac re scribit Camerarius in vita Philippi, pag. 206. & seq.*

ris. Bene vale. D. Luthero optarim te scribere. Datæ in æquinoctio autumnali, 1545.

LXV.

S. D.

MUlta nobis exempla ostendit Deus, quæ monent, ut non tantum humanis consiliis ac præsidiis defendi nos sciamus, sed petendum esse à Deo defensionem, & gubernationem. Te tuæ, alios suæ ærumnæ erudiunt. Nunc subito, ut olim dicebatur, πανικὸς θόρυβος, *panicus tumultus*, motus est. Cum nostri imparati essent, Lycaon bellum movet, & quidem magnum & firmum exercitum adducit. Non dubito quin Senatus vester singulis septimanis habeat certos nuncios. Hæc cum scriberem hic tantum initia sciebamus, arcem Steinberg occupatam esse, & magnam ditionis partem, Lycaoniam frustra oppugnatam, & Lycaonem ipsum jam reliquisse obsidionem; venisse vero Macedonem in Gundersheim cum exercitu. Deum oremus, ut servet Ecclesias, in quibus sonat vox Euangelii, & mediocre studium est disciplinæ piæ ac honestæ. Priusquam hæ literæ ad vos pervenient, ἀξιολογώτερα, *memoratu digniora*, habebitis. Mitto tibi Lycurgi dulcissimam orationem & alias quasdam pagellas. Certè Lycurgicam scio tibi propter veteres multas historias, quas recitat, & Euripidis versus jucundissimam fore.

fore. Bene vale & reſcribe. Dichtelius legit à mensâ quotidie, quem tua autoritate maxime judico in officio retineri poſſe. Vale. cIↃ IↃ XLV.

LXVI.

S. D.

QUod fauſtum & fœlix ſit, redit in patriam Doctor Eraſmus Floccus, quod quam dulce ſit, tu non ignoras, quem recens etiam in patriam reduxit Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cum autem homines doctos ſingulari ſtudio tuearis, quæſo te ut hunc quoque complectare. Magnum decus eſt conjungere omnes Philoſophiæ partes, quod hic facit. Non tantum laceram & mutilam Phyſicen profitetur, ſed adjungit ad hanc doctrinam de materia, alteram quæ de motibus cœleſtibus & de cauſis univerſalibus diſſerit, καὶ ἔχει φύσει μαντικήν, *& habet naturâ facultatem quandam vaticinandi.* Oro igitur, ut eum adjuves. Hîc metuimus Mezentii exulis conatus, qui ſollicitat copias in agro Bremenſi. ſed Deus reget Eccleſiam ſuam. De Dichtelio nuper eram reſponſurus, ſed tabellarius properans cogebat me abrumpere epiſtolam. Video non eſſe ſine ingenio, ſed nunc cum Paleſtricen didicit, neglexit Grammaticen & accerſivit ſibi aliquid ferociæ, ut ſolet fieri. Cum ſevere cohercetur, mediocriter diſcit.

Et promisit se facturum officium. Benè vale. 26. Septembris cIↃ IↃ XLV.

LXVII.

S. D.

CVm in Imperiis tanquam in turbulento hospitio collocatam esse Dei Ecclesiam sciamus, necessaria nobis Philosophia est, intelligere, quomodo tam tristes Imperiorum confusiones ferendæ sint, neque tamen deserere Ecclesiam, sed suo quemque loco juvare doctrinæ studia & disciplinam. Etsi igitur multi impetus sunt Principum in utraq; parte deplorandi, tamen eos ita ut tempestatum sæviciam feramus, ac interim nostro loco, sicubi est occasio, prodesse Ecclesiæ studeamus, & speremus Deum exitus gubernaturum esse, ut toties monet vox divina: *Comenda Deo viam tuam, & ipse faciet.* Precor Deum, ut regat nostrorum Principum consilia & in Lycaonio negotio & in aliis. Dux Prussiæ bono studio agnatorum controversias dirimere conatus est, ἀλλὰ οἴονται τινες κωλυθέντα γοητείαις αὐλικαῖς ἄπρακτον ἀπέναι. *Sed opinantur quidam ipsum impeditum incantationibus aulicis re infecta discessisse.* Nunc nova transactio instituitur. sed hæc omitto. De Scholasticis negotiis potius scribam. Dichtelius minus patiens est freni, quam debebat esse, etsi in meis ædibus modestus est, sed adversus Præceptorem est con-

contumax. Scribit ad me, ut hæc epistola, quam huic meæ addidi, ostendit. Aut igitur ad vos eum accersetis, aut alteri Præceptori commendandus erit. Si ab ipso composita est Epistola, ingenium ei non deesse apparet. Velim te deliberare utrum accersere eum velitis ad inspicienda ejus studia. Ea res curam & sollicitudinem ei circumdaret. Est hic adolescens Michael Chilianus, natus in urbe vestra ex Spalatini amita, bono ingenio præditus, qui petit stipendium, quo nunc fruitur Hieronymus. Valde te oro, ut hunc Michaelem adjuves, ut, cum Hieronymus relinquet, in hunc beneficium publicum conferatur. Mitto tibi versiculos, qui citantur in Lycurgica oratione, qui te de tuis ærumnis commonefacient, quas pro Patria & pro Ecclesia sustines. Mittam aliàs plura. Bene vale. die 12 Decembris. cIↃ IↃ XXXXV.

LXVIII.

S. D.

ET diligebat te Lutherus & semper de te amantissime honorificentissimeque locutus est. Scio etiam ardentibus votis tuam salutem eum commendasse Deo, cum latrones illi, qui te captum abduxerant, & ab honestissima conjuge ac liberis & à Repub. vestra abstraxissent. Memini eum magno animi motu, quod in corporis periculis non sæpe

faciebat, de tuo carcere loqui. Quare propter privatam amicitiam dolere te non dubito. Sed causæ publicæ multo plures sunt luctus communis. Verum pia vota conjungamus ac simul oremus Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ne relinquat nos orphanos, sed regat ipse Ecclesiam suam & politica Ecclesiarum hospitia. Bene & fœliciter vale cùm honestissima conjuge & dilectissimis liberis. die 25 Martii, quem scis existimari diem conditionis Adæ & assumptæ naturæ humanæ à Filio Dei & Passionis ejus. Deus te servet. Anno cIↃ IↃ XLV.

LXIX.

S. D.

ETsi iter ad conventum mihi Aula denunciaverat, tamen postea me retinuit, ne proficiscerer. Non judico subitam fuisse consilii mutationem. Sed quicquid est causæ, abesse me ab illis fucosis actionibus gaudeo. Amo, ut qui maximè, collationes opinionum cum doctis & candidis, amo etiam moderationem, nec ἀποτόμως, *præcisè*, inquiri in omnia volo. Sed illas conventuum σκιομαχίας, *pugnas umbratiles seu simulatas*, non amo. Oro autem Deum ut me gubernet ac juvet in hoc scholastico munere. De Dichtelio scribit Hieronymus. Dimiseramus eum ac literas amanter scriptas ei dederam ad te & ad Patrem.

trem. Melius enim adhuc de eo ſentiebam, quam nunc. Sed ipſe ſibi malè conſcius metu in morbum μελαγχολικὸν incidit, quo ſi extingueretur, benè cum eo agi exiſtimarem. Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti te ſervet incolumem & regat. Bene vale. die conjunctionis Saturni & Martis, cujus minas Deus nobis & Reipub. mitiget, ac ſervet aliquas Eccleſiæ, piorum ſtudiorum, honeſtæ diſciplinæ reliquias, ut promiſit, ſe etiam ſeneſcentem Eccleſiam geſtaturum eſſe. Benè & feliciter vale. 1546. Mitto tibi Stigelii verſiculos.

LXX.

S. D.

ETſi deſidero quædam in gubernatione ſtudiorum & diſciplinæ, quæ facile melius conſtitui poſſent, ſi Principes amarent Philoſophiam & virtutem; tamen Deo gratias ago, quod mediocria nunc quædam ſunt harum Scholarum vicinarum ſtudia, & ut ea gubernet oro, & faciat, ut quemadmodum in Æſchyli verſu (Supplic. ℣. 530.) dicitur, πειθὼ ἕποιτο καὶ τύχη πρακτήριος, *Suada ſequatur & fortuna activa.* Tibi autem, qui nunc liberatus peregrinationibus & curis legationum, domi manes, gratulor hanc tranquillitatem, nec tamen dubito, ſatis magnam negotiorum Vrbanorum molem te ſuſtinere, in quâ

& spero te feliciter serviturum esse Reipublicæ & εἶναί σε σκεῦος ἐλέους, *& te esse vas misericordiæ*, & ut sis, Deum oro. Genesin Filii tui consideravi, & video ἤθικὰ satis bona esse. Magna autem felicitas est ἦθη, *mores*, bona esse, etiamsi corpori aut fortunæ minitentur sidera. Et Deus non est Stoicus, sed mitigat causas secundas, ut sumus experti tu & ego. Vestrum Historicum Funccium doleo quædam narrasse minus circumspectè, qui si cogitaret Timæum ab Agathocle in crucem actum, stylum retraxisset. Bene vale. die XIV. Maii. cIↃ IↃ XLVI.

LXXI.

S. D.

DOnec Deus concedet, faciam hujus scholastici muneris operas studiosè, quas quidem etiam eruditius facere possemus, si non ita multis parergis Aula nos oneraret. Mihi crede, sæpè quanquam senex de fugâ cogito. sed brevi fortassis mors abrumpet has ineptas occupationes, ac spero Ecclesiæ nostros labores profuturos esse, etiamsi Imperiorum mutationes sævæ incident. Hac spe videmus Prophetas & Apostolas se quoque inter ruinas Imperiorum sustentasse. Quod ut tu quoque facias te hortor. Nam vides Imperia habere fatales conversiones. Cumque aula rideat nostram Philosophiam, facio quod Chorus apud Æschy-

Æschylum, (VII. Theb. ℣.242.) qui ait: σιγῶ, σὺν ἄλλοις πέσσμαι τὸ μόρσιμον. *Taceo, cum aliis patiar fatum.* Mitto tibi nugas novarum legum, sed addita est in fine conciuncula, quam fortassis non invitus leges. Si quid de Synodo Tridentina aut actionibus Reginoburgensibus habebis, imperties nobis. Bene & feliciter vale. Die 20. Iunii. 1546.

LXXII.

S. D.

ETsi, ut fit, in discordiis civilibus multa acciderunt his viginti annis, quæ nollem, tamen & studium doctrinæ illustrandæ in multis apud nos pium fuit, & multæ res rectè patefactæ sunt. Et hanc voluntatem gratam esse Deo scio. Hac me consolatione sustento, quicunque erunt hujus belli, quod nunc movetur, exitus. Nec dubito, mansuras esse aliquas doctrinæ sedes, etiamsi nostræ casulæ delebuntur, quas ut servet Deus etiam precor. Relinquet igitur Carolus imperfectum poëma, & causam præbebit majorum distractionum orbis terrarum. Sed hæc aliàs. Nunc tibi Franciscum Hispanum commendo, qui quia multorum audivit de tua excellenti virtute sermones, videre te voluit. Vir doctus est & gravis, & Philosophica quadam diligentia, prudentia & dexteritate actiones suos moderatur. Bene vale. Die Iohannis Bapti-

ſtæ, quo me cogitatione temporum & ærumnarum Zachariæ & filii & ſimilium, quos Herodes interfecit, conſolabar. Eadem te cogitatione erigito. 24. Iunii 1546.

LXXIII.

S. D.

SCio te virum doctum & ſapientem colligere omnia quæ ad levationem ingentis mœſtitiæ conducere videntur, quæ tamen omnia ad hanc ſummam referri neceſſe eſt, ut undecunque ortæ ſint hæ tempeſtates. Deo obediamus, nec dolore fracti ab ea deficiamus, imò etiam erecti fiducia Filii ipſius petamus mitigationem publicorum & privatorum malorum. Ad has cogitationes animum flecto, nec de cauſis nec de eventu multa diſputo, cum ſciamus in hac extrema mundi ſenectâ multo triſtiores Imperiorum confuſiones futuras eſſe, quam fuerunt antea. Dat genus humanum pœnas horribilium furorum, quas ut Eccleſiæ ſuæ & poſteritati mitiget Deus, ardentibus votis precamur. De iis rebus, quæ in Bavaria geruntur, poſt veſtras literas nihil acceperam, cum hæc ſcriberem. Perfidia ducum Heſſiacorum, qua ad Rhenum dimiſſus eſt Belgicus Exercitus, perſcripta eſt, & metuo ſimilia exempla. Proficiſcitur ad Vos quiſpiam qui ſpem habet impetraturum ſe eſſe munus Diaconi in Eccleſia veſtra. Bonus

&

& modestus homo est, quare eum tibi commendo. Nomen ei est Elias Hauschilt. Unde ei adfulserit hæc spes, ignoro. Bene vale. 16. Septembris cIↃ IↃ XLVI.

LXXIV.

S. D.

VEre, ut tu scribis, præter vota nihil consilii aut auxilii nobis reliquum est. Hanc igitur consolationem, quæ extat in historia Regis Iosaphat, teneamus, in quâ dicitur, Cùm nescimus quid agendum sit, oculi nostri te, Deus, intuentur. Inde petamus & expectemus Ecclesiæ & politiæ mediocrem κατάστασιν, *constitutionem*. Principes in utraque parte, cum in pace multa peccarint, quid facturi sunt armati, quocunque inclinatio fiet? Sed servabit interea Deus semen aliquod sanctum, ut Esaiæ verbis utar, etiam inter tumultus superiorum. Hac nos consolatione sustentemus præcipuâ. Deinde leniat dolorem hoc quoque, quod bono studio doctrinam de Filio Dei didicimus, & propagavimus, quo labore non alius ducendus est melior aut potior. Nunc palàm ferunt Mauricium occupaturum esse oppida nostri Ducis, & diœceseos Madeburgensis, qua de re fortasse prius certiora audies, quam hæ literæ ad vos pervenient. Bene vale 12. Octobris anno cIↃ IↃ XLVI. 100

LXXV.

LXXV.

S. D.

POst necem Socratis, Athenis exhibuit Euripides Tragœdiam de Palamede, in qua hi fuerunt versus:

Ἔκανέτε, κανέτε τὸν ἑλλήνων ἄριστον
Καὶ μηδένα βλάπτοντα δηδόνα.
Occidistis, occidistis Græcorum optimum
Et luscinam neminem lædentem.

Etsi autem multa sunt mea quidem & aliorum peccata, tamen Academia certè fuit luscinia non nocendi cupida. Multorum studia ritè gubernavit. Hanc nunc dissipari magis doleo, quam me ex meis sedibus expelli. Sed spero Deum redditurum nobis & Ecclesiæ hanc Scholam. Potuissent nostri mediocribus officiis tueri vicinorum benevolentiam, si cogitassent illud Sirachi: *ὥσπερ κόρην ὀφθαλμὸς τήρησον εὔνοιαν φίλου*, *ut pupillam oculi conserva benevolentiam amici.* Gratiam tibi habeo pro hospitio oblato. Etsi longius migrandum erit, omnino iter ad vos faciam. Benè vale. die recuperati templi Ierosolymæ, hoc est, 25. Novembris. 1546.

LXXVI.

S. D.

IN Esaiæ querela sunt hæc verba: *Iniquitates nostræ ut venti dissipaverunt nos.* Non ille fatum,

fatum, non physicas causas accusat, cum ruinam regni & scholæ Solymorum describit, sed scelera Principum & populi. Agnoscamus igitur & nos plecti propter nostra delicta, & à Deo veniam & calamitatum mitigationem petamus, leniamus etiam nobis communes miserias. Scripsi ad te de Georgio Majore. Nunc eo argumento literas mitto, quibus respondere poteris, missis tuis literis ad Philippum Gutspies, qua in re tibi non deerit Georgius Romer civis virtute præstans & tibi amicus. Postquam ex nostris nidulis expulsi sumus, Georgio Majori opus est alia sede, ac mallet Ecclesiæ in patria servire, nec dubito futuram ornamento Ecclesiæ vestræ. Nam & recte doctus est & in concionando disertus, & natura candida minimeque tincta felle, & amat tranquillitatem publicam, & tuis consiliis regi se patietur. Quæso igitur ut annitaris, ut istuc vocetur, si quis ei, ut arbitror, locus apud vos esse poterit. Scio te libenter bonis viris benefacere. Ideo spero te huic nostro amico non defuturum esse. Bene & fœliciter vale. Die 3 Decembris. Anno cIↃ IↃ XLVI.

LXXVII.

S. D.

OLim Mysos Homerus inquit hominum fuisse justissimos, quorum hi recentes Mysi,

Mysi, qui patriæ sunt ἀλάστορες, *furiæ*, & bellum civile accenderunt, quam dissimiles sint, res ostendit. Te scio, quanquam longius abes, quam nos, tamen & audire ea, quæ utrinque fiunt, & mente videre crescentes in utraque parte cupiditates & furores. Ioachinum velut ex incendio evasisse gaudeo, & Deo gratias ago, qui eum velut Loth eduxit. Ego quoque de fuga cogito. Erunt πυρφορίδες barbaricæ, quæcunque pars erit victrix. O tristem pœnam scelerum multorum veterum & recentium! Juves igitur nos piis votis, ut Deus iram mitiget. Bene vale. Die 23 Januarii, 1547.

LXXVIII.

S. D.

SAnctitas, pietas, fides, privata bona sunt, quâ juvat Reges eant, inquit Thyestes opinor in Tragedia. Omittamus ergo commemorationem eorum, quæ Reges agunt, ac nostra bona, sanctitatem, pietatem & fidem ipsi colamus & tueamur. Mitto tibi exemplum Ambrosianæ Orationis, in qua est disputatio contra Ethnicos, cujus lectionem non dubito tibi viro optimo & veritatis amantissimo, jucundam fore. Nuncius vester petit quiddam, satis ἀγροικῶς, *rusticè*. Sed ab hoc lunari genere non est requirenda Philosophia. Ego fortassis pecco, qui ineptam causam recepi,

cepi, sed mihi usitatius est amicorum causâ quam meâ peccare. Et fides hujus tabellarii nobis probata est. Ideo ineptæ cupiditati gero morem. Petit sibi munus aliquod ex ærario Ecclesiæ dari, quod adduxerit Diaconum, & de suo sumptus in eo itinere fecerit, in quo propter illius tarditatem segnius processerit, & postea damnum fecerit cum libellos, quos hic emerat, serius ad vos adferret, nec posset justo precio vendere. Habes querelam ex Euclione Plauti. Sed facies, quod pro tuâ prudentiâ videbitur decere. Interdum istis plebeiis adfectibus venia danda est, de quibus Plinius ait, qui vicia odit, homines odit. Bene vale & mihi ignosce. Die Natali Mariæ.

LXXIX.

S. D.

HÆc cum scriberem in die sacri nuptialis filiæ tuæ, miscebam cæteris curis & cogitationibus vota pro filiæ & generi & totius familię vestrę salute, totoq; pectore Deum æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi conditorem generis humani & autorem mirandi fœderis conjugum, oro, ut faciat, ut sit faustum, fœlix, tranquillum & fœcundum conjugium filiæ tuæ & generi, quem semper judicavi bono & placido ingenio præditum esse. Nunc & tibi & ipsi conjunctionem vestram gratulor. Venio ad argumentum tuarum

rum literarum. Quanquam etiam mea causa Senatus liberalitate delector, meque vobis debere gratiam profiteor, tamen magis propter Rempublicam gaudeo, civitatem, quæ una inter Germanicas virtute excellit, suscipere curam ruendi literas, & ad Posteritatem transmittendi, cum Principum Imperia horrendis ac tragicis exemplis ruunt. Quæ quanto cum dolore adspiciam, non possum ulla ratione exponere. Doleo Ecclesiæ causa, & cum de veteribus ac recentibus malis cogito, simul & nostra peccata deploro & irascor sceleri hostium, qui furias velut ex inferis evocatas immiserunt aulis harum gentium. Sed tamen inter hæc mala servaturum esse Deum Ecclesiæ suæ reliquias non dubito, meque hac voce Filii Dei sustento, qui inquit: τὰ πρόβατά μου τὴς ἐμὴν φωνῆς μου ἀκούει, κἀγὼ γινώσκω αὐτὰ, καὶ οὐ μὴ ἁρπάσῃ τις αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου, *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego novi illas, neque rapit illas quisquam ex manu mea.* Hanc vocem tibi quoque proponito & nos votis tuis adjuvato. Precemurque omnes, ut Deus posteris Ecclesiam servet, nec sinat extingui lucem Euangelii in genere humano. Ages autem gratias meis verbis Senatui reverenter, quo argumento & literas ad Senatum misi, quarum Exemplum rursus mitto. Tibi quoque gratias ago respicienti nos in hac fortuna, & coram meum consilium exponam. Utinam alicubi in hoc extre-

extremo actu vitæ meæ utiliter possim Ecclesiæ Dei servire in Republicâ honestâ, ubi procul absim à Cypselidis, ὃς ἐπιθυμία ἰωιοχεῖ μαργοῖς χαλίνοισι, *quos cupiditas aurigatur insanis habenis.* Bene & feliciter vale. ἐν τῇ ἡμέρᾳ nuptiarum filiæ tuæ, 1. Febr. 1547.

LXXX.

S. D.

CUm Thebas Alexander deleviſſet, vetuit exulibus Thebanis in Græcis civitatibus hoſpitium dari. Ibi civitas Attica, cum quidem & ipſa in metu eſſet, petivit tamen ab Alexandro, ut Athenis concederet recipere Thebanos exules: idque per Demadem impetratum eſt, laudataque eſt virtus civitatis Atticæ. Nobis fortaſſe magis iraſcitur hic Philippi filius Carolus, quam tum Thebanis iraſcebatur ejus ætatis Philippi filius. Sæpè enim poſtea Alexander confeſſus eſt, ſe dolere quod Thebas tam inclementer æquaſſet ſolo. Magis igitur civitatis veſtræ virtus prædicanda eſt, quæ mihi hoſpitium tali tempore offert. Atque utinam, ut antea in Academiola noſtra veſtrorum civium ſtudia mediocriter adjuvi, ita donec vivam, vel apud vos vel alibi, in Republica honeſta utiliter docere adoleſcentiam poſſim. Me ſatis diu excruciavit carnificina aulica. Ac ſiquis antea dubitavit ὁποῖαί εἰσὶν αἱ κυψελιδῶν ἀρχαί, „ *qualia ſint Cypſelidarum*

rum imperia, res gestæ hujus anni ostendunt, quantum ibi sit consilii & virtutis. Sed omitto hæc. Ago autem gratias Deo, quod Senatus vestri voluntatem exsuscitat ad tuenda literarum studia. Et cum Senatui, tum vero etiam tibi gratias ago, quod hospitium nobis offertis. Scripsi Epistolam ad Senatum, cujus exemplum tibi mitto, ut cum legeris, statuas an Epistola exhibenda sit: si probabis, quæso ut exhibeas. Meam familiam in hac vicinia adhuc manere malle video. Ego autem ad vos aliquando post exspatiabor, ubi de cæteris rebus coram colloquemur. Advenit nuncius Andreas adferens epistolam eodem argumento scriptam, quo erat prior, quam attulit hic tabellarius, cui hanc epistolam dedi. Joachimus Erphordiam profectus erat, cum nuncii vestri venissent. Sed utrunque jubebo ire Erphordiam. Filiæ connubium ut sit faustum & fœlix & tibi jucundum, faciat Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor humani generis & autor dulcissimi fœderis conjugum, qui promisit etiam piorum posteritatem sibi curæ fore, ut scriptum est, *Generationi rectorum benedicetur*. Quod in illo Græco versu dulcissime recitatur, εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῴια, δυσσεβέων δ' οὔ, *Piorum liberis meliora, non impiorum*. Nota sunt tibi quæ de conjugii sanctitate divinitus tradita sunt, quæque sapientum literis recitantur. Sed ego sæpissimè

cogito

cogito dictum, quod Aristoteles in Oeconomicis ait à Pythagora traditum esse, duci sponsam ab ara ad sponsum, tanquam ἱκετίδα, *supplicem*, ut meminerit leges περὶ ἱκετῶν, *de supplicibus*: ἱκέται ἱεροί τε καὶ ἁγνοί, *supplices sancti sunt & intemerati*. Et sciat scelus esse, quod singulari nemesi Deus punit, adficere injuria sponsam. Hanc collationem ad ἱκετίδας valde amo. Sic vere est Ecclesia ἱκετὶς sponso Christo. Et sapiens maritus imbecillem conjugem, ut ἱκετίδα complectitur, & scit ἱκέτας Deo curæ esse. Erunt igitur & filiæ nostræ Deo curæ. Hac de re scribam ad sponsum copiosius per Andream. Bene vale. die Febr. 23. Anno 1547.

Georgii Majoris epistolam mitto, sed quæso ut res integra maneat, donec potero cum Georgio colloqui.

LXXXI.

S. D.

VErsiculi sunt in Ajace Sophoclis, quos cogitans de Germania & de Aularum Sophistica paululum mutatos ita recitare soleo.

Ὅπου σοφισμάτων γέμουσιν οἱ ἐν τέλει
Ἔχθρας τ' ἰδίας ποιοῦσι πλείονος περί
Ἢ τὴν τεκοῦσαν παδρίδα ἠδὲ τὸν θεὸν
Ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ πότε
Ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν εἰς βύθον πεσεῖν.

Vbi sophismatis abundant magistratus
Et privatam inimicitiam majoris faciunt,

Quàm patriam quæ peperit & Deum,
Hanc existima urbem tandem
Ex secundo cursu in profundum ruituram.

Meministi me sæpe & queri & fremere cùm viderem nostros nolle Patriæ auxilia promittere, nisi pactione nescio quarum rerum. Hæc artificia indigna Heroico genere, unde oriantur, non libet dicere. Etsi autem ipsi sibi fata canunt, & rerum mutationes accersunt, tamen speremus Deum Ecclesiæ reliquias servaturum esse, & piis studiis præbiturum hospitium alicubi terrarum. Urbes vestras spero Deo curæ fore, in quibus non temere lucem Euangelii Deus spargi voluit. Principum Potitiæ minantur ruinam. Quare forti animo & bona cum spe perferas labores, quos sustines. Hac ego spe etiam has Scholasticas operas facere pergo, & me in aulam non vocari gaudeo, cui scio meam Philosophiam invisam esse. Sed hæc omitto. Non solum Imperia labant, sed etiam hæc rerum natura in hac mundi senecta, quasi defessa languidior est καὶ συγενάζει τῇ ἐκκλησίᾳ, *una ingemiscit cum Ecclesia*, metuo accessuram famem ad bella. Oremus Deum, ut mala publica mitiget. Ioachimum Leucopetreum jussi ad te scribere. Hieronymum Schreiber tibi commendo, de quo tardius nos petiisse magnopere doleo. Certe melius in hujus ingenium collatum fuisset publicum beneficium. Mitto tibi duas breves con-

conciunculas. Bene vale. die xv. Martii, cIↃ IↃ XLVII.

LXXXII.

S. D.

ETsi mihi seu propter mediocria studia literarum, seu alia quædam officia cum multis amicitia est in magna parte Germaniæ, tamen profecto nullorum amicitiam pluris feci annos circiter viginti, quam tuam & Joachimi. Non aliorum hominum nomina mihi dulciora fuerunt, nec ullos dilexi ardentius. Ac sæpè de æternæ vitæ consuetudine cogitans, lætabar ibi nos una futuros esse, & quidem de ea doctrina assiduè collocuturos, quam hic inchoassemus. Quodque decet homines doctos, hanc nostram amicitiam ad publicam utilitatem, donec potuimus, retulimus. Nec mutabunt ulla tempora hunc meum erga vos animum. Nec vos statuo benevolentiam erga me vestram mutaturos esse, propterea, quod nostra Argo, quam male vexerunt Argonautæ nostri, me quoque simul oppressit. Quorsum hoc exordium inquis? Lachrymis impedior ne plura addam. Literæ tuæ proxime non solum Vito, sed mihi quoque irasci videbantur. Suspicaris me aliquorum sermonibus retentum esse, quo minus istuc venerim, qui dubitarint de fide civitatis vestræ. Ego vero cùm tibi responderem, in

illa noſtra ſolitudine Serveſtana fui, ac ne potui quidem cum aliis deliberare. De mea ſententia candidè nihil mali ſuſpicans reſpondi. Imò cogitans de civitate veſtra veterem verſum, qui his verbis laudat Atticam civitatem,

Ὅτι οἶκτειρεῖν οἶδε μόνη πόλεων,

Quia miſereri novit ſola urbium.

habuique cauſas mei conſilii tres præcipuas. Oneri amicis eſſe nolui, nolui procul à collegiis diſcedere, metui ne ſiquis in cõcionibus vehementius loqueretur, ſuſpicaturos eſſe aliquos, me incitatorem eſſe. Ceſſi igitur tempori, meque in his jugis Harcyniis abdidi, etſi nullorum hominum conſuetudo mihi dulcior eſſet, quam veſtra. Hæc cùm ſint vera, te oro nequid ſecus ſuſpiceris. Vito ſemper hortator fui, ut tuis conſiliis pareret: deinde non tantum Vitum, ſed omnes Principes & Doctores ſæpe oravi, μὴ πολυπραγμονεῖν καὶ πολλὰ νοσήματα πολιτικὰ πράως φέρειν, καὶ μὴ εἶναι φιλομερεῖς ἐν πολιτικοῖς πράγμασι, *ne ſint curioſi, & ut multos morbos politicos patienter ferant, neque proni ſint ad quiritandum in negotiis civilibus.* Ac vehementer dolui multos Doctores de politicis negotiis certamina movere, qui in dogmatum explicatione muti ſunt. Nunc te oro rurſus ut Vitum complectare. Scripſi ad ipſum quoque, ne ſe à te ſejungat. De Milichio te adhuc oro, ut quantum me amas, in eo juvando labores. Magis in hac noſtra miſeria, amicorum

rum causa quam mea sollicitus sum, teque oro propter Deum, ut hujus curæ partem mecum suscipias. κοιναὶ δὲ φίλων ἄχη, *Communes sunt amicorum luctus.* Georgius Major ideo huc adduxit familiam, ut hinc ad vos proficisceretur. Sed pericula itinerum longiorum eum retinuerunt. Cætera ipse scribet. Bene vale & rescribe. 3. Iulii, Northusæ. clo Io XLVI.

LXXXIII.

S. D.

ET collegis meis & mihi gratissima fuit Epistola tua, in qua significas, te non improbare studium nostrum de Academiæ restauratione, quod à multis reprehendi scimus. Sed non tam horum moveor sermonibus, quam vereor conatus nostros irritos fore. Multa enim sunt impedimenta. Non habuimus prædia, nisi admodum pauca, in quibus jam ipsius Caroli Imp. tentorium fixum fuit. Reliqua pecunia ex aula quotannis mendicanda fuit. Nunc nova aula difficulter pendet. Certe hanc sedem doctrinæ servari prodesset Ecclesiæ. Et conjunctio nostrorum collegarum mediocriter juvit studia multarum gentium, ut res ostendit. Oro autem Deum, ut alicubi doctrinæ domicilia servet, nec sinat lucem Euangelii & alias artes utiles vitæ deleri. De Laurentio, si recte intellexi tuam Epistolam, significari tibi voluisti, an historia sit ἀξιόπι-

ς&, *fide digna.* Est omnino. Extat enim apud Ambrosium in libro officiorum & apud Prudentium, qui præconiis Martyrum titulum fecit, περὶ στεφάνων, *de Coronis*, quia victorias celebrat, & mos fuit coronari victores in Olympiis & alibi. In his præconiis Hymnus est integer, recitans certamen & supplicium Laurentii. In Codice Aldino pagina 99. ubi hi versus sunt Præfecti postulantis thesauros Ecclesiæ proferri:

Quod Cæsaris scis, Cæsari da, nempe justũ postulo.
Ni fallor, haud ullam tuus signat Deus pecuniam.

Vides nec illi ætati defuisse acumen Jurisconsultorum. Nam tunc quoque astutè distinxerunt inter quæstionem de doctrina, & quæstionem de opibus. Constat opum dominum esse Imperatorem, inquit hic Præfectus. Da igitur Cæsari quæ sunt Cæsaris. Ita nunc ajunt, Constat, spoliatos ante omnia restituendos esse. De doctrina postea viderit Synodus. Nec ego nunc ista recito, ut omni culpa liberem eos, qui Ecclesiarum prædia occuparunt. Sunt omnino multa magna peccata Principum, docentium, populi, mea & aliorum in utraque parte. Sed tamen primam esse curam doctrinæ oportuit. Deum autem oro toto pectore, ut mitiget horribiles pœnas Germaniæ, & servet Ecclesiæ suæ reliquias & aliquas honestas Politias, & in his vestram, & te & honestissimam conjugem tuam & dulcissi-

cissimos liberos tuos. Bene vale. Calendis Septembris, Anno cIↃ IↃ XLVII.

LXXXVI.

S. D.

QUod non abjicitis deliberationes de Ecclesia in tanto bello, pietas vestra Deo grata est, & animorum firmitas laude digna. Etsi autem nondum belli finis est, tamen non dubito gemitus Ecclesiæ vestræ exaudiri à Filio Dei, qui inquit, *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.* Vidimus humana præsidia incerta esse. Quare oremus Deum, ut ipse pacem restituat & protegat familias nostras, sicut inquit, *Liberavit pauperem, cui non erat adjutor.* Adfert nuncius literas ab Aurifabro, sed quia judico copiosius scriptam esse epistolam quam ad me misit, hanc etiam vobis mitto. Existimo autem deliberationem vestram differri posse. Mitto vobis pagellas meo more. Bene vale. Die undecimo Octobris cIↃ IↃ XLVII.

LXXXV.

S. D.

ETsi artificiis hominum certorum plane Sinoniis nunc quidem civile incendium in his regionibus excitatum est, quod Deus restinguat, tamen hujus mali veteres causæ multæ sunt, quas sæpe deploravi, nunc commemorare

morare non neceſſe eſt. Deum potius oro, ut in hac confuſione Imperiorum ſervet Eccleſiam ſuam & alicubi ſtudiis tranquilla hoſpitia concedat. Hinc expellunt nos illi ipſi, qui ſe gerere arma doctrinæ cauſa profitentur. Proficiſcitur ergo Hieronymus ad vos, quem propter eximiam in omni officio diligentiam & moderationem complecti & ornare te velim. Si quam ſcholam iterum habituri ſumus, ad nos remitti eum etiam mea cauſa optarim. Animadvertes recte eruditum eſſe & judicii dexteritatem probaturum te eſſe ſpero. Bene vale. Die omnium ſanctorum. 1547.

LXXXVI.

S D.

UT ſi in una urbe viveremus, non acquieſcerem magis in ullius conſuetudine & ſermonibus quam in tuis, ſeu lætis ſeu triſtibus temporibus: ita nunc cum aliter non poſſumus, per Epiſtolas tecum quam libentiſſime colloquor. Etſi autem narrationes ſeu hiſtoriæ congruunt tempori, tamen hanc ipſam ob cauſam, ut mutuis officiis communem dolorem leniamus, ſæpius colloquamur, ſcis enim veteres verſus:

Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει.
Παῖς παιδὶ καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνὴ,
Νοσῶντ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξία
Ληφθεὶς, ἐπῳδός ἐστι πειρωμένῳ.

Senex

Senex ſeni linguam ſuaviſſimam habet,
Puer puero, & fœmina accommoda fœmina
Et vir ager agro, & infortunio
Oppreſſus, incantator eſt illi qui tentatur.

Vide autem in poſtremo verſu, quam illuſtri verbo uſus ſit, cum conſolationem aut commonefactionem amici experti ſimilem caſum, apud amicum conflictantem duriore fortunâ, vocat ἐπῳδάς, *incantationes.* Deinde in his Eccleſiæ miſeriis faciamus quod mulieres faciebant, Filio Dei mortuo, quæ conveniebant, ut ſocietate lachrymarum mœſtitiæ communi mederentur: deinde remedia etiam, quamvis inutilia, apparabant: Ita nos, quod in dolore juvat, una lugeamus, & diſputemus de remediis. Interea enim, ut tunc fiebat, reviviſcit tamen Filius Dei. Nec illa ſtulta ſedulitas mulierum prorſus inutilis erat. Nam dum concurrunt, dum remedia adferunt, oſtendit ſe eis Filius Dei, eaſque vera conſolatione erigit. Ita non dubito, nobis ſe Filium Dei oſtenſurum eſſe, ſi mediocri ſtudio noſtram conjunctionem tuebimur & Eccleſias piis conſiliis fovebimus. Ego jam publicè trado refutationem errorum τῶν τελαίνης ὠιδῶν, *Synodi Tridentinæ.* Nec ſophiſticè diſputo, tanquam omnia quæ illi dicunt, everſurus, ut ſolent φιλόνικοι, *contentioſi*, ſed amplector, quæ rectè dicunt, falſa graviter refuto monſtratis γοητείαις, quas mira arte miſcent de-

decreto suo. Te oro, ut cum plura decreta ad vos mittentur, exempla mihi describi cures. Arbitror enim eò nunc properaturos esse illos Areopagitas, quia Carolus ostendit se, quod legibus Atticis non concedebatur, iisdem de rebus novam disputationem in Synodo frequentiori instituere velle. Etsi id quoque ut alia multa, simulari existimo. His de rebus suas exspecto literas.

De negotio Carpophori etiam atque etiam te oro, ut sis hortator, ut tutores Holtzschueri, quod æquum est, solvant. Mitto tibi exemplum Dialectices, non quod has nugas à te legi vellem, sed quia nunc alia jucundiora, quæ mitterem, non habebam. Bene & fœliciter vale. Conjungamus vota ad Deum, ut servet aliquam sibi Ecclesiam & semen sanctum inter nos, & leniat publicas & privatas miserias. Et hæc statuamus non fore irrita. Iterum vale. Die Brumæ, cIↃ IↃ XLVII.

LXXXVII.

S. D.

AManter facis, quod & toties scribis, & ea quæ sunt in Republ. κορυφαιότατα, *excellentißima vel maximi momenti*, significas. Etsi enim mederi tantis malis non possumus, tamen colloqui Ecclesiæ cives & omni officii genere tueri conjunctionem utile est. Id ipsum quoque levatio quædam est & dolorum

&

& miseriarum. Nam donec eadem vox in Ecclesiis sonat & quædam in conspectu est Ecclesiæ consentientis species, & invocatio non impeditur, portum aliquem habent animi in quo acquiescunt. Etsi autem magnæ sunt & tristes Imperiorum confusiones & impendent aliæ tristiores, tamen non dubitemus Deum reliquias Ecclesiæ suæ & semen aliquod sanctum, ut Esaiæ verbis utar, servaturum esse. Audio deliberationes esse de Ecclesiarum statu, qualem interim, ut loquuntur, toleraturus sit Imperator, donec Synodus pronunciabit. Et erit fortasse decretum hoc προοίμιον τῆς συνόδου, *præludium decreti Synodici.* Sed mihi recens quidam prædictiones misit, in quibus scribitur Synodum futuram esse anno post hunc altero. Prius autem in alio conventu deliberationes περὶ τῶν προβλημάτων fore. Utinam vera de Ecclesiis deliberatio institueretur. Sed id cum à nostris, qui præse ferebant studium veritatis, impetrare non potuerimus, tum cum mediocriter florerent, quid nunc ab hostibus veritatis expectari potest? Sed Deus mirandis modis inter tantos fluctus suam Cymbam servabit. Bene & feliciter vale. 17. Cal. Febr. 1548.

Cornelio Sittardo Medico, viro πολλῶν ἀνθρώπων ἀξίῳ ἄλλων, *multos alios præcellenti*, salutem opto.

LXXXVIII.

LXXXVIII.

S. D.

ITa semper existimavi, ὅπτασιν tragœdiæ hujus temporis fore bellum Helveticum, cujus classicum esse proscriptionem Constantiæ omnes opinor judicare. Nec Saxonia quieta erit. In his tantis tumultibus, ut Deus servet Ecclesiæ suæ reliquias, nec sinat ubique barbaricam vastationem fieri, omnes ardentibus votis eum oremus. Dialecticum libellum nondum misi, quia jam editio secunda, quæ erit emendatior, adornatur. Habui enim in quibusdam materiis δευτέρας φροντίδας, *secundas curas*. Nugæ sunt, sed quid agam aliud? Et tamen cùm posteritati servire nostri labores debeant, & speremus mansuram esse, existimo talium librorum lectionem utilem fore adolescentiæ, meque illa Paulina voce consolor, quæ dicit, ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἐστὶ κενὸς ἐν κυρίῳ, *labor vester non est inanis in Domino*. Eandem tibi quoque consolationem in tuis laboribus honestissimis proponito. Benè vale, & interdum ad nos scribito, ut dum possumus colloquamur. Conveniemus autem aliquando post in Academia cœlesti. Libellum tibi dicatum de Anima retexere cogito. Iterum vale. anno ɔlɔ lɔ XLVIII.

LXXXIX.

LXXXIX.

S. D.

DEum æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti oro, ut Eccleſiam ſuam, Politias, quæ ſunt Eccleſiæ hoſpitia, te & honeſtiſſimam conjugem, & dulciſſimos liberos & recens natam filiolam ſervet, teque hortor, ut quantum potes, animum à dolore abducas, & in domeſtica morum ſuavitate acquieſcas, & de tuo erga liberos amore cogitans, ſimul cogites ſimilem & multo ardentiorem in Deo στοργὴν eſſe erga nos. Impreſſit enim hanc ſuæ mentis ſimilitudinem nobis. Erit igitur ei curæ, ut inter tumultus Imperiorum Eccleſiæ ſerventur & habeant aliqua hoſpitiola, quæ tamen in hac mundi ſenecta ſqualidiora fore prædixit. Quæſo ut ſtipendium quod hactenus dediſtis Philippo Piſcatori, nunc in Johannem Kleinavum adoleſcentem bonæ ſpei, notum Vito, transferatis. Marcellus qui eum privatim erudiit, probat ejus ingenium & mores. Mitto geneſin filiolæ. ſed Deus conditor naturæ κρᾶσιν, *temperiem* confirmet. Bene vale. Die 13. Auguſti.

XC.

S. D.

MUltis conjecturis ratiocinor totum Poëma, ἐν μεταξύ, *Interim*, ortum eſſe non ab Im-

Imperatore Carolo, ſed ἀπὸ τοῦ μαργίτου, qui multos jam annos ſomniat fucoſas & non duraturas conciliationes. Ne ego quidem de omnibus quæſtionibus, quæ in hac turbulenta ætate motæ ſunt, pugnandum cenſeo, & multas conſulto abjeci. Sed tamen in tanta confuſione diſputationum aliquæ res neceſſariæ motæ & illuſtratæ ſunt. Repetivi his diebus ſæpe ingemiſcens integram doctrinam περὶ μετανοίας, *de pœnitentia*, in publicis prælectionibus, propterea quod Synodus Bononienſis, quam video audaciorem eſſe τῆς ἐν τριαίνῃ σηλλεχθείσης, *illa quæ Tridenti congregata eſt*, & veteratoria & impia decreta fecit περὶ μετανοίας καὶ μυστηρίων δείπνου κυριακοῦ, *de pœnitentia & myſteriis Cœnæ Dominicæ*. Sed expecto τὸ μεταξύ, quod cum prolatum fuerit, novas fortaſſis Eccleſiarum & Scholarum diſputationes faciet. ἀλλὰ ταῦτα πάνυ μόνου θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται, *Sed hæc planè in Dei ſita ſunt manibus*. Gentem Saxonicam non dubito magnum bellum geſturam eſſe, quod Deus gubernet. Et huic genti præcipuè ſignificavit congreſſus Saturni & Martis in Ægocerote. Mitto tibi pagellas, & brevi mittam hiſtoriam Gentis Iudaicæ contextam ab Ebero, à reditu ex Babylone uſque ad excidium Solymorum. Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti conditor generis humani & Eccleſiæ ſuæ, qui ſe patefecit miſſo filio, ſervet te incolumem & te regat. Bene vale. Die verni æquinoctii 1548.

XCI.

XCI.

S. D.

SIt igitur ἱερὰ ἄγκυρα, *sacra anchora*, vox Filii Dei : *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*, quoniam videmus Ecclesiæ deesse humana præsidia. Et conventus, quem Augustæ futurum esse ajunt, rursus magnos tumultus excitabit, de quo siquid audisti significa. Nunc tibi hunc Jacobum doctum hominem commendo, quem quidem tibi notum esse intelligo. Et scio te libenter opem ferre familiis eorum, qui fideliter docuerunt. Addo autem hoc testimonium de isto, præclare eum profeciisse in Philosophia & doctrina Ecclesiæ. Et offert suam operam Ecclesiis vestris. In Saxonia nulli sunt adparatus bellorum διὰ τὴν ἀπορίαν νεύρων πολέμου, *ob defectum nervi bellici*. Bene & feliciter vale. Filius Dei servet te & Ecclesiam tuam domesticam & publicam. Die 17. Aprilis, cIↃ IↃ XLVIII.

XCII.

S. D.

NOstra dissidia & audaciam & potentiam eorum, qui adversantur Ecclesiis nostris, confirmarunt. Nec miror Imperatorem, cum videret dissimiles esse in Suevis Ecclesias vestræ, proponere formam, de qua cum adhibeat in consilium suos quosdam homines,

etiamsi moderationem quæri voluit, tamen nunc quædam imponuntur nobis, quæ multi non recipient. Hæc igitur conciliatio novas distractiones pariet. Arbitror autem te scire velle, quid judicem de illis decretis, quæ tantopere laudat ὁ μαϱγίτης. In loco περὶ δικαιοσύνης, *de Iustificatione*, non dubium est imposturam esse. Sic intelligunt dictum πίϛει δικαιούμεθα, *fide iustificamur*, id est, præparamur, ut aliam rem accipiamus, qua VERE deinde justi simus. Hæc cum sit sententia in illa nova formula, miror jactare τὸ μαϱγίτου, recipi sententiam Ecclesiarum nostrarum. Monui quosdam qui deliberationi illi interfunt. Sed dicunt me ἀκϱιβολογίαις διορύττειν τὰς συνθήκας, *praecisis determinationibus perfodere fœdera*. Hæc tibi significo, ut cum liber proferetur, eum locum attentè consideres. Cætera περὶ ἐπικλήσεως θανόντων, *de invocatione Mortuorum*, & de inferiis, & alia quædam etsi belle sunt picta, tamen qualia sint, pii omnes sine monitore vident. Deus servabit cœtus aliquos suos & semen sanctum, ut servavit, oppressa Ecclesia in Iudæa regnantibus Sadducæis & Pharisæis. Paulus Eberus editurus est historiam contextam à reditu ex Babylone usque ad excidium Ierosolymorum, quam, quia est imago horum temporum, nunc legi utile est. Tuas literas exspecto. Bene vale. Mitto tibi pagellas, ac spero initia enarrationis Symboli Nicæni tibi placitura esse. 1548. XCIII.

XCIII.

S. D.

UT Philoxenum Syracusanus ille in Latomias duci jussit reprehendentem Tragœdiam, ita nunc in periculo sunt, qui non applaudunt Augustano Poëmati, & mihi suadent multi, ut fugiam. Etsi hic sum ὥσπερ ὄνος ἐν πιθήκοις, *ut asinus inter simios*, inter aulicos sapientes, tamen hactenus mansi, cogitans illud dictum, αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠριθμῶνται, *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*, meque & Ecclesiam Deo commendo. Nec profecto minus crucior cogitatione causarum, unde hæc mala orta sunt, quam eventuum. Te autem adhortor, ut dolori tuo repugnes & hac te spe sustentes, quod certum est Deum Ecclesiæ suæ non defuturum esse: Imo & pias familias servaturum esse, ut scriptum est, *Generatio rectorum benedicetur.* Bene & fœliciter vale. Mitto tibi Hieronymi vitam. 3. Augusti, 1548.

XCIV.

S. D.

NUllas occultationes, nihil simulatum in mea amicitia esse volo, etiamsi εἰρωνεία, *dissimulatio* alicubi virtus esse dicitur. Sint inter nos potius, ut veteres dicebant, γυμναὶ χάριτες, *nudæ Gratiæ.* Tuam epistolam scriptam ad

Islebium, nec reprehendi nec dignam esse reprehensione unquam sensi, quod multi testes esse possunt, amantissimi tui, qui adfuerunt, cum primum vidi, & meos sermones audiverunt. Adferebatur enim, cum forte sederemus ante meas ædes, Camerarius, Milichius, Erasmus Mathematum Professor & ego. Sed hæc omitto. Ne Senatum quidem vestrum accuso. Fontes harum ingentium & horribilium calamitatum Ecclesiæ alii sunt, quos sæpe deploro, videlicet τῶν διδασκάλων καὶ στρατηγῶν πλημμελήματα, *Doctorum & Ducum bellicorum errata*, ac sæpe cogitavi vetus illud Oraculum de Athenis, quod Musæo tribuit Pausanias,

Καὶ γὰρ ἀθηναίοισιν ἐπέρχεται ἄγριος ὄμβρος
Ἡγεμόνων κακότητι, παραιφασίη δέ τις ἔσται;
Nam Athenienſibus ſupervenit immanis imber
Ducum malitiâ, quænam autem erit conſolatio?

Erit autem Deo nos sustentante παραιφασίη τις. Relinquo Politicis gubernatoribus sua consilia. Nos vero qui custodes esse doctrinæ debemus, retinere decet doctrinæ puritatem. Dicam igitur de rebus necessariis eadem quæ dixi antea modestè, & feram, si quis me casus opprimet. Nuper ὁ γυπαίετος, *Aquila* de nostra deliberatione expostulavit cum nostro. Sed Deo me commendo. Die 16. Septembris. 1548.

XCV.

XCV.

S. D.

HAnc epistolam scripsi die 16. Octobris, quo ante annos 1868. interfectus est Demosthenes, cum triduo ante interfectus esset Hyperides. Quorum virorum ingenia in qualibus contentionibus consumpta sint, non ignoras. Ac exempla quidem talia, & monent, sæpe falli humanam sapientiam, & hortantur, ut fugiamus civilia certamina. Sed scis nos cogi voce divina, ut quantum suo quisque loco potest, aliquid operæ & studii conferat ad conservandam Ecclesiam Dei. Qua in statione cum te quoque Deus collocarit, forti animo feras eas difficultates, quas ferri necesse est, nec dubites Filium Dei tibi adesse. Mitto vobis pagellas meo more, etsi scio te antea Græcam legisse Lycurgi Orationem dulcissimam. Nec ideo verti, ut Latinè potius legeretur, sed ut tyronum studia juvarem. Bene vale & rescribe. Filia Regis Anglici maxima natu scribitur mortua esse. Die 18. Octobris, ɔlɔ Iɔ XLVIII.

XCVI.

S. D.

MEministi Jolaum suscipientem tutelam liberorum Herculis, hac se ipsum voce

in re difficili excitare & confirmare, * ὁ μὲν δίκαιος καὶ τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ, *Iustus quidem propinquis natus est vir*: quod non eo recito, quia tibi viro & optima doctrina exculto & natura ad beneficentiam excitato, alienis præceptis opus esse existimem: sed quia bonis omnibus jucundum esse scio, videre quasi imaginem suæ voluntatis & exempla in aliis præstantibus viris. Ut ergo vere judicat ille vir Heroicus, justitiam esse tegere suos, & ut ait se ὑπὸ πέπλοις ἔχειν τέκνα, *sub alis habere liberos*, ita tibi justitiæ laus merito tribuenda est, qui cum cæteris civibus tuis, tum maxime studiosis summa fide opitularis. Est autem hic Scholasticus Hersbrucensis ea fere ætate, ut præfici possit Ecclesiæ, Leonartus Ketner, cujus ad te versus mitto. Hunc quæso ut adjuves, vel commendata aliqua Ecclesia, vel stipendio exiguo civis alicujus, ut sunt apud vos, qui fovent aliquot pauperes. Et prodesset eum diutius versari in Academia. De Schola ad Divum Ægidium, etsi is quem missurus eram, valde est idoneus, & ingenio & eruditione in tota Philosophia & scribendo solutam & versus egregiè valet, tamen duxi prius habendam esse rationem Hieronymi Wolffii, qui notus est Michaëli & Vito, qui tamen verebatur, se non esse idoneum isti muneri, quod canere non possit. Quare quid velis fieri significes. Si opus est Musico, mittimus alterum, Ioachimum.

* *Eurip. Heraclid. v. 2.*

mum. Sin autem nihil opus Musico, rogo ut habeas rationem hujus Hieronymi. Rex Ferdinandus valde urget, ut Princeps noster, Dux Saxoniæ veniat Noribergam ad conventum. Quid futurum sit nondum scio. Quales sint conventus & nunc magis distractis voluntatibus propter Brunsuicense & Iuliacense negotium & rebus in Pannonia gestis αἰσχρῶς *turpiter*, qualis hic conventus esse possit, disputare non libet. Deum oro, ut servet Ecclesiam suam. Et vos adhortor, ut Aristocratias vestras tueamini. Nam Principes quærunt sibi ἐπίκτητα κακά, *accersita mala*. Fatalis mutatio Germaniæ impendet, in quâ, ut spero, Deo juvante, civitates erunt præsidio reliquæ Germaniæ. Sed hæc aliàs, aut fortasse coram. Bene vale. die 3. Decembris.

XCVII.

S. D.

Καλὸν ἔξω πραγμάτων ἔχειν πόδα, *Bonum est extra negotia pedem habere*, inquit Euripides. Et hoc præsertim tempore multæ sunt causæ, cur certamina fugienda sint. Non enim tantum sævitia metuenda est, sed alia sunt in hac tanta caligine & confusione opinionum & voluntatum mala inextricabilia, propter quæ abdere se in densissimos saltus homines sane mallent, quàm interesse deliberationibus publicis, aut regere conciones. Sed tamen ne-

cesse est communi hominum societati non deesse. Itaque etsi nec Osiandri nec aliorum consilia reprehendo, qui malunt tranquillius vivere, tamen cum in templis vestris hactenus nihil præter ἀδιάφορα quædam mutata sint, judico piè manere posse concionatores. Feramus quædam onera, quanquam insuavia, si tamen vox doctrinæ non corrumpetur, nec recipientur depravationes τῆς αἱρέσεως. de quibus optarim posse doctos piè colloqui.

Nunc de pædagogo filiorum Geuderi. Mitto ad vos Magistrum Iohannem Moibanum Doctoris Moibani Vratislavienſis filium, in quo cætera sunt omnia quæ postulatis, præter ætatem. Latinè & Græcè & in Philosophia & doctrina Ecclesiæ præclarè doctus est, & mores sunt casti, graves, pleni officii, & eruditi hic aliquos feliciter. Harum virtutum decus plus ei autoritatis addet, quam ætas. Potuissem mittere alium grandiusculum, sed Nicolaus etiam hortator erat, hunc ut anteferremus. Vestro tamen judicio & arbitrio permittimus & ipse & ego, an ei commendandam esse hanc pædagogiam censeatis.

De Cunradi Mauseri hæreditate quæso ut significari ejus filiis & consilium tuum cures & quantæ sint facultates & quo collocandas esse existimes. Orphanis hæc pietas à te libenter præstabitur. Bene vale. 3. Decembris Anno 1548.

XCVIII.

XCVIII.

S. D.

QUanquam justæ pœnæ per genus humanum vagantur, tamen Filius Dei immensa misericordia lenit Ecclesiæ calamitates & suam præsentiam in suo agmine ostendit. Exempla multa etiam his annis videmus. Et hoc anno divinitus repressi sunt Lamyri conatus, quem etsi non desino metuere, tamen spero lacrymas & vota multarum piarum familiarum apud vos & alibi non fore irrita. Minatus est atrociter vicinis Silesiis & aliis: sed nunc ubi sit non scio. Ajunt ad Patruum accessisse, utinam abeat εἰς κόρακας, *ad corvos*. Commendemus nostra pericula Dei filio Domino nostro Iesu Christo, qui dixit, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis*. Has divinas promissiones non existimemus inanes sonitus esse, sed verè ab hoc custode Ecclesiæ crucifixo, & resuscitato Domino nostro Iesu Christo petamus & expectemus auxilium & protectionem. Synodus indicta est, ut in ripa Salæ in urbe Naopyrgo conveniant aliquot docentes in Ecclesiis Suevicis, Hessiacis & nostris. Non scio quâ de re velint deliberari, hi qui nos convenire jubent. Multa suspicor, & cogito historiam Iohannis Romani Pontificis, qui Constantiam accessit accersitus ab Imperatore Sigismundo. Sed de hoc conventu scribam, ubi

videro τὴν καταστροφήν. Oro Filium Dei ut nos omnes gubernet. Bene & feliciter vale. die 16. Maii.

XCIX.

S. D.

DEum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani & Ecclesiæ, toto pectore oro, ut tibi vires corporis restituat, & vitæ spatium longius concedat, cum propter Ecclesiam publicam, tum propter domesticam tuam Ecclesiam, quæ præsertim in hac tristi confusione, nunc & consolationem tuam & gubernationem magis requirit. Et servet Deus aliquos cœtus ipsum invocantes, & doctrinæ testes, ut scriptum est, *Non mortui laudabant te Domine*. Quare spero eum vota & gemitus suorum exauditurum esse. Meam valetudinem etiam duriter adfligunt & Physicæ causæ & aliæ. Nec tantum præsentia spectacula cruciant animum meum, sed etiam cogitatio causarum, à quibus præcipuè hæ miseriæ ortæ sunt. Sed eluctaturam esse veritatem aliquanto post spero, & Filium Dei custodem Ecclesiæ suæ tecum oro, ut suos cœtus servet & gubernet. Bene & feliciter vale. Die 20. Ianuarii.

C. Op-

C.

S. D.

OPtandum quidem est, ut aliqui vivant boni doctores & gubernatores. Sed tamen si Vitus ex hac mortali vita evocatus est, ipsi jam gratulemur dulcissimam consuetudinem Dei & Domini nostri Iesu Christi, & collegarum nostrorum Prophetarum & Apostolorum, & cogitatione Sodalitii illius exsuscitemus in nobis desiderium cœlestis vitæ, ut Paulus inquit, ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλύσαι, & σὺν Χριστῷ εἶναι πολλῷ κρεῖσσον, *cupio dissolvi & cum Christo esse est multò melius.* Simul autem in cogitatione de nostra migratione, Filium Dei sedentem ad dextram æterni Patris, ut det dona hominibus, oremus ut posteris servet Ecclesiam & ejus hospitia, nosque hac vera consolatione sustentemus, quod inter horribiles fluctus suam cymbam servaturum se esse promisit. Expecto Snepium & Bucerum; etsi Bucerus adhuc de migratione dubitat. Nostra pericula Deo commendo, ac non minus excrucior cogitatione causarum, unde hæc confusio præcipue orta est, quam his ipsis miseriis, ac Filium Dei oro tecum, ut pœnas mitiget, ac justam iram Dei placet. Mitto tibi Micylli Poëma. Etsi enim argumentum non est lætum, tamen genus versuum probare te scio. Scriberem multa, si non minus multi

eodem

eodem tempore flagitarent literas. Pannonii nuper hinc ministros Euangelii vocarunt & narrant se suas Ecclesias, in quibus sonat vox Euangelii, nequaquam mutaturos esse. Hi sunt firmiores, quam nos Germani. Hodiè Marchio Elector filium ad Salinas ducit, ut collocet eum in Episcopi regno. Propter hæc regna veritas opprimitur. αἱ σαξονικαὶ πόλεις κἂν αἰτοῦσιν εἰρήνην, ὅμως τοῦτο ὁμηρικὸν φρονοῦσιν, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης, *Civitates Saxonicæ, etiamsi petunt pacem, cogitant tamen illud Homericum: Vnum auspicium optimum pugnare pro patriâ.* Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi gubernet te & servet te incolumem. Die Matthiæ. Anno 1549.

CI.

S. D.

IN tua narratione de postremis Viti sermonibus, non solum benevolentiæ tuæ erga ipsum & doloris tui expressa signa sunt, sed etiam exempla recitantur aliis ad confirmandam fidem utilia. Fuit igitur pergrata nobis hæc tua narratio, quanquam nemo sine lacrymis epistolam legebat. Gratulemur autem Vito jam consuetudinem dulcissimam Ecclesiæ cœlestis, & ipsius nos exemplo ad hoc iter præparemus, quod ut gubernet Filius Dei, qui dixit, *O mors ero mors tua*, toto eum pectore oro. Simul etiam oro, ut servet Ecclesiæ

suæ

ſuæ reliquias inter nos, nec ſinat diſputationes infinitas fieri. Τὸν αὐτοκράτορα, *Imperatorem* ſcribunt nihil laxaturum eſſe in illa ſua Nomotheſia, quod credo, οὐ γὰρ εὐσεβὲς οἴεται περὶ λειτουργίας συγχωρεῖν τι τοῖς ἡμετέροις, *non enim piumexiſtimat in Liturgia concedere aliquid noſtratibus.* Sed oremus Filium Dei cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut veritati opem ferat. Mitto tibi Oſiandri propoſitiones piè & eruditè ſcriptas, adfirmo enim me adprobatorem & ſuffragatorem eſſe. Sed ἐν παρέργῳ, *obiter* inter diſputandum orta eſt contentio περὶ ὀνόματος, *de nomine*, An fides ſit pars pœnitentiæ. Acta res eſt aliquanto minus placidè, ac ad me quidem ipſe amanter ſcripſit. Ero hortator noſtris auditoribus, qui ibi moverunt hoc certamen, ut λογομαχίαν *certamen de vocibus* omittant, cum de rebus inter nos nulla ſit diſſenſio. Ἐστὶ δὲ εὐχῆς ἔργον, ἵνα μὴ μετὰ τοῦτον ἀκροβάλισμον σύρραξις ἄλλη ἕποιτο, *Orandum autem eſt ne, poſt illam velitationem, conflictus alius ſequatur.* Sed hoc quoque Deo curæ erit. Benè vale. die 9 Maii. 1549.

CII.

S. D.

FOntes earum conſolationum, quas Deus Eccleſiæ tradidit, noſti. Inde quod facis, petito remedia in hoc tuo luctu, qui propter ſororis migrationem ad alios tuos dolores acceſſit. Scio erga ſorores, ut erga filias ardentio-

res

res esse σφζάς. Utrumque autem vult Deus, adfici nos desiderio nostrorum, & moderari dolores & suæ voluntati obtemperare. Mitto tibi pagellas, quæ ostendunt ad quæ doctrinæ genera juventus adsuefiat. Erasmus Rheinholdus tabulas motuum cœlestium, quas judicat valde profuturas esse, magno labore construxit, & patronum quærit, qui talium laborum rationem habere velit. Senatui vestro partem operis dedicaturus erat, si qua spes esset præmii. Certe Reip. & posteritatis causa optarim Principes in hoc genere liberaliores esse. Significabis igitur, quid sperandum sit. Commendo tibi etiam Andream Stokel, de quo ad Senatum scripsi. Ambrosius Reuter de fratris damno angitur, teque orat, ut si poteris, remitti aliquid de mulcta petas. Negotium mihi non est notum, & hæc forensia inquirere non soleo. Bene & feliciter vale. die Joannis Baptistæ. 1549.

CIII.

S. D.

IN Tyrigetis non procul à Gotha Senex est in rure, mihi ante multos annos notus, cujus est μαντικὴ φύσις, *ingenium divinatorium*, modestus homo & alienus à malis artibus, ut non dubito. Is aliquanto ante prædixit, hunc annum tranquillum fore, & de vindemia vinum austerum & non multum proventurum esse.

Sed

Sed ſequentem annum poſt Solſtitium terribiles motus habiturum eſſe in Saxonia. καὶ σύλλογος, *Et conventus*, in vicina urbe Iutreboco deliberationes de bello diſtulit in venturum annum. Commendemus autem Deo æterno Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditori generis humani & Eccleſiæ ſuæ, nos & Eccleſiam & Politias, ſicut Moyſes ſtans in undis ſeſe & Eccleſiam & illud magnum agmen virorum, mulierum, ſenum, puerorum & infantium Deo commendabat. Diſcamus non ſervari Eccleſiam humanis conſiliis, & ſervari tamen ope Filii Dei, qui initio genus humanum ingenti amore complecti ſe oſtendit, cum pro nobis deprecator factus eſt, & poſtea dicit, *Nemo repiet oves meas ex manu mea*, quæ vox me ſæpe in magnis doloribus erexit. Nec tam bella Saxonica metuo, quam nova dogmatum certamina. Novus hoſpes Baltici litoris jam apertè περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ λειτουργίας διασείειν καὶ ταράττειν τὰς κυρίας δόξας ἐκκλησιῶν ἡμετερῶν λέγεται, *de Iuſtitia & Liturgia concutere & turbare dicitur præcipua dogmata noſtrarum Eccleſiarum.* Qua de re coram plura dicere poſſem. Et ſcripſi ad Ducem Boruſſiæ, ut conſenſum in rebus tantis retineri ſtudeat. Hic Dei beneficio ſtudia doctrinæ mediocriter florent. Vicinis in urbe Parthenope eo nondum reſpondi, quia res ipſa eos refutat, & ſi reſponderemus, quantum

tum incendium futurum esset? Retexendæ enim essent multæ absurdæ opiniones olim motæ. Et tu illud nosti περὶ ἔριδος, *de lite,*

Parva metu primo, mox sese attollit in auras.

Itaque etiam siquid scribendum esse judicabimus, nihil sine tuo consilio edam. Mitto pagellas de Crucigero, in quibus legendis quæso ut veniam nobis des. Locupletiore laudatione & splendidiore virtus ejus digna erat. Sed quid scribam in hac ingenii infirmitate, doloribus, metu iniquorum judiciorum, ut jam de occupationibus non dicam? Audio conventum Imperii Germanici futurum esse, de quo si quid habes, significato. Bene & feliciter vale, Vir integerrime & mihi cariſſime. Die 9. Septembris. clɔ Iɔ XLIX.

Nuncius eo tardius redit quia meum reditum ex aula expectavit, quo cum Ioachimo accersitus eram, ad quasdam de Scholis deliberationes. Nec alia de re nobiscum ulli in aula sermones fuerunt, quod nobis gratum fuit.

CIV.

S. D.

DE Republica nunc quidem nihil audiebamus, nisi tumultus Lycaonis, quos multi raciocinantur initia fore belli Saxonici, quod & diri congressus in Ægocerote & prodigia & ipsi hominum furores diu jam minitantur.

tantur. Anni ſuperioris prodigia multa audiviſti. Nuper etiam in hac vicinia multis fide dignis in aëre flammei exercitus conſpecti ſunt. Eſt autem cuſtos Eccleſiæ ſuæ Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, crucifixus pro nobis & reſuſcitatus. Ad hunc confugiamus & ut Eccleſiæ ſuæ reliquias ſervet, oremus.

Nec vero dubitemus ſua agmina protecturum eſſe, vel ſi fractus illabatur orbis, ut dixit, οὐχ ἁρπάζει τις τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ ἐκ τῆς χειρός μου, *Nemo rapit oves meas è manu mea*, quâ me voce ſæpe ſuſtento. Calumniis τοῦ βλακὸς & ſimilium, quæ ἐκ δημοκίας ſparguntur, non ita moveor, ut vel dolore, vel ſpe novarum rerum ad ullam me partem inflectam. Servio Eccleſiæ modeſtè docendo res neceſſarias, donec Deus concedet. Certamina Imperiorum & factionum ad me & mei ordinis homines non pertinent. Mitto pagellas, quæ oſtendunt Academiæ ſtudia. Benè vale vir optime & mihi chariſſime. 4. Novemb. 1549.

CV.

S. D.

VTinam hic quinquageſimus annus & adflictis Eccleſiis & civitatibus ſit vere Iubileus ac mitigationem calamitatum adferat. Tibi certe & tuis opto toto pectore, ut hic annus fauſtus & fœlix ſit. Et ſpero civitatem veſtram tranquillam fore. Saxoniæ vero &

astra & Lycaonis & Caci furores minitantur non leves motus. Nam in urbe Brunsviga recens quatuor cives supplicio adfecti sunt, propterea quod Lycaoni urbem patefacere conati sunt. Narratio Imperatori missa est, tantumque animorum atque odiorum incendium ex eo scelere ortum est, ut pax sperari non possit. ὕβρις καὶ μαγνῆτας ἀπώλεσε καὶ κολοφῶνα, *contumelia & Magnetas perdidit & Colophonem.* Eadem & isti tyranno pœnas attrahet. In his tumultibus custodiat nos Filius Dei, qui, cum tale fœdus cum genere humano fecerit, ut naturam nostram induerit, certe testatus est, se vere affici cura nostri. O rem admirandam, quod divina natura adeo se abjecit, ut hoc modo inter nos versaretur. O plus quam ferrea pectora hominum, quod aut nihil aut leviter tantarum rerum cogitatione adficiuntur. Sed ipsum Filium Dei oro, ut nostra corda flectat ad omnia officia ipsi grata. Bene vale. Anno 1550.

CVI.

S. D.

PIndarus narrat Bellerophontem à Pegaso excussum esse, cum intra cœlum penetrare conaretur ad Iovis colloquium. Nec unquam immoderati conatus fœlices sunt, ut horum temporum exempla multa & ostenderunt & ostendent. Nunc & vicini Parthenopei vexil-

la

la feciſſe dicuntur inſignita σταυρῷ, *Cruce.* Et habent σάλπιγγας στάσεων, *tubas ſeditionum*, ſcriptores ſatis rabioſos. Ego nunc novis calumniis reſpondere cogor. Scripſit etiam huc novus hoſpes Baltici littoris, ſe ſcriptum inſtituiſſe quod mihi miſſurus ſit. Dicam, Deo juvante, donec vivam, neceſſaria & eodem modo, quæ fideliter antea & colligere ſtudui & inſtillare diſcentibus. Exiſtimo autem bonos, & prudentes non improbare meam vel timiditatem vel moderationem, quod non abdidi me in vicinas arces, ut inde velut claſſicum canerem multitudini quæ ubique ſeditionum avida eſt. Certe Deum oro, ut me regat. Bene & fœliciter vale, & quod facis Eccleſiam univerſam Deo piis votis commendes. Die 17. Febr. 1550.

CVII.

S. D.

AUdio Bartum quem nuper commendavi, publica liberalitate jam ali: pro quo beneficio & Reip. & tibi gratias ago, ac Deum oro, ut viciſſim vobis benefaciat, ut Filius Dei inquit, ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων, ποτήριον ψυχροῦ μόνον εἰς ὄνομα μαθητοῦ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ, *Quisquis potum dederit uni ex his parvis poculum frigidæ ſolum, nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdiderit mercedem ſuam.* Nunc redit iſtuc Adamus Pircame-

rus natus in Thonavverd, qui istic notus est viro Clarissimo Leonardo Tuchero, qui ut gratitudinem suam ostendat, suam etiam operam vobis offeret. Bonum ingenium esse judico. Quare de eo & cum D. Tuchero loquêris, ad quem scripsi. Bene & feliciter vale. Die 13. Febr. quo ante annos 1720. Nicanor trucidatus est & Ecclesia liberata. Oremus ut nunc quoque ferat opem Deus misserrimæ Ecclesiæ, quæ multis modis & laceratur & excruciatur. De Imperatore silentium est, sed video deliberationes haberi de bellicis apparatibus. Deus nobis adsit, & te & tuam Ecclesiam domesticam servet. Die 20. Febr. Anni 1550.

CVII.

S. D.

CUm literas vestras adferret Andreas nuncius, audieramus jam Imperatorem ingressum iter ad Rheni ripam venisse. Eodem tempore venerunt in Vicinam Parthenopen exules Comites Albertus Mansfeldensis, Ottingiacus, Oldenburgius cum equitibus quinquaginta. Movit homines in his regionibus horum adventus in eam arcem. Nam Albertus non obscurè prædicat, se illud vetus exemplum Atticum Thrasybuli imitaturum esse. Sed ille Atticus non solum causa, sed etiam animi moderatione antecelluit. In hoc Harcinio

cinio quanta sit iracundia, sæpe cognovimus. ἀλλὰ πῶτα Θεῷ ἐν γόνασι κεῖται, *sed hæc Deo nota.* Andreæ Nuncio dabo literas uberiores. Bene & fœliciter vale. Die solstitii æstivi. Anno 1550.

CIX.

S. D.

ETsi humana omnia instabilia sunt, & turbulentis temporibus, qualia hæc sunt, præcipuè solent accidere multi πανικοὶ θόρυβοι, *Panici tumultus*, tamen nunc quidem nulli sunt bellici apparatus in his regionibus. Bremæ etiam silentium esse scribitur in literis recens missis. ἀεὶ δ' τὸ μέλλον τυφλὸν ἕρπει, *semper futurum obscurum serpit*, ut in Sophocleo dicto legitur. Sed teneamus consolationem divinâ voce traditam Ecclesiæ; *Ego vos gestabo etiam in senecta*, ac Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi conditorem cœli & terræ & Ecclesiæ suæ oremus, ut nos regat & servet aliquos cœtus ipsum verè invocantes, & leniat justissimas pœnas. Mitto tibi pagellas Versuum. Eberus mittit Fastos, quos utcunque collegit. Sed sequetur alia editio melior. Nunc Attica lege hanc primam accipito. Nam Athenis fabulam, cum recens nata primum exhiberetur, non licuit explodere adhuc ignotam. De conventu scio communem esse sollicitudinem bene volentium Ec-

cleſiæ. Sed gubernabit Deus hoc periculum. Bene & fœliciter vale & reſcribe. Cal. Maii. Anno 1550.

CX.

S. D.

NOn dubito famam, ut ſolet, de Saxonicis urbibus ſparſuram eſſe rumores atrociores. Sed vicina Parthenope adhuc quidem bellum non videtur parare. Comites exules, qui eò ex urbe Brema venerunt, non habent exercitus. Et prudentes viri, quibus notæ ſunt res Bremenſes, affirmant ideo ceſſiſſe Mansfeldenſem, quia multi ex Belgico veniunt Bremam. Ipſe valetudinis cauſa dixit ſe diſcedere. Nunc ajunt eum Brunſvigam profectum eſſe, quod nondum tamen certo ſcio. Sed hiſtoriam pugnæ Brunſvicenſis exiſtimo iſtuc allatam eſſe, etſi non contemnenda eſt, multo atrociorem. Civitas monaſterium Rittershuſen populata eſt, publico conſilio. Poſtridie multitudo ex vulgo ſine publico imperio excurrit ad rapienda reliqua. Ibi repulſi ſunt ab equitibus, quos eò miſerat Lycaon. Cum hæc multitudo fugeret, ex urbe alii occurrerunt ſubito impetu & repulerunt Lycaonis exercitum. Dicuntur utrinque interfecti non plures triginta. Hæc eſt narratio recentiſſima. Sed initium eſſe magni belli non dubito. Et cum Periodus hujus Imperii circumacta

acta sit (sunt enim anni quingenti inde usque ab Othone tertio) mutationem insignem impendere consentaneum est. Scis qua nos consolatione in tantis ruinis Imperiorum sustentare debeamus. Scimus, nos, nostras familias, Deo curæ esse, scimus Ecclesiam servari inter ruinas Regnorum, & habituram esse hospitia in Imperiis, quanquam ruentibus. Hac nos consolatione sustentemus. Qualis fuit mortuo Alexandro Macedone confusio orbis terrarum? Et tamen tunc mediocria Halcyonia habuit Ecclesia. Ejus historiam eò nunc recordor, quia hanc epistolam scripsi die mortis Alexandri, videlicet die 28. mensis δωσίθ. Nec volo te subtilissime disputare de die. Vagabantur enim tunc menses. Sed hæc temporum consideratio non est inutilis bonis ingeniis. De conventu Augustano quæso ut scribas, siquid habebis. Nunc in vicinia est Marchio Albertus, nec curiose inquiro aulica negotia. Et utinam semper ab aulis procul abfuissem. Bene vale. die 28. Junii. 1550.

CXI.

S. D.

FOrtassis priusquam hic adolescens ad vos perveniet, Lipsicæ literæ nunciabunt istic, Comitem Albertum Mansfeldensem discessisse ex urbe Parthenope. Etsi autem nihil fere ad te scribo de vicina obsidione, quia δύσφη-

μα, *funesta*, narrare non libet, tamen de hac fama aliquid significandum duxi. Die Iulii 29. dum pugnant milites Parthenopei eruptione facta, cum iis qui sunt in castris, octo equites fossam, quâ urbs ea parte cincta est, transiliunt, quinque cum pergere non possent, regressi sunt. Tres evaserunt incolumes. Nondum certo scitur, qui sint, alii suspicantur Comitem Albertum esse, alii Pflugium.

Si Albertus ex urbe discessit, omnino quærit auxilia & Sertoriana exempla metuenda sunt. Nunquam existimavi placitum exitum fore vicinæ obsidionis. Sed Deum oro, ut pœnas mitiget. Hunc tibi Scholasticum Iohannem filium Pastoris Ecclesiæ Lauffensis commendo, teque oro ut orphani rationem habeatis in distributione stipendiorum. Natura modesta est, & ad literas idonea. Bene vale. Die 7. Augusti. 1550.

CXII.

S. D.

LAsari ingenium, modestiam, eruditionem & pietatem valde probo, teque oro, ut propter eas virtutes tu quoque & complectaris ipsum & provehas. Eligamus bona ingenia, quæ & docendi labore & precibus Ecclesiæ prodesse possint, & petamus ac expectemus auxilium à Filio Dei. Nam quantum undique sit hostium, res ostendit. Patria habet

bet intestinos motus, & ajunt Carolum Patrem velle gubernationis suæ καταστροφὴν esse & filium πρόσωπον novi regni, deletionem nostrarum Ecclesiarum. Undecunque hæc consilia oriuntur in hoc fine mundi, ingentes dilacerationes impendere videntur, inter quas Filius Dei servet nos, ut servavit tres viros in fornace Chaldæa. Nam præsidia humana nulla habemus. Nuper captivus quidam ex carcere mihi hæc verba scripsit, οἶδα ὅτι ὃν τρόπον λέγω, ἀκήκοα φωνῆς ἀγγέλου, ὅτι ἐν μὴ πολὺ ἡ ἀρχὴ ἀρχιερέως ῥωμαίου καταλυθήσεται, *Novi quòd vera dico, audivi vocem Angeli, quòd brevi imperium Pontificis Romani dissolvetur.* Quicquid est, mutationes magnas rerum significari existimo. Bene & fœliciter vale. Die 23. Martii.

CXIII.

S. D.

HOdie accepi tuas literas, quas Lælio Socini filio dedisti. Exceptus est à nobis comiter & deductus ad Forsterum, ubi habebit habitationem, mensam & Ebrææ linguæ doctorem. Id enim studium præcipuè nunc appetit. Nec deerunt ei hospitalia officia, quæ nos quidem in hac Aspra, quæ ut Hesiodus de sua dicit, & æstate & hyeme parum commoda est, præstare poterimus. Lycaonis furores aliquantulum repressi sunt. Ideo nunc quidem induciæ sunt. Et hæc ora,

Dei beneficio, tranquilla est. Noster est belli dissuasor, vicinis stultè incitantibus eum. Mitto tibi versiculos, nihil enim habebam recentius. Bene & fæliciter vale cum tuis. Die natali filiæ meæ Magdalenæ. 1550.

CXIV.

S. D.

OMnibus ætatibus exilia Ecclesiæ usitata fuerunt, has, ut opinor, propter causas præcipuas, ut commonefieret amissam esse veram Patriam, ad quam conditi eramus, nosque per Filium Dei nobiscum exulantem, in eam Patriam reductos esse, seu ut veteres loquebantur, καθοδχθῆναι. Ut autem Deus ipse exulum cura adficitur, ita vult à piis omnibus leniri ærumnas exulum. Magno usui & ornamento esse Ecclesiæ vestræ Georgius Major poterit. Est enim bono ingenio & sano præditus, & natura est placida ac nequaquam ἐριστικὴ, *contentiosa*, aut φιλαπεχθήμων, *inimica*. Ideo te oro, ut eum Senatui vestro commendes, ut eum istuc accersant ad munus Ecclesiasticum, si, ut arbitror, locus ei in Ecclesia vestra esse poterit. Est autem in concionando Georgius disertus, ac oratio est καθαρὰ, σαφὴς & κυρία, *pura, clara & propria*, & doctrina est pura. Bene vale. Cal. Decemb.

CXV.

CXV.

S. D.

IN eadem navi ubique sumus, hoc est, non in iisdem periculis tantum, sed etiam in eadem Ecclesia, quam scimus Deo curæ esse, qui & vestros & nostros gemitus exaudit & pœnas leniet infantulis nostris, quod ut faciat toto eum pectore oro. Æacides nunc Brunsvigæ est. Interea Henricus Mindam occupavit & alia quædam Erici oppida, quarum rerum cur sit ociosus spectator Æacides, non possum ratiocinari. Sed brevi fortassis inchoabit novam Tragœdiam. Oro autem Filium Dei, ut reprimat hos Titanas & mœstis Ecclesiis pacem restituat. Mitto vobis scriptum de Stancari controversia, nam alia nunc non habebam. Bene & feliciter vale. x. Cal. Septembris. 1550.

CXVI.

S. D.

UT hic veniens annus faustus ac fœlix sit Ecclesiæ publicæ & tuæ domesticæ Ecclesiæ, faciat Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis & resuscitatus, custos generis humani, qui de nobis dixit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* De bellis Saxonicis nec scribere libet nec argumentum habeo literis dignum, nec quid agatur

tur scio. Ac magis excruciant me Hyperboreæ disputationes, quam cura hujus vicini belli. Ac de disputationibus illis scribam aliàs. Nunc tibi Ketzmannum viri optimi filium egregia indole præditum, & doctrina rectè instructum commendo. Te intuetur adolescentia vestra, tibi curæ esse salutem publicam & rectas doctrinas videt. Et quanquam te non libenter onero, tamen horum laudo virtutem, qui tibi probari cupiunt. Nec defatigeris juvandis mediocribus ingeniis, etiamsi in hac confusione rerum frustra laborare videmur. Sed hac nos Pauli voce consolemur: ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ, *Labor vester non est inanis in Domino*. Deo curæ erit, ne sint irriti labores, etiamsi res humanæ variis tumultibus quassantur. Bene & feliciter vale. Die 14. Januarii. 1551.

CXVII.

S. D.

Ἔα μάχλω, ἔα πόλεμον χωρὶς Θεοῦ, *Mitte pugnam, mitte bellum absque Deo*, inquit Pindarus. Ac idem monent tot exempla, in quibus vidimus infeliciter bella mota esse prætextu doctrinæ. Sex millia militum collegerant Volradus Mansfeldensis & Heidecus, quæ jam sine pugna dissipata sunt. Exempla tibi mitto literarum quas scripserunt ductores ad vicinos. Miraberis quam pollicentur se Ordinis

dinis Equestris commoda amplificaturos esse. Sed omitto hanc narrationem & potius oro Filium Dei, ut ipse nos regat ubique & servet Ecclesiæ suæ reliquias. Mitto tibi pagellas hic editas. Tales operas judico utiliores esse Ecclesiæ, quam illa seditionum classica, qualia nostri vicini scripserunt. Benè & fœliciter vale. Die 22. Ianuarii. clo Io LI.

CXVIII.

S. D.

HAnc Epistolam scripsi die secundo Februarii, quo Ecclesia recitat historiam pulcherrimi congressus Simeonis, Mariæ, Annæ & similium quorundam in templo, cum puer primogenitus ritu illo, qui propter multas commonefactiones divinitus institutus erat, offerretur æterno Patri. In cujus historiæ cogitatione, intuens illam Ecclesiam, quæ inter teterrima monstra tyrannorum & Pharisæorum & Sadducæorũ & magnos exercitus pessimorum hominum tamen servata & protecta est. Orabam hunc ipsum primogenitum filium Dei, ut nunc quoque nos & regat & tueatur, & suos aliquos cœtus semper servet. Idque te hoc ipso die à Deo petere cum Ecclesia tua domestica non dubitabam. Dedi autem hanc epistolam Iohanni Bosoni Mansfeldensi, qui ad Sebaldum Geuderum, quod faustum & fœlix sit, proficiscitur, auditurus ejus voluntatem

tatem de filiis instituendis. Adfert ad id munus optimos mores & eruditionem in lingua Latinâ, Philosophiâ, doctrinâ Ecclesiæ & Iure, convenientem huic institutioni, & fidem & gravitatem scio in eo eximiam esse. Quare te oro, ut tuis eum literis Patri Geudero commendes, quem tamen suo consilio & arbitrio de tota re statuere volumus. Academiarum studia Dei beneficio adhuc mediocria esse ex hoc ipso Bosone intelliges, qui & Saxonicas historias narrare poterit, quarum ut sit καλοπροφή, placida & utilis Ecclesiæ, faciat ille ipse primogenitus Filius Dei, qui & horribiliter primogenita in Ægypto occidit & delet ubique superbos, & servat Ecclesiam suam in ædibus, quarum limina sanguine agni notata sunt. Hic filius Dei te quoque protegat & tuam domesticam Ecclesiam. Bene vale & rescribe. 2. Febr. cIↃ IↃ LI.

CXIX.

S. D.

SCio te pro tuo summo candore non solum officia in pagellis mittendis probare, sed etiam consilium, quod tales materias adolescentiæ proponimus. Sed agnosco meam infirmitatem ac maciem. Omnia sunt squalidiora, quæ scribo, quam & vellem esse & esse debebant, ac optarim alios sumere hunc laborem. In oratione de Duce Iohanne scio

tibi

tibi placuisse Dionis verba de Marco Antonio, quę invenimus apud Suidam. Et quia imaginē etiam tuorum morum esse judico, adscribam verba Grecè: ὅμοιος ἑαυτῷ πάντων ἐγένετο καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθη, ἀγαθὸς δὲ ἦν καὶ οὐδὲν πονηροίητον εἶχε· πάμπολλα δὲ ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη, *Similis sibi per omnia fuit & in nullo mutatus, bonus autem erat, neq; quicquam simulatum habebat: plurimum etiam ipsi profuit institutio.* Hoc postremum membrum addere de viro illiterato non potui. Matthæi nostri interitus mihi & multis aliis magnum dolorem attulit. Sed oremus Filium Dei, ut Ecclesiam suam & nos in ea servet ac regat. Ulricum Sicinger & Munsteros tibi commendo. Oro etiam sicubi Doctori Leonarto genero Doctoris Christiani benefacere poteris, ut eum autoritate & suffragatione tua juveś. Mitto tibi pagellas. Scribā alias copiosius. Benè & fœliciter vale. Die æquinoctii vetni. 1551.

CXX.

S. D.

IN Pomerania sedes est Episcopi, in oppido quod ipsi Caminum nominant. Et nunc vir Nobilis, doctus & veræ doctrinæ amans tenet Episcopi titulum, Martinus VVeier, quem fortassis vidisti. Nam Noribergæ fuit sæpe & in conventu Augustano ante triennium legatus fuit Ducum Pomeraniæ. Hic Pomeranicus Episcopus per hunc virum Nobilem,

bilem, quem mittit Auguſtam, à me petivit, ut literas ſuo legato ad te darem, quem de graviſſimis negotiis colloqui tecum velit. Scio illum ipſum Epiſcopum honeſtum virum eſſe & amantem publicæ pacis & abhorrentem à ſeditioſis conſiliis & negotiis. Quare te oro ut hunc virum Nobilem natum in Equeſtri familia gentis Pomeranicæ Eraſmum Budovvels in colloquium admittas. Fortaſſis conſilio tuo vult uti in re aliqua graviore. Ac tibi nota ſunt omnia quæ de officiis hoſpitalibus tradita ſunt. Scis & Argonautis ultro Tritonem conſilium offerre, qui inquit: [IV. Argonaut. ℣. 1556.]

Εἰδέτι τῆ δε πόρους μαίεσθ' ἁλὸς (οἷα τε πολλὰ
Ἄνθρωποι χατέουσιν ἐπ' ἀλλοδαπῇ περόωντες)
Ἐξερέω.

Si quid verò maris hujus itinera indagatis (veluti ſæpe
Indigent quærere, qui exterum pervagantur ſolum)
Eloquar.

Bene & feliciter vale. Die 25. Martii, quo Filius Dei ante annos 1517. in cruce pro nobis victima factus eſt.

CXXI.

S. D.

EXiſtimabat hic Samuel Iohannis Mauſeri filius aditum ſe habiturum eſſe ad te faciliorem, ſi meas literas adferret. Dedi igitur

tur petenti & literas & libellum, cujus præfationem si inspicies, spero tibi ejus lectionem non insuavem fore. Proficiscitur autem Samuel istuc, ut Tutores alloquatur, sicubi consilio, vel autoritate ei prodesse poteris, scio te homini modesto & orphano non defuturum esse. Jam audio novum volumen cudi in Regio monte, unde fulmina in nos ejaculatur iste vetus amicus noster, quem semper reverenter colui. Oro Deum ut nos regat & sanet Ecclesiæ vulnera. Bene & feliciter vale. Die 21. Aprilis. 1551. Joachimum Camerarium spero jam redire. interfuisse me vestris colloquiis optarim. Iterum vale.

CXXII.

S. D.

Τὸ οἰκεῖον πέζῃ, ἀλλοτρίων δ' ἐμέλῃ, *Id quod proprium est affligit, aliena non sunt curæ*, inquit Pindarus. Et crebrò usurpatur. Etsi autem nunc de nobis ipsis ac de Ecclesiis Germanicis magis angor, tamen sæpè etiam de Ecclesiis aliarum nationum cogitare nos necesse est. Heri Anglicas literas & libros accepi. Bucerus aliena manu scribit propter valetudinem adversam. Fagium multo robustiorem collegam, Bucerus extinctum esse queritur. Narrat initia emendationis Ecclesiarum plena esse certaminum. Sed hæc fortas-

tassis vobis notiora sunt. Nunc tibi commendo Nicolaum honestum virum & benè eruditum. Offert Ecclesiis vestris suam operā, quod scire vos utile est, ut vestros potius provehatis & juvetis, quam alienos. Et magis obtemperant vestris monitis, qui & natura patriam amant & beneficia educationis & institutionis, quæ à prima infantia à vobis acceperunt, meminerunt. Etsi enim illud Pindaricum etiam verum est, παλαιὰ γὰρ δόσις χάρις, ἀμνήμονες δὲ βροτοί, *vetus enim gratia domit, immemores autem sunt mortales*: tamen aliqui non prorsus feri sunt. Speroque hunc Nicolaum patriæ gratum fore, & scio eum doctrinæ, virtutis & pietatis amantem esse. Bene vale. 4. Nonas Maii. 1551.

CXXIII.

S. D.

UT in Repub. Attica multo plures erant conciones inutiles & tantum πολυπραγμοσύνη, *curiositate*, hominum inquietorum convocatæ, quam utiles & salutares: ita in Ecclesia Dei paucæ felices Synodi fuerunt, plurimæ vero majora incendia excitarunt. Interea tamen Deus sua immensa bonitate & collegit & servavit Ecclesiam suam. Ita nunc servaturum esse non dubitemus, etiamsi Reges & Principes alii aliter eam impediunt. Vos quid

de

de Synodo habeatis, scire cupio. Mihi scribitur, venisse Tridentum Pontificium legatum & Imperatoris Oratorem, sacrum ipsorum more factum esse. Postea renunciatum, ante Septembrem nullam fore sessionem, ut nominant. Pontificem etiam occupatum esse cura colligendi exercitus ad recipiendam Parmam. Decrevisse Reges, Gallicum & Anglicum, non missuros se esse Legatos ad Synodum. Ego scriptum composui, in quo repetitio est nostræ Confessionis, quod fortassis ad vos quoque mittetur, si deliberatum fuerit aliquos ex his Ecclesiis mittendos esse. Mitto tibi libellum de conjugio, in quo Præfatio fortassis non insuavis est lectu. Bene & feliciter vale. Die 23. Maji 1551.

Valde te oro, ut nuncio Andreæ locari cures habitationem in turri aliqua, ut audio vos solere pauperibus locare. Eaque in re etiam nostræ pro eo petitioni aliquid tribuite.

CXXIV.

S. D.

UT integritas Nathanaelis prædicatur in historiâ Evangelicâ, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι, *in quo non erat dolus*; sic prædicari posse Doctorem Wenceslaum Linckium vere arbitror. Et existimo fuisse eximiam benevolentiam Senatus vestri erga eum propter ipsius modestiam, &

quia utiliter docebat, οὐκ ἀέροβατῶν *non in cedens per aërem* ut ejus collega. Nunc quod filio ejus benefacitis, pietas est, ut scis, Deo grata. Oro autem ut & propter Lutheri memoriam, qui valde diligebat Wenceslaum, & propterea quia hic vestram Ecclesiam fideliter & rectè docuit, huic ejus filio Salomoni concedatis, ut diutius stipendio fruatur. Iudico modestum esse & video eum studiosè & rectè discere Philosophica & Theologica. Quęso ut eum tua suffragatione adjuves. Cum aliquanto plus accedet ætatis, poterit fungi Ecclesiastico ministerio. De cæteris rebus scribam per nuncium Andream. Nunc tibi hanc pagellam mitto, in quâ commemoratio fit exempli, sicut protexit Deus, vagantibus in Judæa pessimarum gentium militibus & latronibus, Mariam, Elisabeth, & similes, ita sperandam esse nunc quoque protectionem. Quid dicam motis bellis Gallicis, Italicis, Turcicis, tamen nunc edi Edicta atrocia περὶ τοῦ μεταξύ; *de Interim?* Interea magis dilacerat Ecclesias etiam Hyperboreus orator, cujus deliramenta refutat Stancarus & Morlinus adhuc quidem constanter. Sed omitto has narrationes. Bene vale. 12. Iulij. 1551.

CXXV.

CXXV.

S. D.

ETsi multi prudentes existimant nullam Synodum fore, tamen jussus scripsi Repetitionem Confessionis, quam qui legerunt, testantur bona fide & rectè recitatam esse communem harum Ecclesiarum, cum quibus & vestra sentit, doctrinam. Nec profecto unquam volui nova dogmata gignere. Sed quæ fuerint causæ & occasiones, cur quæsiverimus genus sermonis in explicandis conrroversiis, in quo minimum esset ambiguitatū, tu ipse nosti. Etsi autem non tantùm ille Hyperboreus Gorgias nunc in me incurrit, sed etiam alii sæpe allatrarunt, tamen & conscientia rectæ voluntatis mihi lenit dolorem, & Ecclesiæ judicium nunquam defugi. Jamquè ita cumulat absurda iste βωμολόχος, *scurra*, ut judicari ejus sententiæ facile possint. Sed exspectemus ejus libros, qui nunc cuduntur. Nec plura jam addam de hoc novo vulnere Ecclesiæ, quod ut sanet Filius Dei toto eum pectore oro. Scriptum Synodo exhibendum non edetur, nisi inspectum ab aliis. Optamus enim unam esse & manere vocem harum Ecclesiarum in omnem æternitatem. Mitto tibi pagellam cognatorum Christi nuper adolescentibus propositam. Sed Basileæ genealogia vetusti scriptoris edetur his nundinis. Il-

lud autem hic adscribere libuit. Clemens Alexandrinus recitat colloquium Salomes & Christi, quod ait extare in Evangelio secundum Ægyptios. In eo colloquio verba hæc sunt Christi ad Salomen: ἦλθον καταλῦσαι τὰ ἔργα τῆς θηλείας, *Veni ut dissolvam opera fœminæ.* Hæc hæretici citarunt contra conjugium, interpretantes generationem aboleri. At Christus nominat ἔργον θηλείας, *opus fœminæ*, lapsum Hevæ & miserias quæ secutæ sunt. Generatio est opus Dei conditum in Natura, non est orta à nobis, ut peccatum. Ut autem tunc hæretici rectissimè dicta depravabant, ita videmus nunc quoque usitatum esse ludum, rectè dicta calumniosè corrumpere. Oro autem Filium Dei, ut columniatores reprimat. Bene & feliciter vale. Die Jacobi, anno 1551.

CXXVI.

S. D.

ERunt in hac mundi senecta paulatim distractiones gentium & religionum plures. In Anglia postquam & fœdera facta sunt & pacta de conjugio, nunc cum Gallicis legatis deliberationes sunt περὶ διδασκαλίας καὶ περὶ τοῦ ἀρχιερέως ῥωμαίων, *De doctrina & de Pontifice Romano.* Sunt qui hortantur, ut Gallicus Rex, postquam Pontifex ei fulmen suum minitatur, constituat in regno Gallico Patriarcham. Pannoni-

nonicas res scio tibi notas esse. Dux Prussiæ scribit nobis sua manu, se suorum scripta nobis missurum esse, ut judicentur. Fortassis autem nostra sententia erit illi Gorgiæ classicum novi certaminis. Sed tamen δεῖ συνηγορεῖν τῇ ἀληθείᾳ, *Oportet patrocinari veritati*, ut in Attico juramento dicebatur, ἀμυνῶ ὑπὲρ τῶν ἱερῶν καὶ μόνος καὶ μετ' ἄλλων, *Pugnabo pro sacris & solus & cum aliis.* Hujus Georgii Wagneri bona est natura, & studia moderatione morum ornat. Didicit autem Philosophica & summam doctrinæ Ecclesiasticæ, ita ut sperem usui & ornamento fore Ecclesiæ Dei. Quare valde te oro, ut eum Senatui vestro & iis qui stipendia distribuunt commendes. Mitto tibi pagellam de Eclipsi. Elegantissima est natura & eximia eruditio in Philosophia Matthiæ Stoii Prussiaci hospitis vestri. Quare eum amanter complectare. Bene & feliciter vale. Calend. Septemb. 1551.

CXXVII.

S. D.

SCio vos vestro gravissimo judicio & pietate vestrâ benefacere pauperibus Scholasticis, & Deo gratias ago, quod alicubi hæc officia gubernantibus curæ sunt, & eum oro ut vicissim civitati vestræ benefaciat. Quod vero meas literas non aspernamini, & tibi & Senatui gratiam habeo. Possum autem verè ad-

firmate, me si qua parte queam maxime cupere Ecclesiæ studia juvare & tueri harum Ecclesiarum consensum, etsi crudelissimas calumnias de me sparsit in libro suo Hyperboreus Orator. Sed Deus qui est καρδιογνώστης erit judex utriusque. De Synodo Tridentina consiluerunt in aula deliberationes, quod non molestè fero. Spero autem Filium Dei, etiamsi tempestas mota est sæva, tamen Cymbam suam servaturum esse. Nunc recudimus librum de Anima, cui præfationem ad te aliam addam. Decrevi etiam edere libellum Justini Martyris recens allatum, cui titulus est ἔκθεσις πίστεως, *Expositio fidei*, valdè diserte loquitur περὶ οὐσίας καὶ ὑποστάσεων, *de essentia & personis*. Ac si antiquum scriptum est, profectò est illustre testimonium. Bene vale. Quinto Calend. Novemb. 1551.

CXXVIII.

S. D.

MEministi vocis Filii Dei, cum inquit; *Non relinquam vos orphanos*. Hac spe nos confirmemus ac statuamus, ipsi Filio Dei curæ esse suos cœtus. Regibus ac gubernatoribus politicis quomodo curæ sit videmus. Nunc subito evocatus sum, ut apud vos exspectem mandata de Synodo, ac nondum scio, quos collegas habiturus sim, nondum audivi eos, quorum nosse voluntates utile esset. Sed tamen

tamen ne defugere cognitionem dicamur, iter, quod Deus gubernet, ingredior. In quo hanc habeo qualemcunque curarum & dolorum levationem, quod te, ut spero, complectar & vivas licebit audire & reddere voces. Nihil est rerum humanarum, in quo utcunque acquiescere animus possit, nisi veri amici colloquium, qualem te esse scio. Bene vale. 17. Decembris. 1551.

CXXXI.

S. D.

HOdie post concionem fasciculus allatus est literarum, quæ Tridento missæ sunt, in quo etsi oratio erat Badornii, de fide publica & de retexendis articulis seu readsumendis, ut nominant, ad Synodum, tamen tantum de fida publica responsum est. Longum est scriptum, in quo promittitur fides publica, & exspectari nos à Consiliariis Saxonicis intelligo. Simul missæ sunt plures paginæ περὶ λήτουργίας. Scribit autem Franciscus Cramius, qui hunc fasciculum accepit Augustæ, & jubet nos mandata Ducis Saxonici expectare. Scis in totâ vita usitatum esse, πλείω εἶναι πάρεργα τῶν ἔργων, *Plura esse accessoria quàm opera ipsa.* Ita de parergis nostri qui sunt ἐν τῇ τριδεντίνῃ, *Tridenti.* De retexendis articulis, quod est κεφαλαιωδέστατον *præcipuum*, silentium est. Iam scribo ad Cramium. Vesperi ad cœnã. Si libet videre

dere quid scribant, optarim te ad nos venire. Bene vale. die 7. Febr. 1552.

Precatio, qua Philippus discessurus valedixit Baumgartnero, Mense Martio, anno 1552.

NVmen ut æterni sapiens & dextra Parentis
Protexit Thalamos Elisabetha tuos,
In quibus infantem longæva puerpera alebas,
Miscebas curis & pia vota tuis.
Quanquam grassantes tota Iordanis in ora
Vndique sævirent Parthus Arabsque truces.
Et quanquam fratrum membris pascique cruore
Iussissent Lamyri millia capta minæ.
Tu secura tamen divini numinis umbra
Figebas nati basia multa genis.
Sic modo cum pœnis urgentur regna superba
Iuxta Aras cœtus protege Χριστὲ tuos.
Iuxta illas etiam supplex Hieronymus astat,
Ipsius castam quæso tuere domum.

CXXX.

S. D.

CLariss. Vir. & amice chariss. Hanc epistolam scribo Lipsiæ die 19. Martij, quo significaverat ὁ ἐν τριάντῃ σύνοδος, *Tridentina Synodus*, futuram esse ultimam sessionem, ut nominant. Acta conventus Argelicani existimo ad vos perscripta esse. Etsi autem audio τὸν σεβαστὸν, *Augustum* concedere Maximiliano, ut pacis

pacis leges dicat, & noſter non recuſat hos exercitus in Pannonias ducere, tamen illas furias metuo, quæ incitarunt cæteros, hæc conſilia ſalutaria turbaturas eſſe. Ταῦτα δὲ ἐν γούνασι θεοῦ, ac oremus filium Dei, ut nobis adſit, qui & nominatur Immanuel & verè induit naturam humanam, ut teſtaretur ſe nobis adfuturum eſſe. Literas aulicas accipies, quibus revocamur, quas leges, ac in univerſum quidquid accipies literarum, quæ mihi inſcriptæ ſunt, legere poteris. Commendo tibi hunc adoleſcentem Matthiam Schilterum, rectè eruditum & naturâ modeſtum, quem Eccleſiis ac Scholis uſui ac ornamento futurum eſſe ſpero. Sumptus ei dederunt duo veſtri cives Gabriel Kolb & Iohannes Jeger, quibus & autoritate tua, & Divinis oraculis commendari eum velim. Eſt enim adoleſcens orphanus. Et nota ſit omnibus Siracidæ ſententia, γίνου ὀρφάνῳ πατὴρ καὶ μᾶλλον ἀγαπήσει σε ὁ θεὸς ἢ μητήρ σου, *Sis orphano pater & Deus magis te diliget quàm mater.* Benè & feliciter vale. Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus cuſtodiat te & Eccleſiam tuam domeſticam & publicam. Die 19. Martij, Lipſiæ. 1552.

CXXXI.

S. D.

ANte aliquot dies in ſomnio viſus ſum colloqui cum Rege Danico. Is dicebat, πρὸ

τρίων

τρίων μηνῶν μεγάλη δυσχία καταλήψει τὸν Σεβαστόν, *Intra tres menses magna calamitas invadet Augustum.* Sed oremus Deum ut mitiget pœnas propter filium, & in ira misericordiæ suæ recordetur: Et tuam Ecclesiam domesticam verè invocantem ipsum & alios fide & invocatione conjunctos protegat. Humana consilia nulla video. Sed quod suades diutius manendum esse, fortassis commodius erit properare, priusquam viæ ubique plenæ sint militum. Benè vale. Tuam chartam statim concerpsi.

CXXXII.

S. D.

VT olim ajunt Astræam pulsam ex aulis, confugisse ad modestiores cœtus, qui adhuc in ture vivebant; ita paulo post literæ & Ecclesiæ confugient in Aristocraticas civitates. Nam sub Cypselidis quæ poterit eis esse sedes? Quid hi dignum agunt viris politicis? Quomodo consulunt patriæ? Cum Turcis ita bellum gerunt, ut colludere videantur. In Belgico quale excitatur incendium? Vos igitur fovete literas, dum potestis. Et meo ordini semper ero hortator, ut quantum possumus, studia honesta doctrinæ καὶ θεοσεβείας propagemus, & illustremus, ne funditus intereant artes bonæ & Dei notitia. Deo curæ erit, ut tranquillam sedem alicubi his laboribus

bus neceſſariis concedat. Tuchero præſcribam ordinem ſtudii, & exercitia ejus inſpiciam. Bene vale vir optime.

CXXXIII.

S. D.

CLariſſ. vir & amice cariſſ. Dei beneficio venimus incolumes ad oppidum, quod à flumine Egra nomen habet, quod veteri Heneta lingua animal *Caſtorem*, quod Plinio & Germanis eſt *Fiber*, ſignificare didici. In itinere horum dierum vix viginti homines extra vidimus. Acceſſit ad tranquillitatem hoc quoque, quod in his jugis & ſaltibus de bello Saxonico nullos ſermones audivimus. Tantum hodie ad Caſtorem audivimus nondum eſſe finem Torgiaci conventus. Ego me hac una conſolatione ſuſtento, quod ſcio filio Dei curæ eſſe ſuam Eccleſiam in his regionibus & alibi, & exaudiri noſtros gemitus non dubito. Heri etiam legens in Siracide hoc dictum, μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν προσευχῇ, *ne animo ſis puſillo in precatione*, acquievi nonnihil. Et hanc vocem adſcripſi, quia tibi quoque gratam fore non dubitabam. Iubet & petere auxilium à Deo & conſtanter expectare & non frangi animis. Scribam ad te mox, poſtquam domum rediero. Nunc accedemus ad vallem Ioachimicam Deo juvante. Eques veſter fuit modeſtus & officioſus: Dedimus viaticum redeunti quinque

que Ioachimicos. Agimus autem Amplissimo Senatui vestro gratias pro omnibus beneficiis, & Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum oramus, ut vos omnes & urbem vestram & Ecclesiam protegat & servet. Datum in oppido Egra, die Gregorii. 1552.

Salutem vobis omnibus optamus nos omnes

Philippus Melanchthon,
Erasmus Sarcerius,
Val. Pacius.

Inclusi epistolam Sabini scriptam ad Fœlicem Fidlerum, qui notus est familiæ Arelatensis, quam ut mittas per occasionem ad aulam Imp. valde te oro. Scribit enim referre multum utriusque ut ad eum perferatur.

CXXXIV.

S. D.

NUlla vox in cœlo & in terra unquam ardentior audita est precatione filii Dei in Agone recitata, qua petit, ut & servetur Ecclesia & ut unum simus in Deo. Hæc precatio cum non sit irrita, speremus Ecclesiam non interituram esse, & ut vos & vestras familias & urbem protegat Filius Dei, toto eum pectore vobiscum oro. Sæpè enim & de vestris periculis cogitamus. De bello tantum hic gemitus populi auditur. Quid alibi fiat, prorsus igno-

ignoro. Picturas etiam vidimus ex Bruti historia translatas pileum & pugiones. Miror autores talium ineptiarum oblitos esse exempla proximi belli. Sed unde hæc oriantur facile est ratiocinari. Etiam horridi flatus à Baltico litore nos feriunt. Iam liber contra nos editur, & dicitur ὅτι παμεῖ φλέβα μοι ὁ δημήτρ@, ὅθεν αἷμα ἐς ὅλην Γερμανίαν ἀναβράξῃ, *quòd concionator mihi incidet venam, unde sanguis in totam Germaniam ebulliet.* Sed oro filium Dei ut ipse nos gubernet, & non sinat extingui veritatem. Filio tuo carmen mitro etiamsi exemplum antea dedi. Equum adhuc ad subitum iter retineo, & Reip. vestræ gratiam habeo pro multis beneficiis, ac Deum oro ut vos protegat. Michaelis Rottingi filio reverenter peto diutius tribui stipendium, ut vocatis, quia bolia cum spe in studiis versatur. Et si judicabis profuturum esse, aut opus esse, etiam ad Senatum vestrum ea de re scribam. Commendo hoc negotium tuæ & prudentiæ & humanitati. Benè & feliciter vale. Die Natali Socratis, videlicet 6. Aprilis. 1552.

CXXXV.

S. D.

FUit olim consuetudo supplices ἱκετεύοντας sedere ad aras cum ramis oleæ, interdum etiam tenentes filios eorum, à quibus opem petebant. Ita nos, quicunque Imperiorum

motus

motus erunt, ſedeamus ad aras cum ramis oleæ, hoc eſt, Evangelii voce, & æternum Patrem per filium oremus, ut mitiget pœnas. Nec dubito mitigaturum eſſe. Nec erunt apud ipſum irrita jura ſupplicum. De Lycaone audio profectum eſſe Auguſtam. Etſi jam pauci utrinque ad Brunſvigam interfecti ſunt, tamen diu ibi in caſtris exercitus eſſe non poterit, & jam dilabitur. Certum eſt urbes vicinas decretum feciſſe περὶ τῶ ἀμύνασθαι ἐχθρούς, *de propulſandis hoſtibus.* Hic veſter civis Nicolaus Poltz valet ingenio, & in Philoſophia & doctrina Eccleſiæ præclarè profecit, nec deſerere hæc ſtudia decrevit. Et audio patrem ejus tibi notum eſſe. Si poteris ei prodeſſe, quæſo ut eum commendes Senatui veſtro. Prædicat Senatus beneficium cum magna gratitudine. Et res oſtendit bene collocatum eſſe. Benè & feliciter vale. Die 22. Auguſti, 1552.

CXXXVI.

S. D.

FOelicem & fauſtum annum Eccleſiæ, reip. tibi, tuæque familiæ ex animo opto, cariſſ. Hieronyme. Et quanquam impendēt orbi terrarum ſævæ rerum converſiones, tamen nos qui ſcimus Eccleſiam Deo curæ eſſe, non decet frangi animis, aut ex ea ſtatione decedere, in quam à Deo collocati ſumus. Quare quod facis

facis perge aliqua cum spe tueri Ecclesias & harum comites Scholas pias. Sic faciebant Ieremias & ejus amici, etiamsi scirent impendere urbis excidium & dissipationem gentis. Scripsi vobis alias de Ioachimo Wissenfelsensi. Is pollicetur se venturum esse, si res est adhuc integra. Mores, vitam, ingenium, eruditionem, nitorem orationis & versuum splendorem scio vos probaturos esse, ætatem robustiorem esse optarim. Alterum illum Hieronymum Wolfium misimus Mülhusanis. Benè vale. Die conversionis Paulini.

CXXXVII.

S. D.

Assiduè in his Natalitiis feriis cogito de mirando fœdere, quod Deus cum humano genere fecit, copulata divina natura cum humana in filio. Hoc ipso testimonio omnium maxime ostendit se verè cura nostri generis adfici, & verè esse nobiscum Deum, ut sonat vox Immanuel. Propter hoc fœdus ut servet te quoque Deus & annum faustum & fœlicem tibi det ex animo opto. Cum autem hodie iter ingressurus essem, profecturus Torgam, prius de Dichtelio ad te scribendum esse duxi. Servari eum opto & non abjici à patre. Nam ingenium ejus usui esse poterit ad res honestas. Scribit mediocriter & hactenus sine sce-

lere vixit, paulo videtur pronior ad voluptates & minus patiens freni. Sed tamen propterea nondum abjiciendum censeo. Pater non ad se revocat, sed jubet eum aliquò, sine certo consilio de instituenda vita, discedere, ac palantem errare, quod cum legissem, meam tibi opinionem significandam esse duxi. Rectà ad vos adolescentem proficisci jussi, ut inspectis moribus & studiis, statuatis quo in genere vitæ eum vivere velitis. Didicit latinam linguam & Arithmeticam, & in aliqua decuria scribarum exerceri posset, ut Reip. serviret. Credo ei locum inter vestros scribas esse posse aut in alia benè morata civitate. Si hoc non placet, mercatoribus adjungi poterit. Hæc sunt utiliora quam si velut abdicatus vagetur extorris. Ideo te oro, ut eum paterna pietate complectaris, & ei patrem placare studeas. Ea quæ nunc offendunt, corriget ætas & labor aliquis durior. Habet autem quædam signa ingenii mediocris, quibus moveor, ut sperem eum flecti ad virtutem posse, si adhibebitur ad negotium aliquod laboriosius. Hæc breviter scripsi, propterea quod jam ingressus eram iter, teque rogo ut boni consulas. Bene vale. 10. Ianuarii.

CXXXVIII.

CXXXVIII.

S. D.

QUod fauſtum fœlixque ſit, Hieronymus profecturus in Italiam, prius in patriam iter facit, non ſolum ut matrem ſalutet, ſed etiam ut ipſi patriæ & tibi gratitudinem ſuam coràm oratione ſua declaret. Dedi autem ei hanc epiſtolam, ut ad ipſius vocem mea etiam ſententia accederet. Nam & ago tibi, cariſſ. Hieronyme, gratias quod hunc tuum civem & amanter complexus es, & ſingulari ſtudio ornaſti. Spero hoc tuum beneficium & tibi privatim voluptati, & Reip. utile fore. Nam & tibi hominis ingenioſi, ac ut ego animadvertere videor, à natura ad gravitatem & conſtantiam facti, & doctrina ad moderationem & decus excitati, amicitia jucunda erit. Et quid univerſæ hominum vitæ utilius eſt, quam bona ingenia provehere? Etſi enim quadam fatali lege, magni ſemper & fuerunt & ſunt, & erunt Imperiorum tumultus, crebræ mutationes & ruinæ, tamen bonorum ingeniorum virtute publica mala leniuntur, & legum & doctrinarum qualiſcunque poſſeſſio ad poſteros tranſmittitur. Nec raro mihi in mentem venit Borneri noſtri, qui dicere ſolet, perinde ut motus cœli primus, inferiorum orbium motu leniter adverſante temperatur, ut rebus naſcentibus & vitæ animantium con-

ducat, sic Imperiorum impetus moderatione aliquorum sapientum ad utilitatem communem flecti. Ac nos quidem, qui scimus Ecclesiam fore sempiternam, defatigari in excitandis studiis non decet. *Movebuntur*, inquit Propheta, *cœlum & terra, & Deus erit spes populi sui.* Quare quod facis, perge juvare studiosos, bona cum spe, nec frangaris animo, vel propter iniqua civium judicia vel propter Regum tragœdias. Servabit Deus inter hos motus reliquias suas, & ut te & Remp. vestram servet toto pectore eum oro. Nos dum licet has Scholasticas operas Deo juvante faciemus, etsi pene consumor dolore, cum non solum quæ impendent cogito, sed etiam causas ex aliquot annorum historia animo repeto. Quoties fremens & ardens ira πολυπραγμοσύνην καὶ πλεονεξίαν, *curiositatem & avaritiam*, Principum reprehendi. Nunc vident, si tamen vident, quantum sibi periculi acceriverint. Adhuc Dei beneficio hic mediocriter coluntur literæ. Tuum libellum Scholasticis in manibus esse hæc pagella quam mitto, indicat. Bene & fœliciter vale. Calendis Octobris.

CXXXIX.

S. D.

SCio te intuentem cogitatione in hanc tetram confusionem gubernationum in Germania, sæpe toto corpore cohorrescere. Sed

talis

talis cum esset ultimis temporibus confusio in Judæa, tamen ibi Ecclesiam suam Deus rexit & servavit, Zachariam, Elisabetham, Mariam, sororem & magnum agmen his adjunctum. Ita nunc quoque suos cœtus servabit, ac sæpe nobis hæc dicta proponamus: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Item, *Circumvallat Angelus Domini*, Filius Dei, *timentes eum.* Hunc oro ut te & Ecclesiam tuam domesticam & urbem vestram protegat. Spero etiam non rediturum esse L. Sergium. καὶ ἑώρακα αὐτὸν ἐνὸν εἰρῷ δεινῶς πληχθῆναι ὑπὸ Μαξιμιλιάνου οὐ ξίφει ἀλλὰ ῥοπάλῳ, *& vidi ipsum in somnio graviter cæsum à Maximiliano non gladio, sed fuste.* Nobis ad contagia luis accedit novus metus, quia Comes Volradus jam bellum indixit Brunsvicensi, Episcopo Meideburgensi, cognatis Mansfeldensibus, ut cruore cognati terra polluatur. Ita subinde nova Gigantum bella videmus. Oro autem Filium Dei ut pœnas mitiget. Interea in Marchia Stancarus, quasi non satis sit dissidiorum in Ecclesiis, contendit Christum tantum ἀνθρωπίνῃ φύσει, *humanâ naturâ* mediatorem esse. Et his diebus in aula disputatio instituta est, ad quam Pastorem unum & me Princeps accersivit. Sed non accessi, retentus Augustanæ Ecclesiæ negotiis. Verum scripsi meam sententiam & & Principem hortatus sum, ut prohibeat spargi talia semina dissidiorum. Miror non cogi-

tare eos quantum antea mali fecerint, edita Sphynge quæ primum nata est in ea aula. Sed omitto hæc. Pagellas à Sabino editas tibi mitto, ex quibus didici Etymologiam novam Marchiæ. Ait esse νομαρχίαν, ut Nomi in Ægypto præfecturæ dicebantur. Utinam vero non tantum regerent νόμους, sed etiam τοῖς νόμοις parerent. Benè & feliciter vale. Die 10. Octob. Argeliæ. 1552.

CXL.

S. D.

SCimus vere colligi à Filio Dei æternam Ecclesiam in genere humano, eamque inter horribiles Diabolorum furores protegi, Sicut servabantur tres viri in Fornace Babylonica in mediis flammis. Et custos ipse Filius Dei inquit: *Nemo potest rapere oves meas ex manibus meis.* Has consolationes & ipse cogito, & à vobis cogitari scio, & cum vestris sanctis matronis & filiabus & parvis filiis invoco filium Dei ut vos protegat. Nec irrita erunt vota vestra. Post mei ministri, viri integerrimi, mortem, ægrotare cœpit mea conjunx, quæ jam quotidie cum morte luctatur. Studia doctrinarum hic adhuc Dei beneficio mediocria sunt: metuimus autem nos quoque bella. Sed filio Dei nostras parvas familias commendamus. Bene & feliciter vale, & cum poteris rescribito. Die 9. Maji 1553.

CXLI.

CXLI.

S. D.

CLariſſ. Vir & Patrone cariſſ. Scio tibi notiſſimum verſum eſſe, qui ſæpè à veteribus recitatus eſt:

Εἰς ὄμματ' ἄνδρὸς φωτὸς εἰσβλέπειν γλυκύ, *Suave eſt intueri oculos viri benevoli.* Lætatus ſum igitur conſpectu Mauricii viri docti & integri. Nec tantum propter privatam amicitiam colloquio ejus delectatus, ſed multo magis propter Eccleſiam Dei. Oro enim Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut Eccleſias noſtras gubernet & ſervet, & faciat ut quam plurimi unum in ipſo in tota æternitate ſimus. In vicinia captivi nondum liberati ſunt, & Conſtantius recens etiam ademit prælectionem cuidam, quem τὸ βλακικὸν σύνταγμα, *Flacicum collegium*, pelli voluit. Ego nos Filio Dei commendo & ſpero doctrinæ genus quod proponimus & intelligi poſſe & à piis probari. Benè vale. Die Leuctricæ pugnæ, à qua hic annus eſt 1919. Deus ſervet urbem veſtram & Eccleſiam ſuam in ea communem & tuam domeſticam Eccleſiam. Utinam poſſem comes eſſe itineris Mauricii. 13. Iunii 1553.

Salutem vobis omnibus opto.

CXLII.

S. D.

SUmus in eadem Navi, hoc est, non tantum in iisdem periculis, sed etiam in eadem Ecclesia cujus custos est Filius Dei. Hâc nos consolatione sustentemus. Multi putant tragœdiam secuturam esse ὅμοιαν τῆ Ἀντιοχῆ, *similem Antiochenæ*. Sed quidquid erit filio Dei nos commendemus. Quæso ut Doctoris Leonartii inopiæ misericordia adficiamini. Quantum potuit hic vendere reditus quos habet conatus est. Sed quis hoc tempore aut habet, aut emeret etiamsi haberet pecuniam. Plura scribam aliàs. Nunc Filium Dei tecum & cum vestra Ecclesia & tua domestica oro, ut vos & nos protegat. Bene vale. Die Iacobi. 1553.

CXLIII.

S. D.

SÆpè de tuis & aliorum amicorum doloribus cogito, cum gemens intueor horum temporum tristia spectacula, ac oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum ut leniat pœnas, nec sinat prorsus deleri Ecclesias, ac spero eum in Ecclesia servaturum esse pias familias. Qua enim alia consolatione nos sustentemus cum videamus nobis deesse humana præsidia? Mirabamur terræ motus, quibus ante annum concussa est Regio inter Bohemiam

hemiam & Franciam vobis vicinam. Nunc eventus ostenderunt prodigium non fuisse ἄσημον. Nuper vero & regio Mysorum nobis vicina magno terræ motu quassata est. Fateor me terreri & his prodigiis & aliis significationibus, quæ in ipsis consiliis conspiciuntur. Sed spero filium Dei mitigaturum esse pœnas, ne Ecclesiæ funditus deleantur. De Rostochianis literis significabitis mihi, an responderi aliquid Aurifabro velitis. Bene & feliciter vale. Idib. Octobris, 1553.

CXLIV.

S. D.

SCio te audientem Synodi nomen cohorrescere. Etsi enim bonis mentibus nihil est dulcius quam colloquia cum bonis & doctis, tamen dissimilium congressus quales fuerunt omnibus seculis, & quomodo accenderint odium & discordias, notum est. Nunc in hac nostra Synodo Naoburgensi pauci hactenus convenerunt, & tales quorum candor nobis probatur. Nulli adsunt hospites nisi Hessiaci, Adamus, Hyperius, & Pastor Cassellanus, & ex Argentorato Sleidanus. Suevi adhuc expectantur. Etsi autem inter hos, qui nunc adsunt, nihil est dissensionum, tamen aliquid fortassis adferent alii, qui adventuri sunt, & non deerunt postea Sycophantæ, qui

nunc velut corycæi aucupantur novas ἀφορμὰς, *occasiones* tumultuum. Sleidanus ait τὸ λαμυρὸν recens non procul ab urbe Metensi conspectum esse. Diu jam quærimus, Ioachimus & ego, virum idoneum ad gubernationem Ecclesiæ vestræ. Et ingenia alicubi bona sunt, sed ætas minor est, quam vellemus. Ioachimus tamen indicat hominem, cujus eruditionem & mores probat. Bene & fœliciter vale. die 24. Maii, 1554.

CXLV.

S. D.

CUm hic Viti VVinshemii Doctoris filius Vitus profecturus esset in Academiam Bavaricam ad juris civilis interpretes audiendos, petivit sibi literas ad te dari, quia judicat & notitiam & benevolentiam paterni amici expetendam esse, præsertim cum & virtutes tuas sæpè in nostris sermonibus commemorari audierit. Nec tu illud Xenophonteum ignoras: Φιλόφιλον δ' εἶναι τὸ ἀγαθὸν ἄνδρα, καὶ τοῖς φίλοις σὺν φίλῳ σωζαπᾶν, *Virum bonum amare amicum & unà cum amicis amare amicos.* Scripsi igitur ut aditum ad te haberet. Valet ingenio & initia Philosophiæ præclarè didicit, ac malueramus eum pater & ego hanc nostram Philosophiam potius sequi, quam forum & aulas appetere. Sed postquam hoc studio delectatur, non repugnavimus, ac optamus ut cursus

vitæ

vitæ & laborum ejus sit fœlix. Ut Nestor Telemachum propter Vlyssis memoriam excepit, ita tu quoque hunc complectere & propter patrem, & propter ingenii sui bonitatem. De aliis negotiis dedi literas Andreæ nuncio. Audimus Molossum in Lotharingia esse, & inde minitari judicio Amphictyonum. Oro filium Dei ut reprimat seditiosa consilia, nec sinat fieri majores vastationes. Bene & fœliciter vale. 2. Octobris, 1554.

CXLVI.

S. D.

SEnescimus & nos & noster Nuncius Andreas, quem hic diu retinuit febris, utque in Græco versu dicitur,

Φόβε τὸ γῆρας, ἢ γὰρ ἔρχεται μόνον,
Metue senectutem, quia non venit sola:

Ita & nuncio & nobis senectus auget difficultates, ut molliſſimè dicam. Teneamus autem hanc consolationem in qua Deus apud Esaiam dicit: *Etiam in Senecta vos gestabo.* Quem sæpe cogito in horum temporum periculis, intuens & ipsam Ecclesiam ætate languidam, & me & multos viros bonos, qui onera gubernationis sustinent. In Prussia Suevi pertæsi rixarum brevi redituri esse dicuntur. Si in vestra urbe hi qui rectè docent, graviter ostendent fontes doctrinæ, ut facere eos non dubito, & non certabunt conviciis, con-

consilescent etiam apud vos illæ non intellectæ ὑψηληγορίαι, seu κενοφωνίαι, *altæ declamationes*. Nam & in Prussia evanescunt, sed alibi alia certamina oriuntur, & ut versus ait Empedoclis, φοιᾷ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὸν λελακυῖα. Nunc respondeo Pannonicarum Ecclesiarum controversiis. Mitto tibi Epistolam de Leonarti Munsteri morte, qui Romæ sepultus est non procul à Valerii Cordi sepulchro. Consolemur nos spe dulcissimæ consuetudinis in cælesti Ecclesia: Non enim tantum ad hujus fugacissimæ vitæ ærumnas conditi sumus. Et filius Dei testimonia ostendit reditus in vitam ex morte. Bene & fœliciter vale. Die festo, quo Ecclesia concionatur de excubiis Angelicis. Oro autem Filium Dei ut & tuorum corpora castorum Angelorum præsidiis protegat. Iterum vale 3 Octobris 1554.

In extrema ora Megalburgensis Ducatus multa prodigia conspecta sunt χάσματα, *hiatus*, & exercitus dimicantes in aëre. Metuo fratres Duces inter se dimicaturos esse.

CXLVII.

S. D.

PAulus noster adolescentiæ præstat assiduitatem, quam muneris ratio postulat, eoque turbam

turbam nimis magnam non admittit, & fugitat singulari non solum prudentia, sed etiam fœlicitate illos fluctus, quos tu & ego effugere non potuimus, civilium videlicet negotiorum. Sed illi & sua & Scholæ causa gratulor hoc otium: speroque adolescentis studiis, de quo scribis, profuturam ejus consuetudinem. Ego, quia sæpè unà sumus, interdum studia ejus inspiciam.

Novi nunc nihil habemus, utinam diuturna sit hæc tranquillitas. Existimo te nostrorum moderationem laudare, quod ab armis, pulso tyranno discesserunt. Locustarum magna vis inde ex Sarmatiis in Mysiam nostram advolavit. Aut luem aut adventum peregrinæ gentis denunciat. Deus adsit nobis & nos regat ac defendat. Hic salubritas adhuc est aëris, etsi in Turingia & Slesia grassatur pestilentia. Bene & fœliciter vale. 15. Septembris.

CXLVIII.

S. D.

Misi libellum περὶ ψυχῆς, *de Anima*, tibi exhibendum, quem cum videbis tibi inscriptum esse, te etiam atque etiam rogo & obtestor, ut id statuas à me simplici & ingenuo animo factum esse. Nihil captavi, sed munusculum deferre volui ad virum doctum, non aspernantem hæc studia, teque rogo ne aliud

de

de mea voluntate cogites aut ſuſpiceris. Spero profuturam Lucubrationem ſtudiis juventutis, & certè hic multos erudiit, quare rogo ut boni conſulas. Paulus Eberus videtur non abhorrere à conditione oblata. Nec ego ſum dehortator, etſi doleo hanc Academiam exhauriri. Et mihi brevi ex hac ſtatione diſcedendum erit. Nam vires mei corporis omnino proſtratæ ſunt. Nec ullus Siſyphus tam habet aſſiduum laborem, quam ego habeo. Sed rogo Chriſtum ut gubernet publica & me ſervet, ſive in hac militia ſive traducere volet in aliam cœleſtem Scholam. Benè vale & me ama. Tuus Bomgartnerus aliquoties mecum fuit, ſatis probus & verecundus eſt, & ſpero promoturum eſſe, etſi vellem eſſe excitatiorem.

CXLIX

S. D.

NIcolaus noſter & apud nos honeſte vixit, & adoleſcentes fideliter erudiit, qui in diſciplinam ipſi traditi fuerunt. Ea in re etiam declaravit modeſtiam ſuam, quod ætatem nondum judicavit idoneam eſſe ad regendam Eccleſiam. Etſi autem nunc eget, tamen libertatem ei gratulor. Et ſpero vos alicubi ei docendi locum daturos eſſe, ubi plus prodeſſe Eccleſiæ poterit, quam in aula. Eſt enim rectè doctus, & ad docendum idoneus.

Quare

Quare eum tibi commendo: de cæteris rebus nec vacat, nec libet scribere. Serviamus Deo in hac dura militia, & petamus ut ipse nos gubernet & suam Cymbam regat, sicut scriptum est: *Commenda Deo viam tuam & spera in eum, & ipse faciet.* Bene vale. Die Encæniorum Ierosolymæ. 1554.

CL.

S. D.

CLariss. vir & amice cariss. Meministi vocem Psalmi, *Tibi Deus derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Hac nos consolatione sustentemus, & ab ipso æterno patre Domini nostri Iesu Christi, patre orphanorum petamus Ecclesiis nostris domesticis & communi protectionem. Certum est iterum in littore Frisiaco colligi exercitus, ἡ φασὶ, κελλινεῖς μισθοῖς συλλέγεσθαι, καὶ ὑπὲρ δὲ φυγάδων, *& dicunt Gallicis stipendiis colligi & pro fugitivo.* Hæc vos inquirere non alienum est. Causam Doctoris Viti Winshemii existimo tibi notam esse. Pensionem habet emptam in ditione quam Fœderati nunc tenent. Hanc mutato Domino ne amittat, erit æquitatis vestræ. Valde igitur te oro, ut hoc negotium tua prudentia & autoritate gubernatoribus commendes, & sis hortator, ut in causa justa, videlicet emptione justitiam suã ostendant, etiamsi propter Domini mutationem multa disputa-

ri

ri possunt. Benè & faciliter vale. Die Febr. 4. 1555.

CLI.

S. D.

NOn dubito Joachimum Camerarium copiosè ad te scripturum esse de Mauricio Heilingio, quem judicavimus ad Ecclesiæ gubernationem idoneum esse. Nec verò sumo mihi quidquam, nisi indicationem. Iudices & censores volo eos esse, qui accersunt indicatos. Malueram igitur ad vos proficisci Mauricium priusquam aliquid de vestra voluntate significaretis, ut coràm audiretur. Sed quæ fuerit ejus responsio ex Ioachimi literis cognosces. Et tamen, ubi eum audieritis, vestro arbitrio statuetis. Nusquam diutius vixit quam in his Academiis. Et quamquam in Prussia natus est, tamen in patria non fuit, cum ibi Gorgias iste suam καινοτομίαν ostentavit. Scholam Islebianam ita rexit, ut nunc quoque diligatur ibi à viris prudentibus. Iudico esse rectè doctum, natura amantem tranquillitatis & moderationis, ac ætas matura est gubernationi. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut & publicam Ecclesiam vestram, & tuam domesticam Ecclesiam & nidulos vestros protegat. Vidimus quam sint infirma humana præsidia. Quare confugiamus ad filium Dei, qui dixit: *Nemo rapiet*

rapiet oves meas ex manibus meis. Benè & fœliciter vale. Pridie Iacobi.

Mitto pagellas. In genealogia Christi addidimus gentium quarundam origines, & nominum interpretationem. Eam tibi lectionem spero non insuavem fore. Iterum vale. 23. Iulii, 1555.

CLII.

S. D.

ITa fit, cum dubitant animi, ut apud Sophoclem dicitur: Καὶ φημὶ, καὶ ἀπόφημι, ἐ σὸκ ἔχω τί φῶ, *Et dico & nego, neque habeo quod dicam.* Idque scio te quoque sæpè experiri. Mitto duas Iacobi epistolas, quarum posterior etsi est propemodum Palinodia prioris, tamen nondum ῥητῶς statuit. Oro igitur Deum ut & Iacobi & vestrum consilium gubernet. Sed vos dubitationibus ejus ignoscetis. Prorogari tempus existimo posse. Menium ita exagitant quidam, ut ex Tyrigetis discessurum esse arbitrer. Hunc optarim vobiscum esse, ac hodie ad eum scribam, ut voluntatem ejus explorem. Nihil ei objici potest, nisi quod non acerbè nos criminatur, nec induit aliena odia. Quæso igitur ut tuam mihi voluntatem significes. Tabellarium hunc meo sumptu ad vos, ut Iacobus petivit, mitto. Quare & ad ipsum & ad me literas dabitis. Bene vale. Cal. Augusti, 1555.

CXLIII.

S. D.

Misericordiæ Domini, quod non consumpti sumus, inquit Propheta Ieremias. Agnoscamus & nos Ecclesiæ reliquias mirabiliter servari à Deo, etiamsi & pœnæ per genus humanum vagantur, & Diaboli horribilibus furoribus, odio Filii Dei, ἄσπονδον πόλεμον, *irreconciliabile bellum*, gerunt cum Ecclesia. Vidit urbs vestra & pœnarum & mitigationis exempla, ac Filium Dei custodem Ecclesiæ suæ oro, ut deinceps quoque & tuam domesticam Ecclesiam & publicam & urbem gubernet & servet. Regat etiam pectus & vocem Mauricii, & faciat eum σκεῦος ἐλέους, *vas misericordiæ*, & organum salutare suæ animæ & aliis. Petivit ut ego hoc ad te scriberem, ut ipsi novo hospiti sis monitor, ubicunque judicabis opus esse. Εὐλοιδόρητον ἐστὶ σχῆμα τοῦ ξένου, *Conditio peregrini calumniis obnoxia est*. Quare eum monebis & consilio reges. Quæso etiam ut initio œconomiæ ejus opem feratis. Nostra adhortatio, quam edi voluisti addita est libello, quæ si tibi placebit, minus me pœnitet editionis. Certe hæc voluntas mea est de publica concordia. Senex Palatinus & Dux VVirtenbergensis in conventu Nassaviensi petiverunt apud legatos omnium Saxoniæ Ducum, ut curarent convocari præcipuos Doctores

ctores Ecclesiarum in hac Germaniæ ora, se curaturos ut venirent & illi in altera Germaniæ ora, ut de multis rebus deliberaretur, ante Ratisponensem conventum. Suaderem idem si tales convenirent, quales in illa nostra oratione convenire opto. Benè vale & rescribe. 28. Novemb. cIↃ IↃ LV.

CLIV.

S. D.

VT veniens annus sit faustus & fœlix & Ecclesiis nostris & earum hospitiis & tibi & tuæ Ecclesiæ domesticæ, faciat filius Dei Dominus noster Iesus Christus, qui ideo massam naturæ humanæ induit, ut nos insertos suæ massæ gestet & servet. Scis ipse impendere magnas regnorum ruinas. Turcicos duces in Pannomia & vicina regione procedere & nostris eripere multas arces & oppida certum est. Interea ἥλις καὶ μεθύει καὶ ψεύδεται, ut dicitur in veteri Epigrammate. Oro filium Dei custodem Ecclesiæ suæ ut nos gubernet & servet. Commendo tibi Bartum, honestum & doctum virum. Benè vale. Cal. Januarii. 1556.

CLV.

S. D.

AUdio filiam Landgravii ante mortem expetivisse Patris colloquium, eumque per literas vocasse. Sed Pater suo quodam

consilio venire recusavit, ac filiam per literas consolatus est, quæ cum legerentur, ingemuit illa, & tantum hanc vocem edidit: *Pater & Mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.* Hanc narrationem cum nuper seni Pastori nostro recitarem, mox ille exemplum ad nos omnes transtulit, & quanquam lachrymis & ploratu vox impediebatur, tamen hæc verba adjecit: Similiter omnes sine Præsidiis humanis sumus. Quare Deo nos commendemus, qui certo custos est Ecclesiæ suæ & videt nostras lacrymas. Hac te quoque consolatione confirmato eam orbitatem Patriæ intuens. Hæc scribere malebam, quam populi fabulas, etsi heri huc allatæ sunt ex Ingelstadio literæ, quæ narrabant Marchionem Albertum in Gallia teneri captivum, propterea quod in rixa, fortassis ebrius, tumultuatus est. Hæc vos melius scire necesse est. De Synodo nostrarum Ecclesiarum rursus silentium est. Sed Synodus Flacciana his diebus συνεκροτήθη, *concelebrata est*, in qua existimo προβούλευμα factum esse, nequid recipiatur eorum quæ in Principum conventu deliberabuntur. Tuas literas avidè expecto, præsertim de Ecclesiæ & urbis vestræ tranquillitate. Oro autem filium Dei ut te & Ecclesiam tuam domesticam & publicam & urbem vestram servet & gubernet. Amisimus aliquot vestrates adolescentes nescio unde orto contagio, quod per

ὁμοτρα-

ὁμοτραπέζης vagatum est, nec alios attigit. 11. Feb. 1556.

CLVI.

S. D.

VIdemus consiliis humanis non posse Ecclesiam & Politias servari. Quod igitur Josaphat inquit, faciamus: *Ecce oculi nostri ad te Deus tolluntur.* Initia actionum Ratisponensium non ostendunt spem pacis. Et passim crescunt Theologica dissidia. Vergerius vocatur in Prussiam, Calvinus in Poloniam. In Pannonia perfidiosè interfectus est Petrovicius amicus filii Iohannis. Ea cædes irritabit Turcicum Tyrannum, ut præsidem ex suis impositurus sit Transsylvanis. In tantis periculis omnium gentium, oremus filium Dei ut nos protegat & gubernet, & suo quisque loco faciat moderatè ea quæ sunt sui officii. Ex Pomerania scribit mihi Iacobus, se propterea quia Princeps longius abfuerit, nondum vobis respondere potuisse, & à me petit, ut moram excusem. Simul autem significat Consiliarios pugnare, ne patriam deserat, in qua recens Frederus dissidium accendit, quod non leviter excruciat saniores. Mitto vobis pagellas, quæ utcunque ostendunt adhuc mediocria apud nos doctrinæ studia esse. Hæc Lipsiæ scribo, profecturus ad aulam quo, nescio cur, accersitus sum. Sed oro Deum ut nos gubernet. Benè & fœliciter vale. Die Iunii tertio. 1556.

CLVIII.

S. D.

SUa cuique virtus præcipua commendatio est. Sed tamen adolescentes necesse est adferre testimonia ad eos quibus non sunt noti, præsertim cum petunt sibi certas operas tradi. Hunc Josiam Menium natum in urbe Gedanensi, quam ajunt à Getis & Danis nomen habere, orphanum, natum ex patre Rectore Scholæ Gedanensis, novi jam annos quinque. Mores ejus sunt honesti & placidi, & carmen rectè scribit, unde intelligi potest eum ad docendos alios idoneum esse. Mitterem versuum ejus exempla si domi essem. Et aliquandiu alios fœliciter docuit. Quare cum intelligam quæri gubernatorem studiorum adolescentibus in νοσυκομείῳ, hunc Josiam tibi commendo. Eo etiam libentius juvabis, quia est orphanus. Scis enim Scriptum esse: *Esto Orphano Pater, tum Deus magis te diliget, quam Mater tua.* Spero vos modestiam, eruditionem & assiduitatem hujus Josiæ probaturos esse. Plura scribam cum rediero domum. Benè & fœliciter vale. Lipsiæ, Die decimo Maji. 1555.

CLIX.

S. D.

ECclesiæ vox hæc est apud Micheam: *Cum sedebo in tenebris, Dominus lux mea est. Iram*

Domini portabo, quia peccavi ei, donec causam meam judicet & faciat judicium. Ita nos quoque componamus animos ad ferendas pœnas, & petamus, ut Deus servet Ecclesiam suam & Politias quæ sunt hospitia Ecclesiarum, ut servaturum certe spero. Alia de bello, de causis, de exitu, quæ in vulgo mira varietate dicuntur, non scribam. Scio usitatum esse in magnis malis dici illud Demosthenicum: Si iste homo fecisset hoc, & hoc, non esset mortuus. Nos his querelis omissis, confugiamus ad eas consolationes, quæ divinitus traditæ sunt, non ut in otio sint θελκτήρια, *oblectamenta*, sed ut in veris doloribus nos sustentent. Commendo tibi hunc meum auditorem Johannem Reischacher doctum & honestum virum, spero ingenium ejus & industriam studiis juventutis profuturam esse, & virtutem ejus tibi voluptati fore. Nec deponamus curam de studiis etiam inter arma. Certè aliquæ mansuræ sunt reliquiæ Ecclesiæ Dei, quem oro ut te & nos servet. Bene vale. Die divisionis Apostolorum, qui me admonet & de miranda propagatione Evangelii & de miranda defensione.

CLX.

S. D.

ETsi domestica nosse rectius est, tamen nunc quidem Thracum & Pæonum historias

rias melius ſcimus, quam quid in Germania fiat. Tyrannum Turcicum ajunt promittere Pannoniæ inducias in ſexennium. Retinetur domeſtica calamitate. Nam filium natu Maximum interfecit falſo accuſatum à genero homine Rutheno. Hic narratum eſt ante paucos dies Marchionem Albertum rediiſſe in Saxoniam. Hoc ſcio τὴν ἀρχιγραμματέα τοῦ μεγαλοπυργησίου, *Concellarium Mekleburgenſis*, recens ad eum miſſum eſſe. Et vicini μαργῖται non fore pacem hac æſtate ajunt. Oro autem vobiſcum filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, cuſtodem Eccleſiæ ſuæ, ut & vos & nos protegat & leniat pœnas Eccleſiis noſtris domeſticis ipſum invocantibus, & publicæ Eccleſiæ. Mitto vobis pagellas de Principe Georgio, cujus memoriam retinere nos juſtum eſt. Et talia ſcribere nos rectius eſt quam convicia. Mitto etiam honeſtiſſimæ conjugi tuæ libellum Germanicè ſcriptum. Benè & fœliciter vale. 16. Februarii. die Natali meo, quo quod fauſtum & fœlix ſit, ingredior annum octavum & quinquageſimum. 1556.

CLXI.

S. D.

ET autea me duriter aulæ ſophiſmata exercuerunt, & nunc rurſus exercent. Sed vel mors vel novum exilium me ex his laby-

rinthis educet. Sparſerunt pagellas mutilatas nonnulli, cum quidem ego adjunxiſſem manifeſtam refutationem præſtigiarum περὶ δικαιοσύνης, *de Iuſtitia:* de quibus diſputare vel apud ignaros harum rerum, vel apud tales, quorum voluntas aliena eſt, difficile eſt: ac reſponderunt nonnulli in aula me aſtute ὑπὸ φιλονεικίας ὑπορύττειν οὐ κακῶς λεχθέντα, *ex contendendi libidine ſuffodere non malè dicta.* Nunc poſtquam liber eſt in manibus, etiam aliorum judiciis mea refutatio confirmabitur. Deum autem æternum Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti oro ut & ſervet aliquod ſemen ſanctum & te conſoletur ac ſervet incolumem. Spero veſtram Civitatem ὀρθὴν τηρήσειν τὰ ὅσια δόγματα, *rectam ſervaturam ſacra dogmata.* In aulis quam ſint infirmæ voluntates, exempla oſtendunt. Μαργίτης, quem etiam ajunt ſibi placere, quod autor ſit hujus novæ νομοθεσίας, quanto in odio apud ſuos etiam erit? Sed Deo nos commendemus. Bene vale. Die 20. Iunii 1556.

CLXII.

S. D.

VAletudinis cauſa Medicis ſuadentibus hic Carolus expatiatur, cui me, ſi liceret, comitem adjungerem. Nam mihi magis aliquanto exercitiis corporis opus eſt. Sed pendeo alligatus, ut ad Caucaſum Prometheus,

etſi

etsi potius sum ἀπιμηθὴς. Litigo cum novi dogmatis autore Canisio, qui contendit Filium Dei non ut mediatorem nunc, sed tantum ut Deum datorem bonorum invocandum esse, cum Cyprianus disertè dicat: *Pete à te Fili Dei, ut tu pro me petas, ut mihi detur robur, &c.* Quod dictum eò recito, quia tibi talis viri testimonium gratum esse judicabam. Carolum hunc auditorem nostrum tibi commendo. Sunt enim mores ejus pii & honesti, & se ad Ecclesiam docendam studiosè præparat, discit linguas, quæ fontes Propheticorum & Apostolicorum monumentorum continent. Quare te oro ne ei desis, si ei apud Senatum patrocinio opus erit. Transiit hac Vergerius, in Prussiam vocatus, qui verè questus est apud me nostris dissidiis non solum Pontificios confirmari, sed etiam audaciam in aliis malis ingeniis augeri, ut facilius novas & Ethnicas opiniones ferant. Habeo librum apud me hominis Lituani, qui Servetum revocare ex inferis conatur. Sed oro Filium Dei ut Ecclesiæ reliquias servet, & nos in Ecclesia gubernet. Iacobo Rungio misi tuas literas per peculiarem tabellarium cujus adhuc expecto reditum. Existimo Principem tardius respondere, quia jam occupatus est deliberatione de creando Episcopo Caminensis diœcesis post mortem Martini VVeier quem tibi notum fuisse existimo. Bene & fœliciter vale. Die 13. Iulii 1556. Oro

Oro Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut Eccleſiam tuam domeſticam, & urbem & publicam Eccleſiam protegat & gubernet.

CLXIII.

S. D.

SAlvi ad nos redierunt οἱ γραμματοφόροι, *literarum latores*, & Andreas & noſter civis, non longo intervallo. Civem noſtrum rurſum mittam ad Iacobum. Non enim incertis tabellariis veſtras literas trado. Hodie hunc mittimus Iglaenſibus in Moraviam Paſtorem, doctum & honeſtum virum, quem ut Filius Dei gubernet oro. Senatus enim miſit huc duos honeſtos viros qui Paſtorem adducerent. In Polonia etſi ſunt qui rectè docent, tamen quidam Nebulo ſpargit Serveticas βλασφημίας. Sed ſpero adverſaturos eſſe pios Doctores, qui hac de re ad me ſcripſerunt. Experti eſtis illud πῆμα κακὸς γείτων, *Noxa malus vicinus*. Ita ibi nocent vicinæ furiæ Mahometicæ. Hanc epiſtolam dedi Filio Sebaldi Beyrreuter concionatoris in veſtra urbe. Habet, ut ipſe putat, matrem apud vos adhuc viventem. Et cum Franciſcanus factus ſit in Egra, nunc miſſus in Brandeburgam hortantibus Paſtoribus, ex ſuperſtitione Franciſcana diſceſſit. Libenter vellet doctrinam Filii Dei melius diſcere, & poſtea ſervire Eccleſiæ.

Quare

Quare oro ut cogites quomodo juvari possit. Et ut misero orphano Patria opituletur, oro. Andreæ dabo literas uberiores. Mitto tibi Eusebii dictum de intercessione Christi, quod scio te libenter lecturum esse. Bene vale. 20. Augusti 1556.

CLXIV.

S. D.

COnditiones pacis æquas neque vestræ urbi feret hostis vester, neque mihi ferunt mei hostes. Quare nos Deo commendemus. Institueram refutationes duas, alteram contra Lituanum quendam, qui rursus spargit Serveticas blasphemias, alteram contra Cynicum Pragensem. Sed interrupit hunc laborem Flacius, qui totam suam Iliada repetit καὶ πόλεμον εὕδοντα ἀνεγείρει. Quare & huic respondere cœpi. Meus tabellarius in Pomeraniam missus, nondum redierat, cum hanc epistolam scribebam. Quidquid rescribet Iacobus, significabo. Episcopum Caminensem audio electum esse, Filium Ducis Philippi natu maximum, qui latinè jam loquitur & scribit, etsi ætas gubernationi nondum est idonea. Duces Megaloburgenses collegerunt equites, non ut opinor Livoniensis negotii causa, sed expectatione aliorum motuum. Nunc audio eos minitari Rostochianis. Si res Pannonicæ infœliciter gerentur, Turci Boiemiam

miam appetent. Et fata metuo. Sed oro Filium Dei, ut ſuas reliquias protegat. Bene & fœliciter vale. Die decimo Septembris, quo Iohannes Huniades mortuus eſt Anno 1456. Eſt igitur centeſimus annus ab ejus morte cIↃ IↃ XLVI.

CLXV.

S. D.

M*Iſericordiæ Domini*, inquit Propheta, *quod non conſumpti ſumus.* Nihil dubito Dei opus eſſe & ingens beneficium, quod hactenus repreſſi ſunt hoſtes veſtri, ac Eccleſiæ veſtræ preces & gemitus tot piarum matronarum, virginum & aliorum à Deo exaudiri ſtatuo. Nec deſinamus aſſiduis votis petere defenſionem, & gubernationem Filii Dei. Vagantur adhuc exercitus in Arctoo littore, & jam Bremenſi Epiſcopo minitantur. Nam Livonienſis controverſia rejecta eſt ad arbitros Regem Danicum & Duces Pomeraniæ. Iacobum retinet Patria, ut ex ipſius literis intelliges. Credo Menium poſſe vobis uſui eſſe, de quo coràm Ioachimus. Benè & fœliciter vale. Die 10. Octobr. 1556.

CLXVI.

S. D.

E'Ις ὀμματ' εὔνου φωτὸς εἰσβλέπειν γλυκύ, *Suave eſt intueri oculos viri benevoli.* Itaque & con-

conſpectu & dulciſſimis ſermonibus doctoris Hieronymi Medici valdè delectati ſumus, & Dn. Ioachimus & ego: magis etiam, & conſpectum tuum & tuos ſermones expeto, & ut literæ tuæ à Scholaſtico veſtro hodie mihi redditæ oſtendunt, te quoque optare noſtrum conſpectum intelligo. Quid mihi dulcius eſſet ad te accedere, ſi fieri id poſſet, cum his duobus amicis, cum vobis tribus & fratre meo germano, non alios homines pluris faciam. Benè & fœliciter vale. Die 12. Octob. 1556.

CLXVII.

S. D.

UT veniens annus ſit fauſtus & fœlix Eccleſiæ & hoſpitiis ejus, & veſtræ urbi, quæ eſt & Eccleſiæ & multarum honeſtarum artium hoſpitium, faciat Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ideo aſſumſit maſſam noſtri generis, ut nos ſibi inſertos tanquam ſurculos ſervet, ſicut inquit: *Ego ſum vitis, vos palmites.* Profecto enim non humanum odium eſt in hoſtibus veſtris, ſed quærit Diabolus Eccleſiarum & honeſtarum politiarum everſionem. Eò magis ſperemus à filio Dei auxilium, & petamus id ardentius, ſicut Ieremias vociferatur: *Tu in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos, ne deſeras nos.* Mitto pagellas proximæ diſputationis, quæ oſten-

ostendunt de magnis rebus passim moveri certamina, propter quæ nos oportebat conjunctiores esse. Sed commendo Ecclesiam & me in ea Filio Dei. Habeant nostri inimici suos adplausores, agant triumphos. Sed astutè faciunt. Nusquam totum doctrinæ corpus edunt, tantum excerpunt ex nostris mutila quædam membra, quorum reprehensionem sciunt plausibilem esse. Spero me brevi ex his rixis migraturum esse ad Ecclesiam, in qua sine sophistica Deus celebrabitur. Oro filium Dei ut te & tuam domesticam Ecclesiam servet & protegat. Bene vale. Die Brumæ. 1556.

CLVIII.

S. D.

SI quid haberem ἀξιόλογον, *memoratu dignum*, de his regionibus, significarem. Tantum hoc audio, ut olim in Græcia spargebatur aurum Persicum, ita nunc in litore Baltico ad conducendas Equitum & peditum copias spargi aurum Gallicum & Belgicum: Turcicæ minæ ibi ridentur. Henricus Brunsuicensis est in specula, ut impediat concursationes. Sed metuo si quando seditiosum agmen convenerit, fore ut totam viciniam populetur. In hac ἀναρχίᾳ, *mala administratione Reip.* quantum sit licentiæ, vos quoque & experti estis & quotidie cernitis. Teneamus autem hanc veram

veram consolationem; Filium Dei custodem esse sui cœtus, quem imperia regere non studeant. Hæc scripsi cum ad alias ærumnas mihi etiam novum dolorem addidisset interitus ejus viri, de quo pagellam mitto, quem propter eruditionem, pietatem & eximium candorem valde dileximus, ego & alii multi: Sed adflixerat vires corporis ipsius aula Pomeranica, in qua Principes adolescentes docuit. Si Fabricii filium istic à ministerio Evangelico removetis, offert se vobis Laurentius Dürrenhofer, natus ex Petreii Typographi vestri conjuge. Cujus ingenium bonum esse judico, & minus κοῦφον, *leve*, quam est Fabricii. Genus doctrinæ Laurentii, formam expositionis, vocem & pronunciationem laudant, qui hic concionantem audiverunt: Et concordiæ tuendæ studiosum fore spero. Benè & fœliciter vale. Oro filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, ut vestram Ecclesiam publicam & urbem & tuam Ecclesiam domesticam servet & protegat. Die Ambrosii. 1557.

CLXIX.

S. D.

CLariss. vir & Patrone carissime. Etsi vocaverat me Palatinus Elector, ad deliberationem de Academia Patriæ, & causæ non leves sint, cur ibi esse mallem, ubi respondere

Sycophantis liceret, tamen voluntati nostræ aulæ cessi, quæ petivit ne discederem. Oro autem filium Dei ut me gubernet. Hanc epistolam dedi Magistro Bernardo Moller Hamburgensi, qui vobis offert suam operam in eo munere, quod Iosias reliquit, qui quidem mihi interroganti, cur istinc discessisset, respondit, nullam causam esse, nisi quod diutius audire ibi nostri Aristarchi seu Momi censuras de nobis noluisset. Vestra erga se beneficia valde prædicat; Nunc ergo, si res est integra, hunc tibi Bernardum doctum, prudentem & modestum virum commendo, quem quidem tuis consiliis in omnibus obtemperaturum esse existimo, rixas vero sapienter vitaturum. Vides signa moderationis in gestu & in oratione. Oro autem Deum ut nos omnes gubernet. Bene vale. Die 24. Maii. 1557.

CLXX.

S. D.

IN pagellis quæ titulum habent Demetrii Phalerensis, scriptum est, Aristotelem rogatum ut de longiore quæstione responderet, solitum rescribere: ταῦτα μὲν οὐκ ἔστιν ἐπιστολικὰ, *Hæc non conveniunt Epistolis.* Sic ego cum de multis magnis rebus etiam quotidie tecum loqui cupiam, cum in literis illam rerum magnitudinem complecti non possim, utar hac Aristotelica excusatione, ταῦτα μὲν οὐκ ἔστιν ἐπι-

φυλικά. Annotavi tamen in pagella inserta huic Epistolæ quædam historica de his, quæ antecesserunt conventum Francofordianum & alia. Quod in patriæ Academiam vocatus, non tantum Principis literis, sed etiam amicorum dulcissimis adhortationibus non sum eò profectus, & si desiderio patriæ afficior, habeo excusationem aulicam, quia Princeps Elector Saxonicus petivit, ut manerem. Et non valde contendi, ut dimitterer, brevi enim spero me in cœlestem patriam profecturum esse. Si abiissem, longius processissem in ea loca, ubi respondere Sycophanticæ Flacianæ liberius potuissem. Hæc sunt ἐπιφυλικά, mendicare scholasticorum causa, & hunc nostrum gregem tibi commendare. Carolus Schoppius Filius diaconi Ecclesiæ vestræ, vir honestus & eruditus est, & non recusat Ecclesiæ vestræ servire, petit ut concedatur sibi diutius frui stipendio. Iudico dignum esse benevolentia vestra propter eruditionem & optimos mores, cum quidem rari sint, quorum laudare mores possim. Vides enim quæ sit horum temporum licentia, quam tetra disciplinæ laxatio. Sed hunc Carolum existimo & natura modestum esse, & doctrina ad intellectum & amorem virtutis assuefactum, & vera agnitione filii Dei & à S. Sancto ad pietatem accensum. Quare eum tibi commendo.

De Hamburgensi tibi gratiam habeo, te-

que oro ut consiliis eum tuis & præceptis regas, ac spero tibi obtemperaturum esse. Beneficia vestra erga se prædicat, & laudat modestiam & temperantiam vestrorum hominum, quare & ipsum has virtutes amare judico. Mitto pagellas nostro more. Libenter autem integrum volumen contra Enthusiasticos Suencfeldianos mitterem, quod multi diu à me petiverunt. Sed toties interruptum est opus aliis negotiis, ut nondum absolverim. Bene & fœliciter vale, vir optime & carissime. 26. Iunii. 1557.

CLXXI.

S D.

HIc noster auditor Henricus Ecardus patrem habet Norinbergæ fabrum lignarium. Et fabricat ipse versus non famæ, sed famis causa. Interdum enim accepit à suis Patronis aliquantulum pecuniæ pro versibus. Sed Chœrilus fœlicior fuit, cui narrant pro singulis versibus in poëmate de pulso Xerxe, numeratos esse singulos stateras, id est, didrachma aurea, à Rege Archelao. Dedi autem huic Henrico epistolam ad te, quia tibi notus & commendatus esse volebat. Dedit ei aliquid hactenus Sigismundus Ortel civis vester. Orat igitur ut & huic Sigismundo & aliis, qui in hoc genere benefici sunt, se commendes, ut studia ipsius juventur, donec locum

cum docendi in Schola aliqua aut in templo inveniat. Scio te libenter benefacere modestis & studosis, ideo & de hoc Henrico ad te scribere ausus sum, quem proficere in scribendis versibus animadverti. Bene & fœliciter vale. Die 18. Iulii. 1557.

CLXXII.

S. D.

NOn toto mense ante conventum Francofordianum scripserunt ad Ducem Saxoniæ Electorem, Palatinus Elector & vicinus Wirtenbergensis, ut duceret secum Theologos ad Mœni ripam. Mittunt Catalogum quæstionum, de quibus differendum sit. Tempus erat brevius quam ut hæc postulata aliis Principibus harum regionū indicari possent; καὶ ἐθαυμασάμεθα τὴν πολυπραγμοσύνην ἐκείνων, *& mirati sumus curiositatem illorum.* Repetebatur in illo Catalogo & Osiandrica controversia. Quam credo satis perspicue dijudicatam esse apud vos: & movebantur aliæ quæstiones. Nunc audio ab istro Gallum ad Ripam Mœni adductum esse. Si nova decreta cudentur, fortassis classica erunt novorum dissidiorum. Sed oro filium Dei ut nos gubernet. De bello Livoniensi hodie nobis hospites, qui huc venerunt à litore Baltico, narrarunt, Exercitum Polonicum ad Livonienses accessisse, Duces etiam nominarunt, &

repressum esse in finibus dixerunt à Livoniensibus, & Polonos aliquot in prælio interfectos esse. Fuit apud me ante paucos dies Timotheus Secretarius Ducis Borussorum, qui dicebat se Francofordiam properare, qui etsi de prœlio nihil narravit, tamen non esse factam pacem dicebat.

In Daniam sunt missi Pastores Ecclesiarum Hamburgensium, Lubecensium & Luneburgensium, ut certamina dirimant περὶ δείπνου κυριακοῦ, *de Cœna Domini*, seu ut fœdera de ea causa faciant. B. V.

CLXXIII.

S. D.

200. PYthagorei sumus καὶ ἐχεμυθίαν πρεσβύω, *& silentium servamus.* Ideo de historia colloquii non licet scribere. Sed hoc nemo ignorat, ut apud Xenophontem Lacedæmonios suadet quispiam domi distrahendos esse, sicut apes fumo dissipantur sub alveolis facto: ita nobiscum adversarii bellum gerunt, etiamsi Xenophontem non legerunt. Quærunt astutè consilia ad nos disjungendos, ut abrumpant colloquium, in quo initia nobis secunda fuerant. Disputant inter nos dissidia esse. Cũ quidem nos si procedatur consentientes explicationes tradituros nos esse responderimus. Sed μόγις ἁλίσκουσι γεραιαὶ ἀλώπεκες, *difficulter capiuntur annosæ vulpes.* Nicolai sponsi patri dabo lite-

literas prolixiores. Nunc tibi gratias ago pro perpetua tua benevolentia erga me & meos. Nam & fratris Filius narrat tua beneficia & literas de eo honorificè scriptas, misi ejus Patri. Gaudeo mores tales esse, ut tibi placuerint. Benè vale cum Ecclesia domestica & publica. Die festo castorum Angelorum cIↃ IↃ LVII.

Paulus Eberus & meus gener optant tibi & vobis omnibus omnia fausta.

CLXXIV.

S. D.

CLariss. vir & Patrone Cariss. Meministi multos sapientes viros & amare & colere Dei rerum, non solum propter artis excellentiam, sed multo magis propter alias summas virtutes, quæ Deo copulant homines & sunt rectrices vitæ. Talis & Mycillus erat, ut scis, non solum propter ingenii elegantiam & eruditionem, quæ fuit amplissima, diligendus, sed multo magis quia mens ejus fuit templum Dei. Hæc scio te cogitantem valde dolere, quod & Scholæ & Ecclesiæ tali ornamento orbatæ sunt. Hodie literas accepi, Petrum Lotichium etiam ægrotare magno cum periculo, qui ante paucos annos in Italia venenum hausit. Mitto tibi Lotichii carmen de Mycillo. Mitto & nostras pagellas, quas tamen vidisse te opinor, quarum squalori & brevitati

veniam dato. Quid enim scribere possum in his miseriis, in quibus vivo? quas ut Filius Dei leniat, toto eum pectore oro. Iacobum natum in urbe Lyncea Austriæ, doctum & modestum virum esse scimus, & vera pietate Deum colere. Quare ut eum complectaris & tuearis, oro. Spero etiam in omnibus negotiis tuis consiliis obtemperaturum esse. Benè vale. Idibus Aprilis, 1558.

CLXXV.

S. D.

CLariss. vir & Patrone carissime. Etsi cogitabam tibi & aliis post tragicum exemplum in Ripa Mœni editum crescere curas, Duraque multa tuo tristi cum corde putare, te præcipue, eoque minus libenter te interpellabam: tamen huic nostro amico Georgio Cracovio Doctori juris, genero Doctoris Pomerani, cupido tuæ amicitiæ, literas dedi, cui ut hospitalia officia præbeas, propter memoriam nostri Pastoris, qui te valde dilexit, oro. Proficiscitur Legatus ad Marchionem vobis vicinum, propterea quod *οἱ μεθοναῖοι σύνοδον περὶ δογμάτων ἐν τῇ παρθενόπῃ συγκροτῆσαι ἀπαδάζεσι*, *Vinarienses Synodum de dogmatibus Magdeburgi celebrare volunt.* Etsi non interfui deliberationi Francofordianæ, & vellem non tam cito scriptos esse articulos; tamen cum alii flagitarent Synodum, nostri ne majora certamina

mina orirentur, si Synodus convocaretur, decurrerunt ad hoc consilium, ut hoc testimonium de suo consensu, & studio concordiæ ostenderent. Ideo non velim inde majores tumultus oriri. Sed de his rebus quæso ut consilia tua Georgio Cracovio ostendas. Scis nos maxime optare Ecclesiarum nostrarum concordiam & pacem Germaniæ. Hæc bona ut Deus tribuat nobis, & ut te & nos servet, toto eum pectore oro. Benè & fœliciter vale. Cal. Maii. 1558.

CLXXVI.

S. D.

CLariss. vir & Patrone carissime. Cum Lipsiæ accepissem fasciculum literarum vestrarum, jussi nuncium pergere ad nostras collegas, nec resignavi Senatus literas. Domi igitur respondebo copiosius lecta vestra quæstione, quæ si eadem est, quam Ioachimus Anhaltinus ad nos misit, scire te volo quid consilii Anhaltino dederimus, responsuro τοῖς μεθωναίοις, *Vinarienſibus*. Pagellam igitur huic chartæ inserui, in qua nostri consilii summa narratur. Postea Dux Pomeraniæ cum Anhaltino deliberavit. Et existimo eos idem respondere. Præterii dogmatum disputationem, & suadeo ne ad illos accedant, qui moliuntur novas distractiones. Miror etiam quomodo ad Synodum congruant tantæ equitum

copiæ, quæ ἐν τῇ χώρᾳ τῶν μεθωναίων, *in regione Vinarienſium*, colliguntur. An cauſam dicemus inter equites, aut hi erunt judices? Sed Deo nos commendo. Oliverio dedi mandatum, ut ad regulas Grammaticas adoleſcentiam adſuefaciat. Spero eum recte facturum officium, & tuis conſiliis obtemperaturum eſſe, quare te oro, ut eum gubernes & tueatis. Bene vale. Die ſexto Maii 1558. Lipſiæ.

CLXXVII.

S. D.

CLariſſ. vir & Patrone colende; Quanquam & uſus cauſa, divina vox jubet ut Medicos honore adficiamus, ut ſcis; tamen & artem & Medicos amo, non tantum utilitatis cauſa, ſed etiam quia ars eſt conſideratio mirabilium operum Dei, quæ ſunt teſtimonia præſentiæ Dei in genere humano, & Medici nobis poſſeſſionem optimæ doctrinæ tuentur. Laudanda eſt igitur civitas veſtra, quæ erga Medicos officioſior eſt, quam pleræque aliæ. Mittit autem ad vos vir excellens eruditione, virtute, & peritia in medendo Doctor Iohannes Placotomus librum utilem artificibus, qui in Myropoliis medicamenta adparant. Etſi non rudis ſum doctrinæ Medicæ, tamen non facio me judicem de talium librorum collatione. De viro ipſo hoc adfirmo, eum excellere & mores eſſe integerrimos & honeſtiſſi-

neſtiſſimos, & in medicando magnam induſtriam, cum in vulnerum curatione, quæ Chirurgorum exiſtimatur eſſe propria, tum vero in Phyſica arte quæ morbos interiores curat. Fuit charus Duci Pruſſiæ, & nunc Dantiſcani eum revocant. Nam propter honeſtiſſimæ conjugis Patriam, redierat Iſlebiam. Valdè igitur te oro, ut & propter artis dignitatem, & viri integritatem, commendes hujus Doctoris Iohannis Placotomi laborem Ampliſſimo Senatui veſtro. Scio tales interpellationes in his turbulentis temporibus difficiles eſſe. Sed te oro ut in hac cauſa & arti & nobis hoc officium tribuas. Et ſcis pacis & belli temporibus magnum eſſe Medicorum uſum. Benè & fœliciter vale. Cal. Maji. 1558.

CLXXVIII.

S. D.

CLariſſ. vir & Patrone cariſſ. Etſi optarim Principes in Ripa Mœni non properaſſe in ſcribendis articulis, tamen majores fieri dilacerationes poſtea minus velim, & quidem cum tantum præſtigiis ſophiſticis deliberata illa labefactentur. Si omnino volunt aliqui novas diſtractiones fieri, res prius ad Synodum communem deducatur. Sed oro filium Dei, Angelum Magni conſilii, ut nobis omnibus det pia & ſalutaria conſilia. Vos ſpero nequaquam ad particularem Synodum acceſſu-

ros

ros esse. Fata postremæ senectæ mundi horribiles Imperiorum & Ecclesiæ dilacerationes minitantur, quæ ut leniat Filius Dei precemur, & ut sapientes gubernatores moderentur. Valde optandum est. Benè & fœliciter vale. Die 15. Maji. 1558.

CLXXIX.

S. D.

CLariss. vir & Patrone carissime. Amo veterem versum, qui & tui animi effigies est: ἅπαν τὸ χρηστὸν τῇ ἴσην ἔχει φύσιν, *Omne bonum naturam habet æqualem.* Dilexi Rottingum annos quadraginta: nec benevolentia erga ipsum mea extinguitur, etiam si cubi fortassis à me dissentit, quanquam nondum scio, quid in nostris sententiis desideret. Filium vero & propter paternam amicitiam, & propter proprias virtutes complexus sum, & ut meum filium diligo. Scio eum Ecclesiæ vestræ consensum & amplecti & tueri & maxime optare ut æterna sit Ecclesiarum nostrarum conjunctio. Quare te oro ut cum & complectaris & ornare studeas. Ea est ipsius moderatio, ut de dogmatibus cum Patre nihil disputaturus sit, qua de re congruent tuæ admonitiones cum meis. Tueamur conjunctionem nostram propter gloriam Filii Dei, & Ecclesiæ salutem, nec frangamur animis propter Sycophantias, quas Deus etiam aliquando refutabit. Benè

& fœ-

& fœliciter vale. Filius Dei totam Ecclesiam vestram publicam & tuam domesticam servet. Cal. Augusti. 1558.

CLXXX.

S. D.

CLariss. vir & Patrone carissime. Cum nuper decerneretur gradus Magisterii aliquot Scholasticis, recitata est oratio de vita Pastoris nostri Doctoris Pomerani, quam cum scriberem, sæpe te intuebar, cogitans illam auream ætatem hujus seculi, in qua tibi dulcissima familiaritas erat cum ipso D. Pomerano, Suavenio, & aliis honestis & doctis viris qui tunc aderant. Exempla Orationis mittam cum Typographi ediderint. Nunc tantum hanc mitto pagellam, in qua spero tibi consolationem communem quam ibi scripsi non ingratam fore. Tragœdias Belgicas scio vobis notas esse: ideo de eis nihil scribo. De Theologicis hoc scio, τὸ μεθωνεῖον ἡγεμόνα, *Vinarienſem Ducem* misisse suam censuram ad aulas, quam audio non dissimilem esse illi sophistico Scripto, quod Flacius antea sparsit. Non nunc primum hoc Thucydideum amant, μὴ ἐθέλειν ξυνέπεσθαι μετὰ δεδοκιμασμένων, *nolle exequi quod probatum est.* Sed spero tamen Deum mentes multorum piorum copulaturum esse, ut aliquod sit agmen honestum consentiens. Bene vale. Die Laurentii. 1558.

CLXXXI.

CLXXXI.

S. D.

CLariſſ. vir & Patrone cariſſ. Et debeo & habeo gratiam, quod in ſcribendo adſiduitatem præſtas, cum quidem occupationes tuæ, nobis notæ ſint: ac in his doloribus, quibus nunc excruciamur, levationem aliquam literæ nobis tuæ adferunt. Joachimi luctus & mihi & multis aliis auget mœſtitiam, ſed precemur Filium Dei, ut Eccleſiam publicam, & domeſticas Eccleſias noſtras ſervet & gubernet. Videmus enim quam ſint humana omnia fragilia. Hic juvenis Laurentius Dürnhofer Petreii Typographi privignus etiam propter valetudinem in patrium aërem proficiſcitur. Natus enim in conjunctione Solis & Lunæ metuit tabem. Sed doctrina bene excultus eſt, & ut aditum ad te haberet, literas à me flagitavit, nec aliud petit, niſi ut à te Matri commendetur. Nam autoritatem tui judicii multum ſibi profuturum eſſe judicat: adjungas autem & meum teſtimonium. Benè vale. Die 8. Octobr. 1558.

CLXXXII.

S. D.

IN Argonautico carmine deſcribitur immanitas τῶν μοσσυνοίκων, quos eſſe Moſcovios conſentaneum eſt. Et in Pſalmo querela eſt Eccle-

Ecclesiæ, quod exulet in Mesech, quos etiam interpretor Moscovios; Poterat enim David nosse τὸν μοσυνοίκους, quæ tenuerunt tunc ea loca quæ deinde partim Galatæ partim Cappadoces occuparunt. Nunc certè exempla crudelitatis ostendunt in Livonia Mossynœci non pauca, magna multitudo abducitur in barbarica exilia, matronis & virginibus pudicitiam tutantibus præciduntur ubera. Si Dux Livonia potitus fuerit, appetet Balticum litus & Poloniam. Plura nunc de hac Arctoa plaga scribere non libet. Bossonem cum tuo judicio complexus sis, spero te etiam deinceps ornaturum esse, cujus cursum ut gubernet Deus opto. Oro etiam Deum ut vestras Ecclesias & urbem & vos omnes protegat. Bene & fœliciter vale. Nonis Septembris. clo Io LVIII.

CLXXXIII.

S. D.

SCio te quoque initio venientis anni cogitare de multis magnis rebus, de sapientia Dei, qui hunc pulcherrimum ordinem & temporum vices & siderum metas condidit, de superiorum annorum exemplis, de venturis periculis & his cogitationibus miscere gemitus & vota, ac petere, ut filius Dei & universam Ecclesiam & tuam domesticam servet & gubernet. Idem & nos tecum precamur. In his

his regionibus adhuc Dei beneficio sunt Halcyonia, quæ ut sint diuturna, faciat Filius Dei. De exercitu equitum Germanicorum, qui in Castris Gallicis fuerunt, vidi exempla literarum quas Rex Philippus & dux Allobrogum scripserunt ad Electores quosdam, in quibus narratur palàm minitari equites illos Germaniæ. Etsi existimabam ad vos etiam exempla illa missa esse & multo plura vos scire, tamen hæc scripsi ut ad nos quoque perveniisse illas literas sciretis. In Livonia nondum belli finis est. Et antiquum fœdus urbium in Arctoo litore dissolutum est. Impendet ingens mutatio omnibus Regnis, in qua ut Deus clementer servet Ecclesias & earum hospitia, toto eum pectore oro. Bene & fœliciter vale. Die Brumæ. 1558.

CLXXXIV.

S. D.

Ipse Deus sapiens verbo qui cuncta creavit
Et certis annum legibus ire jubet,
Efficiat nobis veniens sit faustus ut Annus
Et Clemens dextra nos tegat ipse sua.
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen
Cujus sit Doctor, vita, caputque, λόγος.
Hic λόγος aterno natus patre, semper adesse,
Et custos nobis & caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
Regum præsidiis orphana & illa caret.

Sed

Sed noſtram indueris cum miro fœdere maſſam
Gnate Dei, ſemper nos tua membra regas.
Et facias tecum nos unum ut ſimus in ævum,
Vera laude tuus quo celebretur honos.

Hæc vota initio Anni cum Eccleſia veſtra publica & tua domeſtica facio, & mitto carmen de Iohanne Evangeliſta. Peto autem ut Georgium Cracovium generum Doctoris Pomerani proficiſcentem Auguſtam, & complectaris ipſe & commendes Legatis veſtris, qui erunt in conventu. Scis enim conſiliorum collationem interdum neceſſariam eſſe, ad quam adferre mutuam benevolentiam utile eſt. Benè & fœliciter vale. Cal. Januarij Anno 1559.

CLXXXV.

S. D.

CLariſſ. vir & Patrone cariſſ. Scio te quoque ſæpe cogitare dictum de orphanis; multis enim opitulatur veſtra civitas, publice & privatim: γίνε ὀρφάνῳ ὡς πατὴρ καὶ ἔσῃ ὡς ὑὸς ὑψίστε, καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἢ μήτηρ σε, *Sis orphano ut pater, & tu eris ut filius altiſſimi, diligetque te magis quàm mater tua.* Quid poteſt promitti majus amore Dei tanto, qui vincat στοργὴν maternam, quæ eſt ardentiſſima? Exiſtimo etiam civitati veſtræ & multis piis familiis, lenire multas ærumnas, quia orphanis

bene facitis. Oro igitur ne huic Petro Alphæo desis, cujus mores sunt pii & modesti. De ingenio & studiis judicare potes ex ipsius carmine. Spero eum usui fore Ecclesiæ Dei. Quare ut ejus ingenium foveatis, præsertim cum sit orphanus, valde vos oro. Cogitemus nos omnes esse orphanos & tantum defendi à Deo, quem toto pectore oro, ut & te & Ecclesiam vestram publicam & tuam domesticam protegat. Bene vale. Cal. Ianuarii. 1559.

CLXXXVI.

S. D.

LIpsiæ accepi & Placatomi φαρμακοπιΐαν, & missos autori duodecim Ioachimicos. Hos Placotomo per homines fide dignos mittam ad veterem Getarum & Danorum coloniam, quæ ab utraque gente nomen habet Gedani. Ibi Placotomus cum duobus bellum gessit, Ὀσιάνδρῳ καὶ Ὀσίῳ. Alterũ certamen mors Antagonistæ diremit. Alter rediit jam ex urbe lectus in Senatum Purpuratorum patrum, spero autem fore ἀμνησίαν, *oblivionem* priorum offensionum. Non enim facile invenias majorem artificem simulandę comitatis, quam est Ὀσιῶ ἀνόσιῳ, *Hosius minime sanctus*. Me blande salutat, quanquam in publicis scriptis rabiosè convitiatur. Doleo in homine nato in vicinia meæ patriæ, tantum esse fraudum. Hujus artificiis existimo nunc & Polonica comi-

comitia impediri, in quibus magnæ de Ecclesiasticis controversiis contentiones futuræ putabantur. Nunc arte res extrahitur. Sed certiora brevi sciemus. Benè & fœliciter vale. Lipsiæ. Domi Calendis Ianuarii dedi literas ad te Georgio Cracovio. 1559.

CLXXXVII.

S. D.

ORo filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, sedentem ad dextram æterni patris, ac dona largientem hominibus, ut te & totam Ecclesiam tuam domesticam & Ecclesiam vestram publicam gubernet & protegat, & tibi vires corporis & animi confirmet teque gestet etiam in senecta. Sæpè cogito precationem meæ conjugis, quam in multis doloribus repetere solebat: *Non deficiat virtus mea in senecta!* Idem petamus nos quoque. Et spero Filium Dei qui est caput Ecclesiæ omnia in omnibus perficiens, nobis adfuturum esse, nec dubito eum cernere nostra pectora & gemitus nostros. Commendo tibi Laurentium, quem spero concordiæ studiosum fore. Bene vale. Die 27. Martij. 1559.

CLXXXIX.

S. D.

SCio te sapienter de ingeniis judicare, ideo non longa oratione de Schelhamero opus est. Eruditionem ex ejus scriptis cognosces, & mores sunt pii & honesti. Collocabitis igitur eum aut in schola aut in templo : χρὴ γὰρ ἄνδρα τάσσειν, ἔνθα μάλιστα αὖ ὠφελοῖ, *oportet virum collocare, ubi plus prodesse potest.* Idque scis esse justitiæ distributivæ officium. Scripsi de eo ad Senatum. Sed te patrono nobis opus erit. Mitto ἐπιτάφιον λόγον, *Orationem funebrem*, de Rege Danico, scriptum brevius quam vellem, cum quidem autoris facultas ἐπιδεικτική, *laudativa* potuerit addere splendorem. Sed opinor consulto hanc nudam narrationem eum edidisse. Nondum scimus finem Areopagitici judicii, in quo causam dicunt Pastor Ecclesiæ Ienensis, senex maximè φιλήσυχος, & Victorinus. Ubi cognovero, quæ certamina fuerint & quæ fuerit καταστροφή, scribam. Placeant sibi quantum volunt & sese mirentur hypocritæ nobis inimici, ego sophisticen qua plausus cient sui theatri profiteri nolo, nosque commendo Filio Dei. Bene vale. Die 18. Aprilis. clɔ Iɔ LIX.

CLXXXIX.

CLXXXIX.

S. D.

CLariſſ. vir & cariſſ. Patrone. Cum & civium & peregrinorum ſtudia liberalitate digna ſapientibus & piis gubernatoribus juvetis, idcirco prædicat hic Carphus Auguſtanus grata commemoratione veſtra beneficia & patriam alteram, veſtram urbem nominat. Spero Deum viciſſim vobis benefacturum eſſe, & ut urbem & Eccleſiam veſtram & tuam domeſticam Eccleſiam protegat, toto eum pectore oro. Profecto enim in tanta rabie Diabolorum nihil ſine excubiis divinis incolume eſſe poteſt. Intelliges autem beneficia veſtra benè collocata eſſe in hunc Carphum, quia & rectè didicit doctrinam Eccleſiæ & mens eſt bona & abhorret à monſtroſis opinionibus & gratitudinem eo oſtendit, quia cum eum in oppidum Eperies miſſurus eſſem, reſpondit, ſe officio impediri, quia vobis deferre ſua officia debeat. Tibi igitur eum commendo. In literis Eperenſibus hæc erant verba: Byzantinus Tyrannus fœdus ad obitum ſuum expetit. Qua de re donec concludatur, quinque menſium induciæ intercedunt. In his comprehenduntur & rebelles, ſi tamen eas non violant Turci & ſeditioſi. Ea fœderis poſtulatio non alio ſpectat quam ne hinc impetatur Solimanus, dum duo ejus filii, de Im-

perio inter se dimicant, & ut reliquum omne vitæ tempus in otio transigat, certumque post se & Imperatorem & statum relinquat. Pater diadema Selimo defert. Bajazetus ad Persam se contulit, in quem favor inclinat præcipuorum de consilio & militum. Hæc Epistolæ Eperensis verba sunt. Etsi vetustas etiam dixit Thracum infida esse fœdera, tamen in hac ignavia nostrorum pacem sanè emant Heroes nostri. Sed commendemus nos filio Dei, & precemur ut ipse Ecclesias protegat. Bene & fœliciter vale. Die 19. Maji. 1559.

CXC.

S. D.

IN Psalmo querela est Ecclesiæ, quod exsulet inter Mesech & Cedar. Nec dubium est à voce *Mesech* Moschos esse, quos arbitror & Mossynœcos in Argonautico carmine nominati. *Cedar* Arabes esse non dubium est. Nominat igitur gentes maxime feras ad Arcton, Mesech, & Mahometica latrocinia ad Meridiem, Cedar. Inter immanes Cyclopes & sophisticam colluviem omnibus temporibus in hac vita duriter quassatur Ecclesia. Nunc καὶ τὸ ῥητὸν Moschi ad Arcton in Germania grassantur, Mahometici ad Ortum. Nondum spes pacis est in Livonia. Ac certum est Magistrum Livoniæ, ut nominant, petere auxilium à Polonis. Urbes Livonicæ Saxonicarum colo-

coloniæ sunt. Nam Rigam à Bremensibus conditam esse certum est. Nunc colonias illa bellatrix natio deserit, quæ ante paucos annos Regno Danico bellum inferebat. De bello in Ditmarsia, quam existimo esse Teutonum Marchiam, hæc habemus. Bis oppugnatum est oppidum Mœldorp priusquam caperetur. In tertia oppugnatione captum est. In oppido multitudo civium, puerorum, mulierum magna interfecta est. Fugit pars in templum, hi non sunt interfecti. Præda fuit locuples. Et machinæ magnæ aliquot inventæ sunt. In exercitu Ducis Adolphi in oppugnationibus circiter tria millia perierunt. Plus non sciebamus, cum hæc scriberem pridie festi Baptistæ. Oro Filium Dei ut & illis leniat pœnas & nos clementer protegat. 1559.

CXCI.

S. D.

TAlis est hominum vita, ut singulis opus sit multis aliorum officiis. Et homines boni student quamplurimis benefacere, unde illud vetus est, κοινὸν ἀγαθὸν ὁ χρηστὸς ἀνήρ, *Vir bonus est commune bonum.* Talem cum te esse sciant plurimi, plura à te officia petuntur. Est autem hoc quoque tuæ bonitatis, recipere etiam molesta negotia. Servivit Ecclesiæ nostræ multos annos fideliter Magister Sebastianus Froschelius, huic legavit, nescio quan-

tum, ipsius cognata quæ fuit nupta Erhardo Zeileison civi vestro. Olim verò plura promisit. Nec vero disputationum movet Froschelius de testamento. Sed te orat, primum ut hortator sis heredi ut legata mittat per hunc doctorem Christophorum sine tergiversatione. In hac petitione cum justa sit, sperat te sibi non defuturum esse. Orat autem ut & alteram adhortationem addas. Fuit officiosus erga cognatam & sæpe ejus causa sumptus fecit, quare & ipsa ei multa promisit. Narrationem de his rebus Froschelius mittit. Orat igitur, ut ad legata heres aliquid addat. Habet Froschelius tres filias, quarum mores sunt honesti & pii, & tota domus casta est. Erit omnino grata Deo pietas, si his sanctis virginibus aliquid heres largiatur. Etsi quantum hæc oratio apud vos valitura sit dubito, & te non libenter onero, tamen existimo tibi sensum heredis notum esse, & si non est ἀστοργος erga conjugis cognatas, pietatem declarabit. Oramus igitur & Froschelius & ego, ut virginum causa sis ei hortator ut propter ipsas aliquid legatis addat. Totam hanc rem & pietati & prudentiæ tuæ commendo. Bene & fœliciter vale. Die Laurentii.

Nescio an audieris: Regi Gallico Henrico jus occupandæ Angliæ à Rom. Pontifice datum fuit. Hæc erunt futura initia sævitiæ adversus eos qui à Rom. Pontifice dissentiunt.

In

In Marchia nobis vicina in oppido Sara templum terræ motu quassatum est tempore concionis, & testudo collapsa oppressit sedecim homines & in his concionatorem, qui postea in idem sepulchrum collati sunt: alii evaserunt quorum multi tamen ægrotant vulnerati saxis dissipatis. Oro Deum ut nos clementer protegat. Plura alia habebam, sed properabat nuncius. 10. Augusti. 1559.

CXCII.

S. D.

CLariss. Vir & cariss. Patrone. Hanc Epistolam cum Carpho darem, cœperam scribere ad Patriarcham Ecclesiæ Byzantii. Fuit enim nobiscum hac æstate, vir Rascianus, qui narrat se Diaconum esse Ecclesiæ Byzantii. Non judicamus hominem vanum esse. Nam mores sunt honesti & de doctrina Ecclesiæ pie loquitur. Cumque Græcam linguam benè didicerit, sententias Græcorum scriptorum, qui dogmata apud eos tradiderunt, non inerudite recitat. Ait adhuc multas Ecclesias in Asia in insulis esse, ac in Chio, quæ est Genuensium, præcipua studia esse doctrinarum. Hanc narrationem eo scripsi, quia te sciebam gavisurum esse, si quid boni de illarum regionum Ecclesiis audires. Carphum tibi commendo, quem spero tuis admonitionibus obtempe-

raturum esse. Bene & fœliciter vale. Die 25. Septembris. 1559.

CXCIII.

S. D.

DE filio sororis Frechti literas tuas Lipsiæ accepi, ubi quanquam ad te scribere decreveram, tamen negotiis Ecclesiarum, quæ vobis vicinæ in Norica regione principis Palatini Wolfgangi, impeditus fui. Ibi quoque non de doctrina, sed de humanis ritibus lites sunt, de quibus certè opus est mutua ἐπιείκεια, etiamsi crudeliter laceror, quod hanc ἐπιείκειαν suadere soleo. Sed Deo me commendo. Adolescentem de quo scripsisti commendabo alicui ex iis, qui domesticas scholas habent. Te autem oro ut hunc Cunradum tuearis: ludico rectè doctum & modestum hominem esse. Benè & fœliciter vale. Die 13. Octobris. clɔ Iɔ LIX.

CXCIV.

S. D.

Clariss. vir & Patrone carissime.

IPse Deus sapiens verbo qui cuncta creavit,
Et certis annum legibus ire jubet,
Efficiat nobis veniens sit faustus ut annus,
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.
Et quoniam Gnatum misit qui colligat agmen
Cujus sit doctor, vita, caputque, λόγος.

Hic

Hic λόγος æterno natus Patre ſemper adeſſe
Et cuſtos nobis & caput eſſe velit.
Viribus humanis non eſt Eccleſia tuta,
Orphana ferratis præſidiiſque caret.
Sed noſtram indueris cum miro fœdere maſſam
Gnate Dei, ſemper nos tua membra regas.
Et facias tecum nos unum ut ſimus in ævum
Vera laude tuus quo celebretur honos.

Sint autem vota noſtra ardentiora, quia pericula nova impendent propter Trevericam obſidionem. De tuo etiam Climacterico cogito, & oro Deum æternum patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, creatorem generis humani, & vitæ datorem, ut tibi vires animæ & corporis confirmet & tibi & tuis vitæ ſpacia longiora tribuat. De Froſchelio ſcripſimus ad Senatum inclytæ urbis veſtræ, teque oro ut & literas exhibeas, & cauſam, ut exiſtimo, non odioſam Senatui commendes, quem ſcio beneficum eſſe erga Eccleſias & miniſtros Evangelii ornantes veritatem, & pacem. *κακοεργίης εὐεργεσίη μέγ' ἀμείων, longè præſtat benefacere quàm malefacere.* Bene vale. Cal. Decemb. 1559.

CXCV.

S. D.

HEri literas accepi ex urbe Brema, in ea ipſa urbe incendi certamen περὶ δείπνου κυρια-

κυελιακῆ, *de Cœna Dominica*, magna contentione animorum utriusque partis, ὥσπερ ἐκεῖνο ἔθνος φύσει εὐπαθέστερόν ἐστι, *ut gens illa natura affectibus gravioribus est obnoxia.* Ea flamma si latius in illa gente spargetur, quantum erit incendium? Simus igitur in retinenda Ecclesiarum nostratum tranquillitate vigilantiores. Hic Johannes Baptista filius Dn. Fabricii qui in templo Laurentiano concionatur, domum vocatus est, quia Pater sperat ei posse Diaconi functionem apud vos impetrari. Potuissem hoc tempore ei in hac vicinia locum docendi tradere. Sed maluit videre patriam, quod non reprehendo. Nam & ego Patriæ cœlestis desiderio adficior, & si diutius in his ærumnis vivendum est, longius abesse me ab hac barbarie optarim. Quæso si huic Baptistæ locus esse poterit, ut eum Senatui commendes. Spero modestiam & diligentiam ejus vos probaturos esse. Bene vale. 20. Januarii. 1560.

CXCVI.

S. D.

CLariss. vir & Patrone carissime. Quotannis explorantur studia adolescentum, qui Principis stipendiis aluntur. Ad eam ἐξέτασιν cum Lipsiam vocatus essem, ibi hanc Epistolam scripsi, cum quidem in his senilibus querelis Joachimi & meis de confusionibus publicis sæpe etiam tui mentionem faceremus.

mus. Miscemus autem gemitus & vota ac Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum precamur, ut protegat & gubernet ubique veram Ecclesiam, & ejus hospitia, tibi etiam confirmet & animæ & corporis vires. Mitto tibi exemplum secundæ partis Chronici, quod utcunque retexui, quia videbam in manibus esse juniorum. Benè vale. Die Aprilis 4. 1560.

Huic Epistolæ Dn. Baumgartnerus manu sua propria adscripsit hæc verba, quæ sequuntur.

POstrema ad me Epistola Philippi Melanchthonis, qui erat veræ Ecclesiæ columen, etiamnum valentis, quantum per senectam licebat.

Sanctam animam in cœlestem Academiam evocatam, ita ut sæpe optaverat, Deo reddidit 19. die Aprilis Anni 1560.

Ad LAZARVM SPENGLERVM, *Reipub. Norimbergensi à secretis.*

I.

IOachimus Camerarius scripsit mihi, vos legisse quoddam meum scriptum, quod excidit mihi in inspectione Ecclesiarum nostræ regionis, teque cupere, ut is libellus ederetur. Est autem editus eodem argumento latinus, sed Germanicus est plenior aliquanto, hic est in aula. Nec scio quid Princeps de tota nostra inspectione decreturus sit. Multis non perinde placuit libellus ille. Sed ego simplicissimo

cissimo animo scripsi. Commendavi tibi antea Vitum Dieterich petentem stipendium, quod nunc Stor habet. Nunc tibi rursum ejus adolescentis causam commendo, quem nisi vos juveritis, fortuna horum temporum abstraher à studiis, id quod indignissimum esset. Nam & ingenio abundat, & brevi tempore magnos in litteris profectus fecit, magnamque nunc de se spem præbet non vulgaris eruditionis.

Quæso igitur te, ut eum diligenter adjuves. Ego vicissim olim declarabo, mihi & in hac re, & multis aliis negotiis benevolentiam tuam gratissimam fuisse. Vale.

II.

S. D.

MAgnam ac necessariam causam ad te scribendi habui. Quare magnopere gaudebam me hoc tempore nactum esse certos nuncios. Acta Conventus Spirensis audivistis ex Legatis vestris. Hæc si rectè expenderitis, animadvertetis haud dubiè, quinam potissimum accusandi sint. Pontificii etsi initio horribile edictum proponebant, tamen ad extremum articulos omnes videbantur mitigaturi, prorsus ex nostra voluntate atque utilitate. Sed dum nostri cunctantur, dum differunt, accidit ut decretum ederetur neque nobis utile & imperio periculosum. Porro ex quo fonte mana-

manarit totum negotium, quæ res occasionem præbuerit, longum esset scribere. Postquam autem exitus talis fuit Comitiorum, intelligo ex hoc peccato nasci plura alia. Et nonnihil periculi mea conscientia in his rebus sustinet: interea etiam penè exanimatus sum harum rerum cogitatione. Et est periculum, ne qua Imperii mutatio ex his principiis sequatur. Magna res est & periculi plena. Admonuimus etiam nostros, sed quid facturi sint nescio. Obsecro vos propter Deum, ut hujus rei curam pro vestra prudentia & pietate suscipiatis. Non enim tantum imperium, sed religio etiam periclitantur. Hoc tempus me propter plurimas causas & commovit ad suscipiendum certamen & confirmavit. Video plus esse periculi, quam quisquam credat. Vale feliciter. Postridie Pentecostes. Anno 1529.

III.

S. D.

VIdi litteras vestras de Doctore Curione scriptas, ac valde gavisus sum amicitiam ei vestram contigisse. Dignus est enim propter egregiam doctrinam & probitatem, quem boni viri amanter complectantur.

Quare si potestis eum juvare, non dubitetis vos collocare beneficium in virum bonum, quod ipsum vestra humanitate dignissimum est. Loquitur non satis clarè propter

uvulæ

uvulæ vitium, quod ex morbo quodam ortum est, sed tamen satis intelligi potest. Et illam vocis infirmitatem compensat aliis multis dotibus, egregia doctrina & pietate. Rogo igitur vos, ut eum commendatum habeatis. Experiemini eum esse virum modestum amantemque tranquillitatis. Ego si quo officio gratum vobis facere possum, faciam summa voluntate. Benè valete, & per occasionem Joachimo Camerario meis verbis salutem perscribite. Die 8. Novembris, anno 1533.

IV.

S. D.

QUod interdum vobis causas amicorum commendo, spero vos pro vestra summa humanitate boni consulere. Scitis enim hæc officia in vita necessaria esse. Quidam Bibliopola Georgius Rotmair, qui vobis has exhibet litteras, decrevit petere jus Civitatis vestræ. Ea in re petit, ut vestra autoritas & benevolentia ipsum adjuvet. Ingenio est modesto, & hactenus quidem bona fide hic negotiatus est. Si quid tamen ei commodare potestis, ut consequatur jus Civitatis, quæso vos per humanitatem vestram, & propter meam commendationem amanter eum adjuvetis. Benè valete. Pridie Calend. Maii. Anno clɔ Iɔ xxxiv.

Ad

Ad D. CASPARVM EISINGERVM J.C.
& consiliarium Ducis VVirtenb.

CLarissime vir & amice colende: Cum & initia hujus conventus turbulenta, & aliquot tristes Legatorum casus intueor, cohorresco, velut omina seu præsagia venturarũ calamitatũ cernens. Meministi altercationes cum peteretur condemnatio multarum Ecclesiarum, quibus parcendum erat. Deinde mors secuta est duorum honestorum virorum, quos Palatinus miserat, Henrici & Casparis Iurisconsulti. Ego etiam amissa conjuge dimidium amisi mei. Vobis humerus fractus est. Hæc velut signa præcesserunt has contentiones, quæ nunc inter Principes accensæ sunt, quæ ut metuo crescent. Etsi ego quidem & Heidelbergæ & hîc hortator fui ne Saxonicis responderent Palatinus & Dux VVirtenbergensis. Doleo igitur & Reipubl. causa & propter vos, quos gravis casus in labore suscepto pacis causa afflixit. Precor autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiæ suæ, ut & publicas & privatas calamitates leniat, & in hac Germaniæ ora servet Ecclesiæ reliquias, & non sinat extingui veram invocationem, gubernet etiam & protegat honestas politias. Hæc eò ardentioribus votis petenda sunt, quia in aliis Europæ gentibus exercetur sævitia in pios, & stabiliuntur

idola, & fiunt barbaricæ vastationes, quas Deus à nostra patria avertat. Benè vale, postridie Cal. Nouembris. 1557.

FRANCISCO BALDVINO *Doctori V. I.* S.D.

REverende vir & carissime frater; Scriptum est in vetustissimis legibus μὴδ' ἱκέτας ἀδικεῖν, ἱκέτην ἱερόν τε καὶ ἄγιον, *Ne supplices injuria afficias, supplices sancti & venerabiles.* Audire igitur supplices justum est, ac præsertim innocentes propter veritatis professionem oppressos. Quare te oro, ut hos conterraneos tuos commendes Illustrissimis Principibus tuis, ut non desint captivis, propter quos hi veniunt ad vos supplicum ritu & more. Etsi ferrea pectora sunt in hypocritis, qui Regum iracundiam inflammant, tamen Regem nobilissimum pectus habere mitius spero. Tentanda igitur est placatio, in tanto periculo & multorum virorum & matronarum ac virginum. Benè vale. In urbe Vangionum, die 8. mense Octobr. Anno 1557.

Ad Cl. V. Dominum GEORGIUM STVRCIADEM, *Medicum celeberrimum Erphordiæ.*

I.

S. D.

QUanquam nulla mihi tecum privatim intercedat familiaritas, tamen confisus ea necessi-

necessitudine, quâ nos publicè conjunxêre κοιναὶ μῦσαι, ausus sum ad te scribere, præsertim, cum de publica mihi literarum causa agendum esset, nempe de re nummaria, collationeque veterum nomismatum cum nostris. Ea ratione nobis hoc tempore, si quando unquam aliàs, maximè opus est, cum Lutherus sacros libros Germanico sermone donare instituit. Audax inceptum, sed prope necessariũ, quod sinceram lectionem fere Latini adhuc desiderent. Porrò dignum opus est, ad quod sua omnes studia conferant, ceu symbolen quandam ad commune sacrum. Et jam aliquo usque progressi sumus. Universum novum Testamentum versum est & τυπογράφοις traditum. In quo multorum nomismatum mentionẽ fieri videmus, Assis, denarii, drachmes, stateris &c. Quorum rationem fere dissimulant interpretes, vitio, ut putant, rei, ut ego judico, suo. Equidem in omnia me verti, inii rationem rei nummariæ iterum atque iterum. Consului eruditos homines non paucos, & in his Ioachimum, cujus industriæ & diligentiæ plurimum tribuo. Is submonuit de te. Quæso igitur, per amicitiæ nostræ auspicia, immo per sacra illa, quibus hanc operam navamus, judicium de re nummaria tuum perscribas. Sine ut id à te impetret publica utilitas, si nos parum apud te valemus. Scripsissem ad Hessum & Cordum, qui meo à te nomine idem

peterent, si de humanitate tua dubitarem. Peto autem, ut si quid habes, mox sub has nundinas Lipsicas mittas. Nam maturato opus est, procedit opus, & urgent prela. Non dubito quin hoc genus multa observarit D. Mutianus, ut est omnis antiquitatis Romanæ scientissimus. Vellem igitur si fieri posset, & illum consuli. Nostra ratio sic habet, ut in singulos Coronatos referamus asses centum. Coronatum æstimamus 28. grossis Mysnicis duodenariis illis. Erit ergo & Assis pretium, 3. numuli nostrates, hoc est, Mysnici. Sed ita de Coronato restabunt tres grossi, quos in centum partes dividere non licet. Itaque denarius seu drachma constabit duobus grossis & semisse. Reliqua ex his facilè colligas. Anxius expecto, quid respondsurus sis. Proinde humanitatem, fidem, candorem & quid non, imploro, ne nos frustrere. Vale VVittembergæ, 5. die Maii. Anno M. D. XXII.

II.

S. D.

SCis opinor, istuc juvenem quendam Pacæum cum uxore commigrasse, qui propter temporis injuriam, quod singulari quodam fato, studiosis iniquius est, multis difficultatibus jam diu conflictatur. Erfordiæ speravit se, ut in magna urbe, occasionem vitæ rectè traducendæ & parandi victus, inventurum esse. Sed

Sed hoc effici sine bonorum virorum auxilio non potest. Quæso te igitur pro tua summa humanitate, ut commendes eum facultati artium liberalium. Est enim ei spes quædam ostensa consequendi stipendioli, si per tui similes viros bonos istic commendatus fuerit ejus facultatis Senatui. Sæpe mihi in magnis rebus tua liberalitas, humanitas atque fides cognita est. Ideo nihil dubito, quin pro tuo more diligenter sis adolescentem hunc adjuturus. Præsertim cum eam artem profitearis, quæ cum tota ad juvandos homines comparata sit, excitare suos cultores ad omnia humanitatis officia solet. Vale, ex Iena. 4. Cal. Januarii.

III.

S. D.

EX hoc tabellario intellexi, te, quod faustum felixque sit, Erfordiam rediisse. Quia autem illi jam ante perspecta est, tua & fides & liberalitas, necessario suo tempore, suæ valetudinis servandæ causa, cepit consilium ad te proficiscendi. Quanquam enim mediocribus conditionibus invitaretur ad suscipiendam certis locis docendi provinciam, tamen & valetudini suæ maluit consulere, & sibi tantum de tua benignitate promisit, ut speret te sibi nullo modo defuturum esse. Ego multis aliis beneficiis à te auctus

sum, nunc ad illum cumulum tuorum erga me meritorum, quæso ut hoc etiam accedat, ut meo nomine velis hunc juvenem tibi commendatiorem esse. Ingenium est dignum quod foveatur, & eruditio præsertim in Græcis literis, usui opinor tibi in eo Philosophiæ genere in quo versaris esse potest. Est enim vestra Medicina tota & nata & exculta in Græcia. Nec mihi sine Græcis literis quisquam vestrorum scriptorum perfectam intelligentiam consequi posse videtur. Vale.

IV.

S. D.

VIde quantum hæc vestra vicinia negotii vobis faciat. Paulò ante commendavi tibi quendam meum discipulum. Nunc commendo hunc quoque bonum virum, sed ut ei in re quapiam liberaliore gratificeris: nempe ut tuam Bibliothecam ostendas. Diu jam molitur inchoare Medicinæ studium, & molitur tantum. Proinde tu hortaberis eum, ut aliquando manus admoveat arti, ξὺν θεῷ καὶ ταῖς μούσαις, *cum Deo & Musis.* Forsan etiam addet ei calcaria Galenus recens editus, si videret. Vale.

V. S. D.

V.

S. D.

NIhil nobis proficiscentibus Noribergam in itinere jucundius accidere potuisset, quam si tui copia nobis esset Erfordiæ data, unde tu non ita multò ante in illos Hercynios montes vestros subvolaras. Divertimus tamen ad ædes tuas, sumusque amanter ab Oeconomo tuo tractati. Id me non pigebit inter reliqua tua erga me merita numerare. Joachimum domi suę Pabepergæ reliquimus in reditu: quem opinor ad te jam pridem de suis rebus omnia perscripsisse. Vide autem quàm sim impudens, cum ita de me sis meritus liberaliter, ego tamen non desino flagitare subinde beneficium. Sed in humanitate tua spes mihi est, non invitum hac in re, quam nunc peto, gratificaturum te mihi esse. Est hic homo in re Medica probè, ut accipio, exercitatus. Is cogitat se recipere in vallem Joachimicam, ubi victum quærat illo suo artificio, meque rogitat, ut se tibi commendem, quod te judicat suis rebus & posse consulere, & facturum facile pro tanta humanitate tua, ut se egentem & non alienum à literis, his duris temporibus adjuves. Proinde te rogo, ut quod sine tuo incommodo fieri queat, nolis homini, qui quidem mihi prædicatur ab his qui norunt, deesse. Vale, mense Ianuarii, Anno 1526.

VI.

S. D.

GAlenus prodiit Basileæ excusus nitidissimè. Quare publicis studiis universæ Philosophiæ gratulor. Nam Galenum ego quidem judico non tantum rei Medicæ, sed etiam reliquæ Physices optimum autorem esse. Hæc eo scribo, ut dulcissimos liberos tuos in tanta occasione, ad Græcam linguam assuefacias. Hic juvenis Erfordiam profectus est, cum audisset ibi aliquem sui usum esse posse. Bonis moribus est & eruditus latinè adeo, ut carmen feliciter scribat, attigit & Græcas literas. Quare poteris eum commendare iis, qui ejus usuri sunt operâ, idque ut facias rogo, quatenus sine ulla tua modestia facere potes. Bene vale, Vir optime. 16. Maji.

VII.

S. D.

HIc juvenis annis aliquot mecum vixit. Et cum ingenio optimo præditus est, tum natus est honestissimo apud suos cives loco. Nunc subito avocatur in Patriam. Itaque non potuit tam citò equum hîc invenire. Cupit istic emere. Ea in re tu illum adjuvare poteris. Quid, inquies, tam sordidam rem imponis mihi? Ego vero puto te gravissimum virum & doctissimum intelligere hospitii jura. Debentur

bentur enim peregrinis hujusmodi officia. Et hic adolescens eo ingenio est, ut perpetuo tuam humanitatem prædicaturus & admiraturus sit. Est etiam hujusmodi officiis hæc ætas ad similia exempla virtutis excitanda. Vale, Jenæ. Die sexta post Ægidii ferias.

VIII.

S. D.

OPtime & doctissime vir; Opus est mihi prognostico venturi anni 1536. Quæso si vos aut Hasfurdi aut alterius cujuspiam scriptum de 1536. anno habetis, ut mihi mittatis per hunc tabellarium, valde gratum mihi officium fore putate. Statim autem remittam vobis integrum, quicquid miseritis, aut certè afferam ipse. Et coram exponam ad quem usum requiram prognosticon. Ioachimus præclarè meritus est de communibus studiis editione quadripartiti. puto vos vidisse. Bene valete.

IX.

S. D.

EXimie D. Doctor; Admodum duriter afflixit Lutherum calculus, cumq; à die dominico usque acerrimos dolores habuerit, tamen nondum edidit calculum. Adhos cruciatus accedit mirifica quædam imbecillitas. Nam ventriculum habet pessimè affectum &

crudum, utrique morbo occurrendum est. Est usus hîc consilio eorum Medicorum, qui aulas sequuntur, qui diligentiam, fidem & industriam, meo judicio, dignam bonis viris præstiterunt. Sed Lutherus nominatim vos accersi volebat. Ideo rogo ut statim accurratis, nec talis viri periculo desitis. Hîc nulla sunt myropolia. Vos igitur remedia & calculi & virtutem juvantia, ac ventriculum fovencia adferetis. Principi scio fore officium vestrum gratissimum. Tanta fuit festinatione scribendum, ut aliis mandari, nisi mihi, res non potuerit. Bene valete. Smalcaldiæ, Dienstags post Invocavit. 1537.

X.

S. D.

ME hortante proficiscitur in Patriam hic juvenis Magister Petrus Wabtershusanus. Cum enim aliquandiu hîc periculoso epatis morbo laborasset, ac Dei beneficio, nonnihil ope Medica restitutus esset, fui ei autor ut in aërem Patrium expatiaretur. Ipse enim expertus sum, quanto Turingicus aër sit salubrior, hoc nostro Cimmerio, qui admodum insuaves & acidos succos in corporibus efficit. Sed tamen juveni opus est eruditi Medici consilio. Quare duxi eum tibi commendandum esse, cujus fidem, humanitatem, diligentiam, dexteritatem, industriam & felici-

licitatem sæpe expertus sum. Tanta autem est hujus juvenis modestia, tanta eruditio in Latinis & Græcis literis, & bona parte Philosophiæ, ut propter mores ipsius & doctrinam libenter ei opitulaturum te esse sperem. Medidici beneficium ad Rempub. pertinet, cum bona ingenia servat. Scio autem te pro tua virtute, maximè favere bonis & studiosis. Quare te rogo, ut non desis huic Petro, qui cum propter virtutem dignus est bonorum favore, tum verò de te honorificè sentit, tuamque amicitiam non solum suæ salutis causa, sed etiam propter admirationem tuæ virtutis expetit. Bene & feliciter vale. 17. Februarii. ¢lɔ Iɔ xxxviii.

XI.

S. D.

NUper commendavi tibi juvenem Wabtershusanum, qui de sua valetudine, consilio tuo uti cupiebat. Nunc alterum commendo, hunc Cotensem, ingenio modestissimo & philosophico præditum, ornatum à nobis honore Magisterii. Hic quoque expatiatur valetudinis causa. Rogo, ut eum amanter excipias. Vererer autem tibi has commendationes ingratas fore, nisi humanitas naturæ tuæ mihi nota & spectata esset. Nec ego alios homini Philosopho, nisi philosophicis ingeniis præditos, hoc est, modestos & erudi-

eruditos commendabo, quo genere hospitum delectari te nihil dubito. Et tibi honorificum est, te unum in illa frequentissima urbe esse studiosorum Patronum, & literas intelligentem, sicut unicus erat Mileti Thales. Bene & fœliciter vale. 3. die Martii. 1538.

XII.

S. D.

VIr clarissime; Cum nuper Erfordiæ virum honestissimum & tui amantissimum de valetudine tua interrogassem, & ille mihi narrasset, te, & honestissimam matronam conjugem tuam & dulcissimos liberos rectè valere, ea pars orationis ipsius magnam mihi voluptatem attulit. Postea verò cum narraret te de migratione cogitare, & causam novi consilii commemoraret, fatebor quod res est, valde consternatus sum. Dolebam enim etsi causam intelligebam non magnam esse, & periculi nihil esse, tamen te non frui usitata tranquillitate. Multa igitur scisitatus cum audirem, te liberatum esse tota molestia tutelæ, & non solum sine periculo, sed etiam sine odio Erphordiæ vivere posse, decrevi hac de re cum Ioachimo Camerario, quem scio tui amantissimum esse, & in dando consilio non solum fidelem, sed etiam diligenter omnia circumspicientem, quæ provideri possunt, colloqui. Ego quidem ita sentio; Erfordiam

sine

sine maximis causis non esse relinquendam, præsertim hoc tempore, cum in Principum imperiis subinde existant subiti & πανικοὶ tumultus. Qualiscunque status est civitatum, tamen moderatiora ibi sunt imperia, & certior est tranquillitas, quàm in Principum gubernatione, quæ nunc quidem incertissima est, & alicubi non sine sævitia. Ego quidem sæpe ac multis hoc do consilium, ut se in urbes honestas abdant, in quibus major est justitiæ reverentia, & certior tranquillitas, quam in iis locis, quæ reguntur aulicis consiliis. Quid, quod liberis etiam tutum hospitium retinendum est & conjugi, contra irruptiones Turcicas, quarum metus jam non est inanis existimandus. Sæpe cogito Deum collocasse Ecclesias in urbibus Germaniæ firmissimis, ut ibi reliquiæ literarum & doctrinæ conserventur, siquando Turci vastabunt Germaniam. Nam delere urbes non poterunt, etiamsi loca minus munita populabuntur, incendent ac evertent. Sunt & alia multa commoda mediocrium urbium, quæ in aliis locis agrestioribus desiderantur. Quare te etiam atq; etiam adhortor, ut Erfordiæ manere malis, quàm in alia loca cum detrimento rei familiaris migrare, ubi tamen minus commodè vivitur. Bene & fœliciter vale. Die 17. Augusti.

XIII.

XIII.

S. D.

CLariſſ. vir. Exiſtimo tibi nomen Pauli Eberi Viri docti in univerſa Philoſophia, Collegæ noſtri de ſermonibus Dn. Ioachimi Camerarii notum eſſe. Hic Paulus cum iter iſthac in Franciam facturus eſſet, teque propter eruditionem & excellentem virtutem plurimi faceret, à me petivit, ut literas ſibi ad te darem, quæ aditum ſibi ad te patefacerent. Ego cum utrumque & te & Paulum valde diligam, ſciamque nulla in re magis acquieſcere utrumque quàm in congreſſibus ac ſermonibus Philoſophicis doctorum & amicorum, non dubitavi me tibi quoque rem gratam facere, ſi occaſionem tibi offerrem colloquendi cum hoc Paulo, cujus & eruditio in omnibus Philoſophiæ partibus eximia eſt, & candor ſummus, & conveniens homini Philoſopho ſuavitate temperata gravitas. Complectere igitur hunc hoſpitem cum propter ipſius virtutem, tum verò etiam quia & Ioachimo & mihi cariſſimus eſt, ac ut ejus ſermonibus tibi mœſtitia, quam ut alii boni viri ita tu quoque ex horum temporum miſeriis contrahis, leniatur opto. Bene vale. 6. Septembris.

XIV.

XIV.

S. D.

CLariſſ. Dn. Doctor. Senatus inclytæ Civitatis Noribergæ hoſpitium viro clariſſimo Dn. Ioachimo offert: eaque de re ſcripſit ad eum Dominus Hieronymus Bomgartner. Nuncium igitur Erfordiam miſi, cumque dubitarem an ibi jam Dn. Ioachimus eſſet, juſſi vobis exhiberi literas. Si adeſt Dn. Ioachimus, oro ut nuncius ad eum ducatur. Sed ſi non adeſt, vos & meas literas ad Dn. Ioachimum ſcriptas, & Bomgartneri epiſtolam legite, ac nuncio veſtrum conſilium oſtendatis. Si apud vos aliquandiu Dn. Ioachimus commorabitur, expatiari ad vos decrevi. Deus ſervet vos & reſtituat ſalutarem pacem. Die 25. Febr. Anno 1546.

Clariſſimo & doctiſſimo Viro, Dn. LEONHARTO FVCHSIO, *Philoſopho, & Medicinæ Doctori ac Profeſſori, amico S. cariſſimo.*

I.

POſtquam legi narrationem tuam εἰς τὸ ἕκτον ἐπιδημιῶν, *in ſextum librum Epidemiorum*, ita ſum incenſus ſtudio atque amore tui, ut magnopere expetiverim amicitiam tuam. Etſi enim non exerceo Medicinam, tamen cognitio me delectat, ex qua quidem ad meum uſum etiam aliquid transfero. Itaque tuus libellus

Præter has ſeptem eſt alia epiſtola ad Fuschtium in Manlii farrag. p. 203

bellus ita mihi notus est, ut ungues mei, cujus rei testes habeo multos doctos viros, qui meo judicio meaque prædicatione commoti tuum scriptum legunt, & secum passim in sinu circumferunt. Cum autem ad amorem excitandum nihil sit efficacius, quam virtutis atque doctrinæ de altero opinio, facile poteris existimare, me tui amantissimum esse. Quare mihi pergratum est, quod me litteris tuis amantissimè scriptis ad amicitiam invitasti, tibique polliceor, nusquam defuturum mihi in te colendo studium aut fidem. Tu posteaquam humanitatis tuæ specimen egregium mihi præstitisti, quod prior ad amicitiam provocasti, haud dubiè non dissenties rursus à te ipso. Sed dicam tibi, qua re & de me & de tota Repub. maximè mereri possis. Scis in scholis Physica, quæ sic vocantur, Ἀ'ειροτέλεια vel potius Tartaretica aut similia, frigidis ac insulsis disputationibus referta esse. Nos igitur hîc Physicam scribere instituimus, ac jam partem aliquam operis absolvimus. Fatebor tibi quod est commune vitium omnium artificum, placet mihi ipsa forma operis. Multas enim jam gravissimas disputationes & ad vitam utiles, & habentes liberalem doctrinam explicavi, & ut spero genere orationis etiam probabili. Nunc cum ad hominis & animæ naturam accedimus, magnopere cupio inserere ἀνατομίαν, *sectionem*, & partium naturas, varietates tempera-

peramentorum, id est, κρίσεων, humanarum causas & species, quarum rerum nulla fit mentio in vulgaribus Physicis. Hîc tua nobis opera plurimum prodesse poterit, si vel edas ipse, vel nobis mittas de his locis ea, quæ maximè videbuntur digna cognitione. Nam Alexandri Benedicti pertenuis & puerilis libellus est. Vellem ex anatomicis Galeni confici justum opus, adhibitis etiam usitatis hoc tempore nomenclaturis, hac de re quæso ut deliberes. Non enim dubito, quin si sit otium juvare studia cupias. De Politicis quod à me petis, facerem libenter, nisi scirem nos plane ab illis ψευδοπολιτικοῖς, *falsis politicis* qui nunc sine ulla liberali doctrina dominantur, derideri. Nobis igitur & Musis philosophemur. Ideo ad utilitatem Scholarum mea studia dirigo. Benè vale, & rescribe. Prid. Cal. Maji, Anno clɔ lɔ xxxiv.

II.

CUm sciam te summo candore præditum esse, spero te boni consulere meam in scribendo cessationem. Ita enim misere oneratus sum laboribus atque ærumnis, ut sæpe mirer ipse tamdiu me in his miseriis vivere posse. Quod ad me tam amanter scripsisti, delector & amore & officio tuo. Montui Invectivam legi, & video esse ineptum & strenuè arrogantem. Illud est venustum, quod dijudicat quæ-

ſtionem de fide ex diſtinctione habitus & actionum. Uſque adeo nihil intelligit quid ſit in controverſia. Sed tu melius collocabis tempus & operam, ſi cum hujnſmodi Sycophantis nihil rixaberis, ſed ſcribas alioquin integras & methodicas materias. Hoc autumno ſpero me ad vos iterum expatiaturum eſſe. Benè vale.

III.

S. D.

Ἄγγελος ἐσθλὸς τιμὰν μέγιστον παντὶ πράγματι φέρει, *Bonus nuncius magnum honorem rei cuique affert*, inquit Pindarus. Itaque etſi litteræ tuæ mihi per ſeſe erant jucundiſſimæ, ſunt enim plenæ eximii erga me amoris tui, tamen plurimum illis addidit gratiæ, quod Ioachimus eas attulit, quem propter excellentem virtutem & doctrinam merito omnes amamus & colimus. Gratum mihi eſt, quod me iſtuc tam amanter invitas. Sed ut Promethea ad Caucaſi ſaxum ferunt alligatum fuiſſe, ſic me fatum aliquod hactenus quidem ac diu nolentem quodammodo tenuit. Verum liberabo me aliquando. Beatum me ducerem, ſi mediocri Repub. Germaniæ in optimis ſtudiis apud vos & inter tales amicos, tanta eruditione, virtute ac fide præditos conſeneſcere poſſem, fortaſſis etiam mea opera aliquanto plus iſtic profutura eſſet ſtudiis σύν τε δὺ ἐρχομένω,

μῶνω, *Duo una progredientes, scil. plus præstant*, ut ille ait. Tibi quoque sum hortator, ne istinc facile te avelli sinas. Aulæ sunt in homines litteratos nequaquam liberales, deinde inimicæ ferè philosophicis & liberis ingeniis.

Πρῶτος δ' ἄριστα ὁ κόλαξ, δεύτερον δ' ὁ συκοφάντης, *Optime rem gerit adulator, proxime post eum calumniator*, inquit Menander.

Sed tamen si fortè aliud decreveris & malueris esse in aula: non dubito, quin apud Danicum Regem, honesta conditione sis futurus. Et profecto ingenium ejus Principis & animum moderatissimum probo. Animadverti ipse signa bonæ naturæ pleraque, & laudatus est cum aliorum judiciis, tum viri minimum hebetis ἐκ Μακεδόνων. Addam & hoc, Medicinæ valde non solum studiosum, sed etiam peritum esse. Expetit Medicos, & ad nos de sua voluntate scripsit. Deliberabis igitur ac mihi significabis tuam voluntatem. Περὶ ἄλλων δέ τινων δυνατῶν, *de aliis nonnullis possibilibus*, propter notam mihi partim ἀπαιδευσίαν, *ruditatem*, partim λεπτότητα, *tenuitatem*, polliceri nihil habeo. Tuam lucubrationem de herbis ac fruticibus expecto, Benè vale. Ptid. Id. Novemb. Anno 1538.

IV.

S. D.

PAulo ante ita revixi è morte, ut tamen adhuc & morbi & dolorum reliquias mecum circumferam, quas quidem quia lenire hoc congressu Ioachimus conatus est, maximam ei gratiam habeo, ac fuit mihi pergratum, quod te una adduxit, ne deesset Medicus. Legens enim epistolam tuam, imaginem humanissimi animi, teipsum mente intuebar, & quasi coràm tecum colloqui videbar. Multæ enim erant in epistola illustres significationes tuarum virtutum. Quod enim ostendis Ioachimi valetudinem tibi magnæ curæ esse, facis ut decet & amicum, & virum amantem Reipubl. Nam etsi tanta est omnium gubernationum dissipatio, ut generi humano interitum minetur, tamen cum Deus promiserit se aliquam Ecclesiolam servaturum esse, optandum est, ut diu sint superstites aliqui boni & docti viri, qui studia juventutis regant. Plurimum autem hac in re prodesse huic ætati Ioachimi ingenium, industriam, fidem, diligentiam & virtutem videmus. Quare ut Deus eum servet oremus & hortemur ipsum, ut valetudinem tueri studeat. Est, ut vides, homo Francus, hoc est ingenuus & candidus, & interdum nonnihil amicorum causa peccat, sed tamen ea est gravitate, ut modum adhibeat.

beat. Sumus enim Peripatetici, qui mediocritates laudamus. Illam tuam ἀκριβῆ δίαιταν, *accuratam victus rationem* relinquamus Stoïcis, quam te quoque optarim nonnihil relaxare, quod ætas & κρᾶσις, *temperamentum* siccior jam habet opus rigatione. Sed non sumo mihi tantum, ut existimem me tibi posse præcepta dare, monere possum quod est amici. Alteram epistolæ tuæ partem, in qua de errato anatomico scribis, & operam mihi tuam in emendatione defers, non tam ad me, quam ad publica studia pertinere judico, etsi privatim etiam candore tuo delector, quod errantem amanter admones. Sed gratius est mihi officium tuum propter publicam utilitatem. Congessi enim sylvulam illam, in qua vides mediocrem esse varietatem, ut quasi quibusdam illecebris invitarem Scholasticos ad veram Philosophiam. Sed hæc turbulenta tempora parum mihi concedunt ocii, ad illa dulciora studia colenda atque ornanda. Ideo & erratorum veniam peto, & ab iis, qui prodesse alioqui hanc sylvulam scholasticis judicant, magnopere peto, ut eam emendent & ornent. Præcipuè vero te oro, ut hoc vel amicitiæ nostræ vel ipsis studiis tribuas, ut censuram vel ipse edas vel mihi mittas. Cupio enim in illo libello extare monumentum nostræ amicitiæ. Et plus autoritatis habebit libellus apud Scholasticos, si tuo judicio quædam mutata esse intelli-

telligent. Me vero privatim magno beneficio tibi devincies. Benè vale. Wormatiæ, die 14. Decembr. MDXL.

V.

S. D.

MEministi veterem disputationem, oportere Medicum Philosophum esse, hoc est, non solum in curationibus sagacem, sed etiam in doctrina communicanda liberalem. Nam id officium vel præcipuum est Philosophi. Ego vero etiam priusquam te vidi, & hanc tibi Philosophi laudem tribuebam, & nomen tuum amabam. Legeram enim lucubrationem tuam in Hippocratem, in qua notæ comparent animi ingenui & amantis veritatem. Quare quod nos in his studiis non gravatim adjuvas & rem tua professione dignam facis, & mihi officium præstas jucundissimum. Valde optarim mihi otium dari ad retexendam illam telam περὶ ψυχῆς, *de anima*. Legi his diebus Eccii scriptum contra Osiandrum, in quo Eccius etsi satis thrasonicè ostentat φιλοσοφήματα περὶ τῶν ἐπιθυμιῶν, *Philosophica quadam de cupiditatibus*, tamen ea admodum insulsè tractat. Cum igitur cogitarem, quantum referat adolescentibus hæc elementa rectè tradi, vehementius cœpi optare, ut extet libellus meus perpolitus. Nam ibi res eadem attigi, & ut puto, cum quadam dexteritate exposui,

sed

sed tamen δεύτερα φροντίδες, *secunda cura* aliquid adderent. Ideo magnopere oro & te & Ioachimum, ut ea in re me adjuvetis. De Conventu scripsi ad Ioachimum. Benè & feliciter Vale. Oro Deum patrem liberatoris nostri Jesu Christi, conditorem rerum omnium, ut Reip. & tibi det annum tranquillum, faustum & felicem. Wormatiæ, die natali Christi, Anno MDXLI.

VI.

S. D.

LYsippum Apelles excitavit, & vicissim Apellem Lysippus, ut ait Synesius, significans & commoveri ingenia artificum, & augeri industriam collatis exemplis artium inter se cognatarum. Nec vero vicinior est plasticæ Pictorum arti, quam doctrina Medicorum his Philosophiæ elementis, de quibus in commentario de anima disserui. Facis igitur amanter, quod tuæ mihi artis specimen, ut ita dicam, proponis, in quod intuens, ut Lysippus in Apellis tabulam, quædam in meo marmore sculpam diligentius. Etsi enim volens alicubi fugi subtiliorem inquisitionem, & contentus fui maximè carpi inspectionibus, tamen errores ferere non volebam. Quare me non exiguo munere abs te donatum esse statuo, postquam censuram accepi tuam, ac gratiam tibi habeo, daboque operam, ut extet significatio

cum gratitudinis meæ, tum vero nostræ amicitiæ. Profecto pluris facio veram descriptionem, quamvis minutæ particulæ opificii humani, quam omnes Pontificum & tyrannorum delicias. Quæ enim pars in homine non plena est miraculorum, cui loco in homine non impressit Deus vestigia illustria, ut nos de Architecto admoneant? Sed ô deplorandam imbecillitatem nostram, quæ mentes nunc quidem velut carceri inclusas abstrahit à conspectu Dei & rerum divinarum, & impellit ad quærendas voluptates homine indignas. Cum autem huic morbo repugnare diligentia deberemus, & Deus velit hujus certaminis ἀγωνοθέτας, *Munerarios*, *vel certaminis præsides* esse homines doctos præsertim Theologos, quam detestandi sunt plerique verius Cyclopes, quam Theologi, qui hoc ipsum studium aspiciendæ naturæ contemnunt, nec alia bona præstantiora aut vident, aut quærenda putant, quam ea, quæ expetunt αἱ ἐπιθυμίαι λυσσῶσαι καὶ ὁρμαὶ ἀτάκτως καὶ ῥοιζῷ φερόμεναι, *rabidæ cupiditates & affectus inordinatè impetu lati.* Sed nos Deum oremus, ut bonorum studia & adjuvet & approbet. De conventu & de cæteris negotiis ea quæ habebam Joachimo scripsi. Bene vale 12. Ianuarii, MDXLI. Honestissimæ tuæ conjugi & dulcissimis liberis, tibi, Ecclesiæ & Reipubl. opto faustum felicemque annum.

VII.

VII.

S. D.

ETsi hanc noſtram militiam tempora requirunt, tamen illud Philoſophicum ocium, in quo doctrinam vitæ ſalutarem tu, Ioachimus, & ſimiles Viri boni & docti inquirunt & illuſtrant, non ſolum beatius, ſed etiam honeſtius & vitæ utilius eſſe cenſeo. Nos enim etſi dimicatio fortaſſis neceſſaria eſt, tamen quia diſſimilimæ ſunt in negotiis voluntates noſtræ ϗ τ κεντωρῶν, parum loci rectis conſiliis eſſe videmus. Vos tranquilli velut apes in alveolis veſtris mella conficitis, & ſumma vitæ ornamenta veſtra aſſiduitate tuemini. Quod cum ita ſit, & tibi & Reipubl. gratulor ocium tuum. Nam & cætera quæ edidiſti, lego avidiſſimè, & expectamus ea, quæ habes in manibus, eaque plurimum non ſolum ad medicanda corpora, ſed etiam ad accendenda honeſta ſtudia profutura eſſe ſtatuo. Pro Methodo miſſa gratias ago quam in hoc itinere evolvam. Decreveram ante reditum meum Thermas à te laudatas petere, curandæ dextræ cauſa, ſed domum rapior non ſolum injuſtis, ſed etiam inſulſis imperiis aulicis. Sed nos Philoſophos meminiſſe illam non tam regis quam Philoſophi vocem apud Euripidem convenit, Ὡς τ κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών, *Imperantium ſtultitiam ferre neceſſe eſt.* Vide-

ro autem, ut tandem me ab hac κενταύρων συμμαχίᾳ, *Centaurorum commilitio* avellam, plus fortassis in schola profuturus Ecclesiæ, quàm in barbaricis horum consiliis, ut nihil dicam durius. Deum oremus, ut ipse Ecclesiam & honesta studia gubernet & tueatur, ut & petere & sperare nos jussit. Ideo qualiscunque erit καλοδρομή conventus, spero Deum suas Ecclesias servaturum esse. Bene vale. Ratisbonæ, 18. Iulii, Anno MDXLI.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti, D. JOHANNI PLACOTOMO, *Doctori artis Medicæ, fratri suo carissimo.*

I.

CLariss. vir & cariss. frater. Multa sunt in Stigelii carminibus, verè oracula Musarum. Tale & hoc est: *Præsentemque refert quaelibet herba Deum.* In universa natura, de Deo & de providentia, multa sunt impressa testimonia, sed ars in plantarum distributione etiam ostendit, eas non casu ex Democriti atomis ortas esse, quia res ostendit consulto, alias ad alios usus ordinatas esse. Intuens igitur Aloën, quam huc misisti, & Deo gratias agebam conditori & alimentorum, & remediorum & omnium aliarum bonarum rerum sapienti creatori, mundi, lucis, sapientiæ & virtutum. Deinde & tua erga nos benevolentia delectabar. Quare tibi & pro hoc munere, & de perpetuo

petuo erga nos amore & debeo & habeo gratiam. Versus mitto, & opto tibi & tuis faustum & felicem annum. Ex aula Marchionis nihil mihi respondetur, quia ὁ ἄρχων ὀργίζεταί μοι, *Princeps mihi irascitur*, quod non approbavi phrasin ignotam toti Ecclesiæ, τὸν Χριστὸν ἀποθανεῖν κατὰ θεῖαν φύσιν, *Christum mortuum secundum divinam naturam*. Oro autem filium Dei ut nos regat. Quæso ut literas adjunctas huic Epistolæ mittas Sabino. Benè vale. Die 9. Januarii 1551.

II.

S. D.

CLariss. vir, & cariss. frater; Profectò mihi non deest studium gratificandi, & de tua virtute, integritate & industria sic sentio, ut scripsi in literis, quarum exemplum mitto. Vellem autem te ipsum ad aulam proficisci, & consilio uti Domini Cancellarii, quem scio non deesse viris honestis, & sæpè mihi in magnis rebus gratificatus est. Adjunget etiam Reverendum D. Islebium, ad quem accipies literas à Socero tuo. Spero & Sabini amicitiam tibi usui fore & ad eum scribam. Oro autem Deum ut te & tuam domesticam Ecclesiam servet, & omnia tua consilia gubernet. Benè vale. Die 21. Januarii 1551.

III.

III.

S. D.

DOctiſſ. vir, & cariſſ. frater. Hanc Epiſtolam dedi huic Viro honeſto & erudito, Huberto Burgundo, cujus integritas mihi conſuetudine triennii cognita eſt. Vidit Italiam, Hiſpaniam, Galliam & vere πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω, *Multorum mores hominum cognovit & urbes.* Scio tibi ejus ſermones voluptati fore. Nunc videre vult litus veſtrum & Sueciam, quæſo ut iſtic in quærenda navi eum adjuves. Tandem accepi Ducis Pruſſiæ ἐξομολόγησιν, *Confeßionem*, quam ſcribit Brentio probatam eſſe. Nondum legi, petam autem ne me admiſceat iſti contentioni, poſtquam antea & modeſtè & ſimpliciter expoſui meam ſententiam. Benè & feliciter vale. Calendis Aprilis 1551.

IV.

S. D.

EGo vero ſemper de ingenii tui dexteritate præclarè ſenſi, teque propter eruditionem, virtutem, & judicii rectitudinem amavi, & has laudes inter familiares ſæpe prædicavi. Nuper etiam cum Mansfeldenſes audirem deliberare de Medico, juſſi inclyto Comiti Johanni Georgio dici, judicare me rectè conſulturos patriæ ſi te accerſerent. Poſtea ſecuta

eſt

est deliberatio τῶν ἐν πόλει ἐν πόλει νομικῶν περὶ ἰατρῶν, *Magistratus urbis Noricæ de Medico*, dedi idem consilium, ut accerserent. Et existimo nos de posteriore negotio, aut fortasse de utroque literas habituros esse amicorum post paucos dies. Significabo quicquid accepero. Iosiæ studia tibi commendo, quem jussi rursus interpellare Virum Magnificum Dn. Iohannem à Werden. Sed opus est nobis tuo patrocinio. Mitto igitur tibi ipsius poëma & adjunxi aliud Stigelii. Postquam edita sunt mysteria Gorgiæ vicini nostri, curabimus ut & nostra admonitio ad Ecclesias extet. Nunc properantibus vestris Mercatoribus longiores Epistolas dare non potui. Dn. Friderico Staphylo exhibeto Epistolam quam huic inserui ad te scriptæ. Bene vale. Die 13. Octobris 1551.

V.

S. D.

DOctiss. vir & amice cariss. Accedit mihi ad cætera incommoda hoc quoque in hac tanta confusione rerum, non solum ut frui amicis candidis non possim, sed etiam ut colloqui per Epistolas non queam. Subito hæc Lipsiæ scripsi. Marcellum Collegam nostrum, qui te valde dilexit & Ziglerum Deus ex his Academiis in cœlestem revocavit. Ante mortem curaverat Marcellus fasciculum tibi mitti,

quem

quem nos tradidimus Lipsiæ Dantiscanis mercatoribus. Staphylo salutem meis verbis amanter dicito, quem, si erit tranquilla æstas, spero in his regionibus locum honestum habiturum esse. Responsiones de Osiandri controversia amborum jam missæ sunt. Benè vale. 7. Januarii 1552.

VI.

S. D.

CLariss. vir & cariss. frater. Multa vidimus hoc septennio exempla insignia humanæ fragilitatis. Sed hæc pugna Saxonica tristiora habet exempla, quam anni superioris. Nam multi viri fortes interfecti sunt, & in acie perierunt duo Principes filii Ducis Brunsuicensis, & Dux Saxoniæ vulnus accepit, ex quo biduo post mortuus est. Legi prognosticon ante quinque annos, in quo scriptum erat, gubernaturum esse patriam annos duodecim & deinde in peregrina terra moriturum esse. Guarus redit in aulam Marchionis Joannis; Non succedit Willichio, de te igitur scribam. Bene vale. Die Iacobi, An. 1553.

VII.

S. D.

CLariss. vir, & cariss. frater. Hanc Epistolam cum scriberem die 5. Iulii, ambo Principes Dux Mauritius & Marchio Albertus,

tus, magnos exercitus habebant in Saxonia, quorum castra non magno intervallo distant. Marchio Albertus cum non procul ab Hildesia abesset, recipi se in urbem petivit, sed exclusus est. Pagos igitur aliquot civium ἐπυρπόλησε, *igne vastavit*, sicut & in vicinia Noribergæ multa oppida incendio perdidit. Inflammato oppido Altorfio prope Noribergam perierunt in eo incendio circiter octoginta homines. Nihil de causis aut genere belli aliud scribere possum, nisi quod omnes fateri cogimur, fatales esse pœnas multorum delictorum, quas ut leniat filius Dei toto eum pectore oro. Guarus ducit uxorem puellam natam ex filia Doctoris Hieronymi Schurffii. Hoc igitur agitur, ut Francofordiæ Guarus retineatur. Si nondum Menius & Collegæ iter ingressi sunt, dices eis salutem meis verbis cum ad vos venient. Salutem opto & Doctori Ioachimo. Quod Stancari insuavem Epistolam nobis videndam misisti, gratiam tibi habeo. Hujus etiam doctrinam & naturam ostendet tempus. Benè & feliciter vale. Die 5. Iulii, 1553.

VIII.

CLariss. vir & amice cariss. Hodie Magister Iacobus mecum locutus est, non abhorrere animum tuum à munere docendi in Academia Francofurtiana, postquam Vir Clariss.

riſſ. D. Willichius in Academiam cæleſtem evocatus eſt. Ea de re fac ut voluntatem tuam ſciamus. Credo Principem Marchionem Electorem, ubi intellexerit prædicari eruditionem tuam & induſtriam, libenter te vocaturum eſſe, & ut tuæ virtutis apud eum teſtes habeas, per amicos poſſe perfici ſpero. Quæſo ut mihi ſcribas. Salutem opto Viro Reverendo D. Doctori Ioachimo Mœrlino, quem ut vocent Lubecenſes ſuaſimus, & literas ad eum ſcripſimus. Benè vale. Pridie cal. Maji, 1554.

Clar. Viro, SEBASTIANO ROT, *Doctori artis Medicæ, ἀρχιάτρῳ.*

S. D.

CLariſſime Vir. Rogatus ſum, ut de ægroti adoleſcentis inſpectione ad te ſcriberem. Quod etſi triſte ſpectaculum eſt, tamen cum nos omnes quibus artes regendæ vel cuſtodiendæ vitæ, commendatæ ſunt, profeſſio ipſa multas ingentes miſerias hominum contemplari cogat, exiſtimavi te hanc moleſtiam miſericordia quadam, conveniente viro magno, ſuſcepturum eſſe. οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακὰ, *Hominibus mutua inter ſe mala minime ſunt probro*, inquit Theſeus apud Euripidem, cadavera Principum ſanie plena abluens. Quare te magnopere oro, ne ægrè feras ad te ſcribi de hoc moleſto negotio. Puer eſt, natus

tus Doctore Theologiæ, pastore Ecclesiæ Cellensis in Ducatu Luneburgensi, viro honesto & paupere. Cum autem longo jam tempore deformatus sit tetris ulceribus, adducunt eum Lipsiam propinqui, ut inspiciatur ac judicetur an sit Lepra. Nescio an usitatum sit istic judicari hanc rem, aut qui judicent. Te igitur oro, ut his, qui puerum adducunt, pro tua eximia humanitate, indices collegii, & urbis vestræ morem hac in re, & si usitatum est istic aliquibus hæc judicare, exponas quid agendum eis sit. Veniunt ut hospites, ignari harum rerum. Oro igitur, ut in tanta pueri miseria hospitibus comiter respondeas. Bene & feliciter vale. Vir doctissime. Nonis Septembribus.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti, D. JOHAN. BRETSCHNEIDER, *Doctori artis Medicæ, fratri suo colendo.*

I.

S. D.

CLariss. vir & cariss. frater, vocat te in Academiam suam Illustrissimus Dux Pomeraniæ Philippus, ut ex literis ipsius ad te scriptis intelliges, quas exhibebit nobilis Vir gentis Pomeranicæ Adrianus, vir honestus & eruditus. Jussi ut ostendat tibi etiam literas ad me scriptas, in quibus mentio fit tui honorifica. Quæso igitur ut hunc nobilem virum Adria-

num amanter excipias, & de petitione Principis deliberes. Certè virtus est eximia Principis, & de Ecclesiis & doctrinis rectè & graviter judicat. Bene vale. Die 17. Martii.

II.

S. D.

CLariss. vir & amice carissime. Quod ad te tot jam annis non scripsi, tantum tribuito vel occupationibus vel ærumnis meis. Sed de ingenio tuo, & de studiis, ac virtute semper amanter & præclarè sensi. Vicissim etiam & naturam meam & voluntatem in Republ. tibi notam esse existimo. Nam hoc quoque scis esse hominis Philosophi, considerare & judicare sensus hominum. Etsi autem agnosco & fateor meam imbecillitatem, tamen bona conscientia adfirmare possum, me fideliter Ecclesiæ Dei servisse. Et labores multis noti sunt. Tibi gratiam habeo, quod in multis rebus benevolentiam erga me tuam declarasti. Nunc tibi Iosiam Menium commendo, teque oro ut apud Clariss. & Magnificum virum Dominum Iohannem à Werden causam ejus agas, ac petas ut adolescentis modesti studia juventur. Specimen ingenii & ipse Dominus à Werden & tu ex carminibus quæ mitto judicare poteritis. Dux Megalopurgensis donabat adolescenti decem Ioachimicos. Mitto tibi Rottingi scriptum de vicini vestri paradoxis.

doxis. Doleo mœstas Ecclesias novis dissidiis turbari: Sed spero Deum his vulneribus etiam medicaturum esse. Bene & feliciter vale. Nonis Iulii 1551.

Cl. Viro, Dn. GEORGIO SABINO, *genero* S.

S. D.

CAriſſime Georgi. Præsente Joachimo Viro optimo tuique amantiſſimo Illuſtriſſimus Princeps adeo honorificè & amanter de te locutus est, tuamque moderationem prædicavit, ut & noſtra & Reipub. litterariæ causa valdè sim gaviſus. Oro autem Deum æternum patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut & ſtudia litterarum in univerſa Eccleſia & veſtra tueatur, & te regat, ut in illa Balthici maris ora literæ & doctrina de Deo, & omnium virtutum officiis feliciter propagentur. Theologicum Profeſſorem Staphylo adjungi poſſe Aleſium Princeps putabat. Sed Ioachimus & ego ſuaſimus, ut tu quoque in conſilium adhibearis. Ego non ſcio, quis initio commendarit Aleſium Principi, & migrationis cupiditates non ſoleo probare, & multa vereor, etſi ſum ei amicus. Quare ſcito, non probaturum me eſſe conſilium de accerſendo Aleſio, niſi tibi ita videbitur. Benè vale.

JACOBO MYCILLO,

S. D.

IMpressit Deus humano generi στοργὰς, ut sint commonefactrices de suo amore erga Filium & erga nos. Cum igitur velit nos dolere in rebus adversis nostrorum, pietas est, quod amisso genero & ipsius desiderio afficeris & propter filiæ orbitatem in magno es mœrore. Sed tamen hoc quoque nosti, velle Deum ut modus sit tristitiæ, quia cum nec casu nascamur, nec casu ex hac ærumnosa vita discedamus, sciamus voluntati Dei nos evocantis obediendum, & tandem in ipso acquiescendum esse. Nota autem est tibi viro docto & sapienti & rectè invocanti Deum, universa doctrina, quæ ad veras consolationes divinitus tradita est. Ex iis fontibus remedia petito, & eò fortius mœstitiæ repugnato, ne filiæ dolor augeatur, quæ nunc magis de tua vita quam sua est sollicita. Et quidem tota Domus cepit nunc onus esse tuum. Non scribam prolixius, præsertim cum & negotiis & doloribus impediar, qui mihi ex dissidiis publicis oriuntur, quæ in hac ἀναρχίᾳ crescunt. Sed oro filium Dei verè colligentem æternam Ecclesiam, ut & tibi vires corporis & animi confirmet, & servet cœtus rectè ipsum invocantes, & eos gubernet, nec finat Germaniam fieri barbaricam vastita-

stitatem, ut vides impendere Europæ ultimas devastationes. Vale, 22. Septembr. 1557.

Ad GUILELMUM KNUTELIUM, *Francum, Comitis Nassovienſis Conſiliarium & Secretarium.*

I.

QVod fauſtum & felix ſit, venimus Bonnam ſuperatis Tencterorum ſaltibus & jugis, poſtridie quam à vobis diſceſſimus. Scribuntur duæ formæ Reformationis Eccleſiaſticæ, quarum altera eligenda ſit, altera à D. Bucero ſimplex & pura, altera à Gropero fucoſa, qui tantum ludit excuſandis & confirmandis abuſibus. Sed ſemper hæ præſtigiæ ſpeciem habent ſapientiæ, & ſunt gratæ humanis judiciis. Video aliquid fore certaminum. Sed oremus Deum, ut gubernet ipſe ſuæ Eccleſiæ cauſam, & lumen Euangelii, nec à Sophiſtis, nec à Turcis obrui ſinat. Principi Illuſtri Gulielmo Comiti Naſſovienſi meis verbis reverenter ages gratias. Tibi quoque gratiam habeo pro omnibus officiis. Epiſcopus hodie nos vocavit in vicinam arcem. De Conventu Noribergenſi nec aula ſciebat adhuc quidquam certi. Una hac me conſolatione ſuſtento, quod ſcio Deo curæ eſſe Eccleſiam, quam tumultuantibus & ruentibus Imperiis mirabiliter ſervabit, etſi ruinæ Imperiorum eam duriter concutiunt. Benè

vale cariſſime Guilelme. Bonnæ. die 5. Maii. Anno. 1543.

II.

S. D.

POſtquam exarſit inter Reges bellum ex neſcio qua cauſa, non dubito fatalem mutationem Imperiis impendere, quam ut Deus regat orandus eſt. Tu in iſta tua aula, quæ abhorret à turbulentis conſiliis, tranquillitate tua feliciter fruere, eamque, quod velle vos arbitror, uſitata moderatione tueamini. O jam felices Reſp. quæ Eccleſias habent rectè conſtitutas, & alienæ ſunt à Regum factionibus. Utinam magni Principes frenarent privatas cupiditates & ſuas res agerent, ſuis conſulerent, & ornare Eccleſias ſtuderent. Hic rixatus ſum cum Colonienſibus Sycophantis, quorum rabies non literis refutanda, ſed fuſtibus caſtiganda eſſet, ſi Principes pios haberet Europa. Mitto tibi libellum non quidem tua lectione dignum, ſed tamen, quia hoc tempore aliud xenium mittere non poteram, has pagellas miſi, quæ cordato Lectori, ut ego arbitror, oſtendunt nos juſtis cauſis moveri, ut reclamemus hypocritis, qui in Eccleſia impiam tyrannidem gerunt. Benè vale. Æmylium etſi ſcio tibi curæ eſſe, tamen ut mea cauſa etiam complectaris oro. Bonnæ.

III.

III.

S. D.

GRatum mihi fecit veſter civis, quod operam mihi ſuam in perferendis ad te literis detulit. Fortè enim me convenit in oppido exiguo non procul Colonia Agrippina, eo die, quo ad Colonienſem Archiepiſcopum venit Dux Iuliacenſis. Molitur Epiſcopus piam emendationem ſuarum Eccleſiarum. Vidi enim totum ſcriptum, quod ſuis proceribus & civitatibus proponet. Et adſentitur nobilitas. Sed adverſantur monachi & ſacrificuli Colonienſes. Etſi in ſummo collegio habet ſtudia quorundam præcipuorum: Decani, qui eſt Comes Stolbergius, Richardi Comitis Palatini: Item Comitis Rhenani & aliorum quorundam. Etſi autem horum autoritas non frangere prorſus pertinaciam malorũ poteſt, tamen hoc perficit, nequid adverſus Epiſcopum ſtatuatur. Quidam enim initio minati erant, ſe excuſſuros eſſe eum ex gubernatione. Monachus Carmelita, quem vidiſti VVormatiæ, edidit ſcriptum Cleri & Academiæ titulo contra Bucerum. Ad id ſcriptum ego reſpondi, tibique exemplum brevi mittam. Hodie editio abſolveretur, niſi hic me Iuliacenſis detineret. Intelligo eſſe de pace deliberationes. Et hac conſtituta etiam Eccleſiis earum regionum conſuli poſſet. Animadverto in his

locis populi religionem præcipuè sitam esse in colendis statuis. Hæc stant mira varietate in templis & prodigiosè ornatæ. Ad has concurritur magna frequentia. Sed jam aliquæ amotæ & crematæ sunt: Et orandus est Deus, ut hic sibi Ecclesiam etiam colligat. Commenda nos Deo tuis precibus. Bene vale, 5. Iunii, Anno 1543. ad Rhenum non procul à Colonia.

IV.

S. D.

PLura tibi de conventu Bonnensi scriberem, si chartæ plus nobis hic in arte Runtelia fuisset. Comites, Equestris ordinis Viri & Civitatum Legati omnes communi consensu amplexi sunt formam instaurationis Ecclesiarum propositam à Principe. Sed major pars Collegii Colonienſis refragatur, quam tamē cæteri Ordines hortati sunt, ne quid contra Principem moliantur. Se enim Principi suo nō defuturos esse, quia ejus justitiam in gubernatione tot annis spectatam probent, & se debere ei gratiam agnoscant. Magnum fuit hoc & illustre testimonium de Principis virtute. Ante Conventum voluit Princeps sibi totum librum instaurationis illius legi, ac adhibuit Dn. Coadiutorem, Decanum Comitem Stolbergium, Doctorem Husmanum, Lenepium, Buchelum & me. Attentione summa totum

opus

opus audivit, de multis locis prudentissimè & eruditissimè disputavit, sciscitatus & nostras sententias, tanquam arbiter honorarius elegit verissimam. Miratus sum non solum assiduitatem & diligentiam ejus (nam quotidie quaternas horas matutinas aut plures per integram hebdomadem ei labori tribuebat,) sed etiam prudentiam & eruditionem. Nam adeo dextrè has controversias Ecclesiasticas dijudicabat, ut penitus eas intelligi ab ipso animadverterem: Denique, quod præcipuum est, apparuit in hoc consilio instaurandarum Ecclesiarum suo eum judicio moveri, non ab aliis impelli, ut quidam calumniantur. Hæc coràm narrare mallem, sed quia Francofurdia adeunda fuit, ad vos non potui redire. Benè vale. In arce Runttelia.

V.

S. D.

CLarissime vir & amice carissime. Scis utrumque divina voce prædictum esse, & fore in hac delira mundi senecta majores Imperiorum confusiones, quam fuerunt antea, & tamen inter has ruinas filium Dei sibi collecturum esse sua agmina, ne prorsus notitia Dei in genere humano extinguatur. Iubet igitur ipse filius Dei his sævis tempestatibus sperare Ecclesiæ veræ conservationem, & suo

quemque loco pia ſtudia juvare. Grata eſt itaque ei pietas veſtra, quod & Eccleſiis & ſtudiis opem fertis, quanquam ut Daniel inter leones, ita vos inter truculentos hoſtes verſamini. Sed non dubito filium Dei cuſtodem & eſſe & fore harum Eccleſiarum, in quibus hæc vox doctrinæ ſonat, quam & veſtræ Eccleſiæ piè amplectuntur: Et eum toto pectore oro, ut nos gubernet & has Eccleſias ſervet. Te quoque quod facis oro, ut bona ingenia tuearis & ornes. Iohannem Galbam propter honeſtos mores, eruditionem & facundiam ornamento patriæ fore ſpero, tibique eum commendo. De fratre ipſius Antonio te valde oro, ut Illuſtri Principi veſtro eum commendes, ac ores, ut ſua munificentia ſtudia adoleſcentis juvet.

Scio in hac difficultate temporum etiam bonos Principes impediri, quo minus in hoc genere liberales ſint. Sed tamen tanta eſt virtus Illuſtris Principis Guilelmi, ut etiam inter has difficultates non abjiciat curam conſervandæ piæ doctrinæ. Quare te valde oro, ut ei hunc Antonium commendes, qui & ingenio valet, & in optimæ doctrinæ ſtudia bona cum ſpe ingreſſus eſt. Bene & feliciter vale. Die 5. Octobris. anni 1551.

VI.

VI.

§. p.

EXistimabam uni tantum scholæ, in qua plures adolescentuli conjungendi essent, præceptorem quæri. Inde error meus ortus est, quem ut mihi comes pro sua humanitate condonet, rogo. Egi cum Ioanne Saluelden-si, modesto & docto homine, ut se ad Comitem Isenburgensem conferat. Pollicetur igitur, se istuc profecturum esse intra sex hebdomadas. Prius enim petenda ei fuit patria, quod hactenus à Senatu Saluelden si stipendium habuerit. De mercede nihil pactus sum. Iussi eum rejicere totam rem ad voluntatem humanissimi Comitis. Hoc consilium dare soleo omnibus, qui accedunt ad Dominos, quorum mihi nota est humanitas & virtus. Commendo igitur tibi quoque hunc Ioannem. Spero & mores, quos in tali cœtu convenit esse sanctissimos, fore commodos & probabiles, & in docendo fidem & rationem, quam esse decet. Pronunciat aptè & clarè, qua in re & natura adjuvatur. Habet enim vocem non vituperandam, & amat Musicen. Ad hæc non est alienus à Mathematicis studiis. Quod eò adscripsi, ut cum iis te delectari sciam, hoc nomine hunc juvenem magis complectare. Bene vale. De Repub, vobis omnia notiora

sunt,

sunt, quam mihi. Ideo nihil adscripsi novarum rerum. 8. Maij.

VII.

S. D.

HOnestissime vir. Sum pater, & sæpè non solum de paterna στοργῇ, *amore naturali*, sed etiam de causis, de voluntate Dei, de Ecclesia, de posteritate cogitavi, & oro filium Dei, qui ideo adsumpsit humanam naturam, ut nos tanquam surculos suæ massæ insertos servet. Qui cum velit genus humanum doctrina instrui, oro eum etiam, ut labores nostros gubernet & adjuvet, & semper aliquam Ecclesiam inter nos colligat & eam ornet sua luce & suis beneficiis. In eo numero ut sit & tua posteritas, toto pectore eum oro. In filio indoles, Dei beneficio, bona est. De studiis ex oratione ejus judicare poteris. Naturam ipse stilus ostendit rectam esse. Et mea officia ei non deerunt. Tibi etiam commendo Iohannem Hofmannum, quem spero, Deo juvante, usui esse futurum Ecclesiis in patria. Pagellam mitto. Nunc enim alia non erat ad manum. Benè & feliciter vale. Die, quo memoria celebratur piæ Principis Turingicæ Elisabethæ. Anno 1554.

VIII.

VIII.

S. D.

INtegerrime Vir. Sic inquit Irenæus: Semper adfuit humano generi filius Dei. Hic erat gubernator navis, cum Nohæ familia in fluctibus veheretur. Hic nunc quoque cymbam Ecclesiæ suæ reget & servabit, nec sinet Argonautas suos deleri, qui vocem Euangelii sonant, etiamsi duriter premimur. Redit ad vos Engelbertus bona quadam spe existimans rursus se istic docere vocem Euangelii posse. Si qua erit occasio, quæso ut eum juves. Valet enim ingenio, & studiosè didicit doctrinam Ecclesiæ. Nec ego ei defuturus eram, si in his regionibus maluisset esse. Sed patriæ amor eum istuc retrahit. Dei beneficio studia adhuc mediocriter in his regionibus florent, quæ colemus, donec Deus concedit. Benè & feliciter vale. Tibi, Æmylio nostro & ceteris amicis salutem opto. Die 20. Iulii.

IX.

S D.

MItto vobis themata nativitatum, sed sine longiore interpretatione. Hæc enim non potest fieri, nisi diligentissimè postea singulorum annorum curricula describantur, seu,

seu, ut vocant, directiones. Adscripsi tamen præcipuas naturæ significationes, quas maximè judico considerandas esse. Nam illæ minutæ supputationes singulorum annorum interdum sunt ineptæ. Hæc autem naturæ & ingenii significatio maximam vim habet. Hinc & de moribus & de fortuna judicari possunt plurima. Sed si requiritis integram interpretationem, sumet hoc sibi negotii Astronomus, ut addat annorum descriptiones singulorum. Pædagogum adolescentum Comitum existimo jam ad vos perveniſſe. Commendo eum tibi tuendum. Nihil volui cum eo pacisci, ne videremur diffidere humanitati ac liberalitati Principis tui. Ages Principi gratias pro munere, meque ei commendabis. Tibi quoque cupio me commendatum esse. Habeo Comitis Ludovici Stolbergii nativitatem, valde respondentem ejus ingenio & fortunæ, quam aliàs tibi mittam. Benè & feliciter vale.

Honestissimo Viro, eruditione, prudentia & virtute præstanti, EVERARDO ROGGIO *Dantiscano, Consuli Culmensi, fratri suo carissimo.*

S. D.

CUm post meum reditum intellexissem, quæ te domesticæ calamitates hinc iterum abstraxissent, magnum cepi dolorem, non eo tantum,

tantum, quod rei familiaris jacturam tantam fecisse dicebaris, sed multo magis, quod verebar te propter hanc fortunæ injuriam vix ad ea studia rediturum esse, in quibus bona cum spe paulo ante versatus esses. Miror autem de tuis consiliis nihil te in proximis literis significasse. Quibus te argumentis in hoc adverso casu consolari & erigere animum debeas, tenes, cum siis optima doctrina institutus, quam quidem, quia ad naturam per se moderatam accessit, spero efficaciorem in te confirmando fore. Tantum ubique calamitatum est, ut boni consulere debeamus tales casus, in quibus mediocri damno nobiscum fortuna decîdit. Me ingentia pericula exercent, αἱ γὰρ τυραννίδες τῶν ἀπαιδεύτων καὶ τετυφωμένων σοφιστῶν ἀπειλοῦσι μοι αὔτικρυς πολλὰ κακὰ, *tyrannides imperitorum atque inflatorum sophistarum ex professo & palam mihi multa mala minantur.* Sed ego me & Deo committo, & animi moderatione sustento. Affini tuo Viro doctiss. nunc non vacabat rescribere. Sed respondebo per proximum tabellarium. Nunc enim mercatores properabant. Non sumo mihi tantum, ut Aristarchum me faciam operis scripti ab homine ingenioso & facundo. Sed si miserit mihi librum, non gravatim indicabo meas opiniones. Benè vale. 10. Ianuarii, 1537.

II.

II.

HOneſtiſſime Vir & cariſſ. frater. Citat vetus ſcriptor Clemens Alexandrinus ex Sophocle dulciſſimum verſum, quem ſæpe recito, & tibi eum libenter ſcribo, quia eſt imago animi & morum tuorum, & conſtantiæ in omni officio: ἅπαν τὸ χρηστὸν τ' ἴσην ἔχει φύσιν, *Omne probum naturam habet æqualem.* Cum igitur ſciam te & naturæ bonitate virtutem amare, & pectus tuum domicilium eſſe Dei, non dubito te & noſtræ veteris amicitiæ, quæ pias cauſas habuit, memorem eſſe. Gratum mihi facies, ſiquando ad me ſcribes. Filius tui fratris Dei beneficio recte valet & diſcit. Oro Deum ut & ipſum & nos faciat σκεύη ἐλέους, *Vaſa miſericordia.* Mitto tibi exemplum narrationis Epiſtolæ ad Romanos ſcriptæ, quæ teſtis eſt vocem doctrinæ eandem in noſtra Academia & Eccleſia ſonare, quam coràm audiviſti. Benè vale & reſcribe. Die 12. Octobr.

III.

ETſi propterea mihi jucundæ ſunt tuæ epiſtolę omnes, quod gaudeo te retinere memoriam noſtræ amicitiæ, tamen proxima hoc nomine majorē mihi voluptatem attulit, quod eloquenter ſcripta erat. Video te conſuetudine hominis eloquentis, tanquam in Iſocratea familia multo factum uberiorem ac ſplendidiorem

rem. Reip. gratulor, quod tuus hospes evehitur ad illū in Ecclesia locum, ubi præclarè mereri de multis nationibus poterit, si suam autoritatem, ut decet hominem doctum, contulerit non ad exacerbandas publicas discordias, sed ad leniendas ac mitigandas. Huc omnia mea consilia spectarunt annos aliquot, ut & res explicarem utiles, & lenirem dissensiones quasdam: Sed hujus studii paucos habeo συναγωνίστας, *collaboratores, certaminis socios.* Legi titulos librorum, quos misisti. Esset autem ineptum pronunciare, non lectis ipsis disputationibus. Sed tamen ingenuè dicam, quod sentio. In titulis sunt quædam παρὰ δόξαν καινότερα, *præter receptas opiniones & novitatem redolentia*, quæ agitari nollem & sunt ἀνωφέλιμα, *inutilia.* Est autem in Ecclesia illud inculcandum, quod facit πρὸς τὴν οἰκοδομήν, *ad ædificationem*, ut inquit Paulus. Quorsum attinet illud vocari in quæstionem, περὶ τοῦ σπέρματος ἐν τῇ κυήσει τοῦ υἱοῦ θεοῦ, *de semine in conceptione filii Dei.* Sed de hac re & cæteris quibusdam quæstionibus malim & cum hospite tuo, & tecum coram loqui. Nec jam pronuncio, cum ipsum librum non legerim. Te rogo, ut si potes istinc avelli, ad nos tandem redeas. Usus esse ingens tui apud nos poterit. Domino Poliandro, & Dn. Brismano dices salutem meis verbis. Item Iacobo de Parthen. Non licuit plura, aut pluribus scribere. Benè vale, 20. Maji. 1538.

IV.

CUm hoc Matthia, cui has ad te literas dedi, quædam mihi familiaritas fuit, ac animadverti eum prudentia & candore egregio præditum esse. Cum autem sæpe audisset meos de te amantissimos sermones, rediturus istuc petivit ad te literas. Tuam enim amicitiam non eo tantum appetit, quod sperat sibi profuturam esse in aula, sed multo magis, ut habeat socium studiorum & arbitrum. Etiam ob eam causam te adhuc ignotum amat, quod amari te à me intelligat. Quare ut eum complectaris, te etiam atque etiam adhortor. Scio te mihi gratiam habiturum esse, quod tibi autor fuerim καὶ πρόξενος *conciliator*, ut talem virum in amicitiam admitteres. Nec dubito, quin ejus consuetudo tibi voluptati futura sit. Ego obruor laboribus; ideo nondum perlegi Episcopi librum. Nonnihil enim me etiam Magistratus Scholasticus, quo hoc semestri functus sum, impedivit, qui mihi profecto molestior fuit, quam quisquam existimet. Te expectare non desino. Mitto tibi orationem περὶ τοῦ πλάτωνος, *de Platone*, opinor te vidisse aliam de Aristotele., aliquanto ut mihi videtur scriptam commodius. Benè vale. 15. Octobris, 1538.

V. Ca-

V.

CAriſſ. frater, Oro filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, verè colligentem & protegentem æternam Eccleſiam, ut te & tuam domeſticam Eccleſiam ſemper protegat & gubernet, qui profecto exaudit & clementer tuetur invocantes ipſum. Cognati tui ſtudia & mores probo, & gaudeo eum non ſolum lineamenta corporis tui ſed etiam modeſtiam referre. Academiæ ſtudia narrare ipſe poterit. Non frangor animo propter Staphyli aut Oſii aut Flacii rabiem. Sed, Deo juvante, recta moderatè doceo, ut oſtendent etiam hæ pagellæ, quas tibi mitto, teque oro, ut aliquid mihi de tuo judicio ſignifices, quod profecto pluris facio, propterea quia ſcio te veritatis amantem eſſe, quam cenſuras multorum qui aut vulgo aut Regibus aſſentantur. Benè & feliciter vale cariſſ. frater. Cal. Maii, 1559.

IV.

CAriſſ. frater. Sum Pater, nec ferreus, nec ἄστοργος, *amoris naturalis expers*, & magno dolore adficior in filiorum & filiarum calamitatibus. Ideo te quoque magno in dolore eſſe propter tuas credo. Nam quo melior eſt in homine natura, eo ſunt expreſſiores στοργαὶ, *affectus inter parentes & liberos propenſi*. Oro autem Filium Dei Dominum noſtrum Jeſum

Christum, ut tibi & leniat dolores, & mitiget adversa, & te & tuam domesticam Ecclesiam servet. Tu quoque tibi ipsi ex fontibus doctrinæ divinitus traditæ ea proponito, quæ ad erigendas mentes tradita sunt. Vult Deus Ecclesiam cruci subjectam esse, sed non vult nos dolore opprimi, verum exuscitari ad invocationem, ut in ipso acquiescamus & lætemur. Meministi dictum apud Esaiam: *Tua castigatio facit, ut clament ad te cum gemitu.* quod Græci paulo aliter reddiderunt his verbis, Ἐν θλίψει μικρᾷ ἡ παιδεία σου ἡμῖν, *In parva afflictione nobis contingit institutio tua.* Ait brevem esse afflictionem, quia hujus Vitæ omnia læta & tristia aliquando desitura sunt. Intueamur igitur æternam consuetudinem, quæ erit cum Deo, & nos ad eam præparemus. Scriberem pluta si tempus concederetur. Mitto Bavaricæ Inquisitionis seu tyrannidis potius articulos, de quibus jam in prælectionibus trado responsiones. Benè vale, die 16. Octobris, qua Demosthenes mortuus est ante annos 1881. quem dolendum est tantam vim ingenii in rebus inutilibus consumpsisse & fuisse σκεῦος ὀργῆς, *vas iræ.* Nos Deo gratias agamus læti, quod ad meliora negotia vocati sumus, & petamus ut gubernemur à Filio Dei, ut simus σκεύη ἐλέους *vasa misericordiæ.*

Ph. M. frat. tuus, senex, qui à climacterico anno 63. non procul abest.

JOANNI

JOANNI MUSLERO, *Lipsiæ*.

S. D.

COmmoverat me non-nihil prior illa epistola tua, cum præter meum ullum meritum mecum expostulares. Nunc mihi per proximas literas largè est abs te satisfactum. Editionem Orationis tuæ eram equidem omni studio adjuturus, si quis Chalcographus abs te adduci ad excudendum potuisset. Ferreum genus hominum est, nec publicis commodis nec dignitate rei literariæ movetur, pulcherrimum artificium turpissimo quæstus studio contaminant. Et hoc tempore præter maledicos libellos nihil putant vendibile scribi. Et tamen si perpelli Schumannus poterit, ut exscribat, efficiam ut intelligas me non vulgariter publicationi scripti faviſſe. Nemo me libentius in tali re sumit operam. Cupio enim hoc officii genere non modo mihi adolescentes studiosos devincire, sed excitare etiam studia eorum, qui postquam in lucem ex umbra, & tanquam in aciem prodiêre, pertinacius urgent studiorum labores. Vale.

Domino MARTINO LVTHERO, *Patri carissimo*.

S. D.

SPero te accepisse fasciculum nostrarum literarum, in quibus scripsimus, quid hic geratur

ratur. Novi nihil interim accidit, quod relatu dignum sit. De causa nostra nihil adhuc decretum est. Et mirè videntur mihi variare sententiæ. Interdum aliqui ad æquitatem delabuntur, quos tamen subito depravant improborum calumniæ. Postulatum est privatim à Principibus ut deserant hanc causam. Nostri hodie respondent, & exponunt Cæsari, prohiberi se religione, quo minus prodant hanc causam. Adversariorum confutatio nondum est exhibita nobis, περὶ ζητήσεων, *de quæstionibus* amabo te respondeas mihi. Nam & votorum causa in ea disputatione periclitatur. Quod si εὐχαριστηρίων, *gratiarum actionis* opus instituere licet, licet eadem opinione vovere. Itaq; consequitur vota esse cultus seu λατρείας, ut vocant in scholis, & observari necesse esse. De his rebus rixor interdum cum meis sodalibus. Quare gratum facies nobis omnibus, si responderis. Oecolampadius scripsit contra me Dialogum, ut mihi videtur accuratius, quam solet alioquin scribere, quem afferam, si quando Deus nos reduxerit istuc. Amabo te rescribe de Traditionibus. Re ipsa experior eas habere, ut Paulus ait, speciem sapientiæ, & tamen introspectæ sunt inanes, atque interim ista specie cruciant conscientias. Vale fœliciter. Augustæ, 29. Iulii, Anno 1530.

Reve-

Reverendo Patri ac Domino, D. FRIDERICO ABBATI *Noribergenſi ad S. Ægidium.*

I.

S. D.

MAgiſter Vitus hinc expatiatus eſt cum quodam ſuo diſcipulo ad nuptias quaſdam Francofordiam, quæ eſt ad Oderam. Hoc me rogavit nuncius, ut vobis ſignificarem, ut de fide ejus nihil dubitaretis. De rebus Italicis ac Turcicis cupimus à vobis fieri certiores. De Anglicis adhuc incerta ſunt omnia, præter ea, quæ jam olim audiſtis. Nuper Rex expulit Franciſcanos ex quinque monaſteriis, nimium tenaces obſervantiæ ergaRom. Pontificem. Ea de re heri literas accepi. Hamburgenſem concionatorem jam aliquoties ad familiare colloquium admiſit, & oſtendit, ſe ſanam doctrinam velle in Regno propagari. Chriſtus benè fortunet. Synodum ea de re indixit Epiſcopis. Sed opinor hæc omnia vobis nota. Benè valete. Meis verbis reverenter ſalutetis D. Oſiandrum.

II.

S. D.

EGo, mi Domine Abbas, jure poſſim ingratus videri, quod cum honorificentiſſimè ſim à vobis & amantiſſimè tractatus, nun-

quam interea vobis scripsi, aut significationem aliquam ostendi gratitudinis meæ. Sed ego quanquam me non libero omni culpa, tamen ab ingratitudine semper studui quam maximè alienus esse. Neque unquam hominum vocabulo dignos esse existimavi, qui obliviſci possent benemeritorum. Sed ut publicè meam gratitudinem vobis declararem, præfixi Nonno Poëtæ, qui Euangelium Iohannis carmine perscripsit, præfationem vobis nuncupatam. Accidit autem fortè ita, ut nomen vestrum non tenerem memoria. Propterea dedi Chalcographo, qui & ipso anno superiore mecum istic fuit, ut ad vos proficiscereturr, & de nomine certior fieret. Ego aliquando honestiore aliquo officio meam gratitudinem vobis declaraturus sum. Eobanum & alios meos amicos vobis commendo. Anno 1527.

III.

S. D.

REverende pater. Ionas noster abiens istinc commendavit vobis fasciculum literarum mittendum ad Coburg. Hunc si adhuc penes vos habetis, quæso ut huic nuncio perferendum eò detis. Rectà enim eò proficiscitur, & perfert alias quasdam nostras literas. Scripsi ad Joachimum, quem quia non norat nuncius, vobis duxi mittendas esse eas literas. Quanquam autem intelligo, quam incivile

civile sit, vos onerare his negociis, tamen addidit mihi animum, diu jam cognita & spectata humanitas vestra, ut arbitrer, vos non illibenter hæc negocia suscipere. Rogo igitur, ut statim curetis Ioachimo reddi literas, priusquam à vobis hic tabellarius abeat. Nihil hic novi habemus adhuc, præterquam quod certo fertur Imperator in Inspruck esse, unde brevi putant eum huc venturum esse. Præter nostrum Principem alius nullus adest. Vos orabitis Deum, ut det nobis pacem. D. Gregorium Haloandrum meis verbis reverenter salutate. Augustæ, Donnerstag post Philippi & Jacobi. Anno 1530.

IV.

S. D.

CUm meus minister iter ad vos haberet, non potui facere, quin te per literas salutarem, ut intelligeres memoriam tui mihi jucundissimam esse. Utinam vero mihi ipsi liceret istuc expatiari hoc tempore, cum hospitio tuo vir doctissimus Haloander utitur. Nihil enim malim, quam illius doctrina ingenioque frui. Vidi Jurisconsultorum libros ab eo recognitos atque emendatos, in quibus præclarum specimen doctrinæ atque ingenii sui studiosis ostendit. Neque enim vulgaris cujusdam doctrinæ est tot vulnera in tali corpore sanare. Nam animadverti, tantum de-

gustatis adhuc libris, plurimos locos felicissimè restitutos esse. Ego semper ita judicavi, has nationes primum exuisse illam veterem barbariem Scythicæ similem, tunc cum hæ leges importatæ sunt, quæ profecto omnem humanitatis doctrinam continent. Quare magnopere eas amavi semper. Hoc magis gaudeo nunc eas repurgatas tanquam renasci. Neque enim negari potest, fœdè conspurcatas & contaminatas antea extitisse. Nec leviter mereri de Repub. judicandus est Haloander suscepta emendatione talium scriptorum, quæ continent omnem regendæ Reipub. rationem. Pars hujus laudis etiam quædam urbi vestræ debebitur, quæ suo sumptu hanc editionem adjuvat. Vale feliciter. Witebergæ. Postridie S. Iacobi.

V.

S. D.

SÆpè me ad scribendum hortatur Ioannes Hoffman. Nec mihi argumentum defuturum erat de tuis meritis ac beneficiis erga me dicenti. Sed fit occupationibus meis, quo minus aut tibi aut illius voluntati satisfacere possim. Nunc tamen nostro Figulo hoc epistolium dedi, tantum ut significarem, me tui memoriam non ejicere ex animo. De Anabaptismo quæ sum commentatus, opinor te vidisse. Cum domum & ad libros rediero, spero me etiam

etiam de Eucharistia meam sententiam scripturum esse. Intelligo enim hoc & te & alios quosdam bonos viros desiderare. Paulus jussit, ut spiritualibus donis nos mutuo consolemur. Ego vero talibus commentationibus hoc etiam consequor ut me ipsum confirmem, & meam conscientiam munitiorem reddam. Quare non illibenter eam quoque controversiam attingam. Vale feliciter. Ex Jena.

VI.

S. D.

EXistimo vobis exhibitum esse libellum contra Anabaptistas, quem edi passus sum, ut extaret de tanta causa meum judicium, seu testimonium meæ fidei. Ac spero me vobis non ingratum feciſse, quod vobis inscripsi. Volui enim vestri etiam nominis autoritate factionem illam premere, à qua videmus multa impia dogmata proficiſci. Multos vidi, qui resipuerunt. Hi mera portenta narrant, quæ tanquam mysteria celare solent, ne impietas eorum facile deprehendi possit. Hoffman accepit titulum magisterii. Nunc habet opus vestra opera, ut ad eam rem sumptus ei curetur. Commendo vobis eam causam. Valete. die 12. Octobr.

VII.

VII.

S. D.

CUnradus Muſer rogavit me, ut ſuam cauſam vobis commendarem, quam ex ipſius literis, ut opinor, intelligetis. Puellam virginem honeſti civis filiam apud nos uxorem ducet. Et ſponſalia jam facta ſunt de more. Nunc orat, ut pro veteri veſtra erga ſe benevolentia agatis cum patre, ut boni conſulat hanc rem. Ego quoque pro noſtra amicitia vos rogo, ut hunc adoleſcentem, quantum poteritis, apud patrem adjuvetis. Magna cum ſpe verſatur in ſtudio Iuris, & prope jam illud uſitatum curriculum, ut vocant, confecit. Si nunc pater deſereret eum, & inchoata ſtudia cogeret relinquere, plane rem faceret alienam paterno officio. Plura ſcriberem, niſi ſcirem vos pro veſtra prudentia omnia melius poſſe colligere, quæ ad hanc rem faciunt, quam ego ſcribere poſſum. Valete feliciter. Meum miniſtrum vobis commendo. Poſtridie Luciæ.

VIII.

S. D.

REverende vir & amice cariſſime. Duarum maximarum virtutum officia præcipit Deus, quoties poſtulat ut grati ſimus, videlicet veritatis & juſtitiæ. Fatetur veritas, à quo ſit acce-

acceptum beneficium, & meminit ac prædicat. Hæc semper præstari possunt. Iustitia obligat ad mutua officia, sed quæ præstari possunt. Ac veritatem semper erga Deum in prædicatione beneficiorum ipsius præstare necesse est. Reddere autem Deo alia munera quæ possumus? Ita veritatem vobis præstabo, nec obliviscar beneficentiæ Senatus & vestræ, & prædicabo perpetuo. Reddam & hoc officium, debere me vobis sentiam, & Deum orabo, qui vult nos intelligere & præstare gratitudinem, ut vicissim vobis benefaciat, protegat urbem & Ecclesiam & vos. Meis verbis dicetis etiam honestissimæ matronæ conjugi vestræ, me vera gratitudine & agnoscere multis beneficiis ab ipsa nos affectos esse, & Deum orare, ut ipsi vicissim benefaciat. Mitto vobis libellos, quia hoc tempore alia magis convenientia munera mittere non potui. Benè valete, die 6. Aprilis.

Reverendo Viro, nobilitate generis, virtute & eruditione præstanti, D. BERNHARDO ZIEGLERO, *Doctori Theologiæ, amico S. carissimo.*

I.

S. D.

NEcessaria est in doctrinis omnibus deliberatio cum artificibus μετὰ συζήτησις, *disquisitio.* Quod sæpe experior, ac jam valde cuperem

cuperem tecum de multis locis Esaiæ colloqui. De hac sylvula vero, quam inchoavi, quam ad te mitto, statues tuo arbitrio. Si displicebit concerpito. Cœpi in genere de Prophetis dicere, postea de politia Esaiæ. Nunc addo tertium caput de doctrina totius operis. Quæ pars uberior erit, sed recitari facilius & splendidius potest. Salutem opto Dn. Joachimo, cujus literis respondebo post paucos dies. Sed dices ei, mihi heri dixisse Marchicum Scribam de Duce Prussiaco recentes fuisse literas in aula Marchica ex Prussia ab ipso Duce, quæ testantur eum vivere & rectè valere, imò etiam deliberare περὶ γάμου, *de nuptiis.* Novi isti σφαιγοὶ *Duces* existimant singularem sapientiam esse, spargere fabellas alienissimas ab iis rebus, quas agunt. Sed hæc aliàs. Properat enim tabellarius. Bene vale.

II.

S. D.

ETsi consilium tuum de filio erudiendo in eo cœtu, qui Fabricii judicio & gubernatur & doctrina excolitur, probo, & locus filio servabitur, tamen hoc tempore reducendum esse duximus & Ascanius & ego. Ac matri certè gratũ facere nos speramus, etiamsi tu fortasse severius judicabis. Sed te oro, ut boni consulas hanc animi mei molliciem. Nolebam gementem & lacrymantem istic relinquere.

quere. Sæpè de στοργῇ *amore* parentum cogitans ratiocinor impressam esse hanc ingentem vim amoris naturam pectoribus hominum, ut sit commonefactrix de amore æterni patris erga filium, ut erga nos, Teque propter illam στοργίλων, *amorem* oro, ne mihi succenseas, quod filium reduximus, quem ut servet tibi Deus opto, sicut scriptum est, *Non est voluntas Dei ut pereat unus de parvulis istis.* Bene vale.

III.

S. D.

NOn adeo ineptè sum Suffenus, ut meorum scriptorum forma delecter. Video maciem & tristitiam meæ orationis, quam augent etiam animi mei mœrores multiplices. Sed tamen quia me aliquid scribere interdum jubetis, studium & officium meum vobis probare cupio. Nam Academiolas nostras ex animo opto unam verè consentientem & Spiritu sancto Christi συμβιβασθείσαν, *compactam, coagmentatam* Ecclesiam esse. Ac utinam meæ operæ conducere aliquid studiis publicis doctrinæ salutaris possent! De ipsa vero conciuncula vestro arbitrio statuetis. Fortassis splendidius tractare potuissem argumentum δημηγορικὸν, *concionatorium*, quam hęc διδασκαλικὰ, *doctrinalia*, quæ flagitastis. Benè vale.

IV.

IV.

S. D.

HEri cum in templo recitata esset historia, ut mos est, de pueris canentibus seu triumphalia carmina, seu pæanas filio David, de quibus respondet Christus, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, tuas sententias, quas hoc tempore explicaturus es in disputatione, accepi. Admonebat me historia, quam audieram, ut gratias agerem Deo, subinde excitari νήπια θηλάζοντα, *pueros lactentes*, quæ tamen sonent Euangelii vocem, & filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum celebrent veris laudibus. Iudico enim & has tuas sententias verè pios hymnos & Christo gratos esse. Ac toto pectore Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut non sinat extingui hanc doctrinæ lucem, quæ in his tuis sententiis & similibus concipitur. Oro etiam, ut in nobis accendat hanc lucem Spiritu suo sancto, ut omnibus veris officiis eum colamus, & ipsius sapientia ac iustitia alamur, tanquam verè θηλάζοντες *lactentes* ab ipsius sinu pendentes. Tibi vero pro munere misso gratias ago, & aliquando mittam vicissim scriptum simile. Vtinam autem diu certare talibus muneribus hæ scholæ possint. Ioachimo des Antonii Nigri Epistolam insertam huic pagellæ. Benè vale. V. S D.

V.

S. D.

NEmo potest multa simul facere, eademque rectè omnia facere, inquit Xenophon. Id vero miseriæ me docent meæ. Dum multa simul scribo, ne fieri quidem potest, ut singula absolvam. Mitto præfationem subito scriptam, de qua vestro arbitrio statuetis, num sit addenda elegantissimo Operi Ioachimi ac nitidissimo. Sed meæ orationis filum novistis. Officium tibi meum probatum esse volui. Nuncium quæso duci cures ad ædes V Volf Haseloch, à quo juxta syngraphas accipiet pecuniam. Quæso ut hanc rem diligenter cures. Alesio mitto Scriptum V Vintonienſis, de quo in literis ad ipsum meum consilium significavi. Benè vale. XV. Cal. April.

Illustri, Magnifico & Reverendo Viro, Nobilitate generis, virtute & sapientia præstanti Dn. JOHANNI à LASCO, *Patrono suo colendo.*

S. D.

SCripsit apud nos Orationem de fratre tuo homo ingeniosus, & valdè amans familiæ tuæ, quæ tot jam sæculis præstantes & Duces & Senatores Regno Polonico genuit. Etsi autem scriptum est, ut videbis, juvenile, tamen propter argumentum, ac vero etiam

propter autorem libenter edidi. Ego si mihi fratris historia magis nota fuisset, retexuissem, quamquam & mea oratio squalidior est. Te scio habere illas dotes, quæ in Scriptore postulantur, σύνεσιν πολιτικὴν, καὶ δύναμιν ἑρμηνευτικὴν, *prudentiam civilem & interpretandi facultatem.* Quare optarim teipsum aliquid de fratre edere, aut certe commentarium nobis mittere. Exempla orationis exhibebit tibi hic Nicolaus Forstius natus in Brabantia, vir eruditus & gravis, qui propter doctrinæ puritatem in Ecclesiis vestris mavult vivere quam alibi. Diu in Academia Lovaniensi fuit, postea hic amplius anno commoratus est, & comperimus ejus integritatem nobis ab Alberto Hardenbergio verè prædicatam esse. Poterit isthic in docendis Belgicis Ecclesiis usui esse. Poterit & in Scholis docere. Quare te valde oro, ut hospitem tecum exulantem in eadem causa amanter excipias, & ei nidulum alicubi quæras. Credo tibi sæpe in mentem venire dictum exulantis Reginæ, *Non ignara mali miseris succurrere disco.* Eadem oratione fortassis brevi apud te coram utar. Expectamus enim nos quoque exilia. Tantæ cum sint calamitates Ecclesiæ, Prutenicus Gorgias ταράσσει τὸ κεφαλαιότατον μέρος τῆς διδασκαλίας. περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ ἀποτελετείας, *turbat maxime capitalem partem doctrinæ de justitia & adoratione panis.*

Sed

Sed oremus filium Dei, ut ipse tot magnis vulneribus Ecclesiæ medeatur. Bene vale. Die nona Septembris. 1551.

D. JOANNI CALVINO.

S. D.

REverende vir & carissime frater. Collegæ nostri postquam adversariis exhibuerunt condemnationē vestrarum Ecclesiarum, hinc discesserunt. Nunc domi triumphos agent, tanquam de Cadmæa victoria. Nos adhuc in acie manemus, & oramus filium Dei ut sit βοηθὸς *Præses* noster. Viris excellentibus eruditione & doctrina ac virtute, quos ad nos misisti, non defuerunt nostra officia, quæ quidem præstare potuimus. Sed quid impetraturi sint nostri, etiamsi fiant ἱκέται *supplices*, dubito. Nam Ecclesia cum sit supplex hypocritis plerumque est velut navis ἱκετεύουσα πέτραν, *supplicans petræ*, ut in veteri versu dicitur. Expecto in hac senecta post mediocres labores similes casus, quales vestri jam experiuntur. Ideo misericordia vestrorum magis afficior, & filium Dei oro, ut & vestris & mihi & nobis omnibus opem ferat. Benè vale. Wormatiæ. Die 8. mensis Octobris, 1557.

Ad JOHANNEM HESSVM, *Canonicum primò Vratislaviensem & Nyssenum, postea Concionatorem & Pastorem Vratislaviæ, primum instauratorem Euangelii in Silesia.*

I.

SAlve animæ dimidium meæ. Iraſcor civibus tuis, per quos non licuit plura ſcribere. Tabellioni properandum fuit, & priuſquam ego omnia quæ deſtinaveram apparaſſem, jam Wittenberga diſcedebat. Noli nobis imputare, ſi quid officio deeſſe videbitur. Captabo occaſionem ſcribendi alio ad vos tempore copioſiſſimè. Excuſabis nos apud amicos, inprimis apud Dominum Saurum, quod eloquentiſſimo viro pro dignitate non reſpondeo. Vale, vale atque iterum vale feliciſſimè. Anno xx. 27. Aprilis.

II.

SAlve mi Heſſe, frater cariſſime. Cum aliâs multis ex cauſis, tum hac omnium prima, jucundiſſimæ mihi literæ tuæ fuerunt, quod ſignificas adverſum te quoque Sadducæos furere. Scilicet ſuum negotium agunt miſeri homines, deplorandi magis, quam inſectandi. Tu vide ne non gratus ſis Deo Opt. Max. qui te tam ſuaviter exercet, profeſſionis tuæ nomen tuere. Chriſtianus es enim, Chriſti doctrinam fac adſeras, vel portis inferorum repugnan-

gnantibus. Nos, quoad Dominus ſpiritum ſuum ſuppeditarit nobis, pro virili Chriſtianas literas adferemus. Nondum devota eſt diris Wittenberga, & res ex urbe Roma quietæ nunciantur, niſi quod Sylveſter Prierias contra Martinum edidit ſuæ diſputationis Indicem, ni fallor, ut hominem ψευδοπύροις, *fictitiis ignibus*, *i. inanibus terriculamentis* terreat. Videbis cum hic excuſus fuerit libellus. Invitat ultro Martinum Franciſcus de Sickingen Equitum Germaniæ rarum decus. Huttenus ad Ferdinandum Caroli fratrem proficiſcitur, viam facturus libertati, per maximos Principes. Quid non ſperemus igitur? Mitto Apologiam, qua Franciſcano Monacho reſponſum eſt à Feldkirchio meo, fratre Bartholomæi Cameracenſis Parochi: Eam dabis legendam amicis. Mitto & optimum Martini Opuſculum de Fide & bonis operibus, quod leges, ut illius omnia ſoles, cum voluptate. Crotus huc ad te ſcripſit, item ad Martinum. Noſtræ ad illum literæ in Italiam mittuntur, cum ipſe jam iter in Germaniam intendiſſet. De loco apud Paulum Martinus reſpondet. Quis enim Martino aptius reſpondeat? quo ad Pauli ſpiritum nemo, quod ſciam, omnium ſcriptorum Græcorum & Latinorum propius acceſſit. Sed breviter. Properabat enim Nuncius. De Matthæi loco uterque ſic ſentimus, Chriſtum ſecundum humanitatem ignoraſſe

diem extremum, ſicut pleraque. Neque permittimus Theologis quod ajunt, omnia Chriſtum ſecundum humanitatem ſciſſe, quæ ſciret verbum. Qua de re ſuo loco agemus. Ago gratiam pro Callimachi diſceptatione. Amœna eſt enim. Clariſſimo Viro D. Sauro me unicè commendabis, ſalutabiſque optimum ac doctiſſimum virum meo nomine. Item Gradualdum. Item Vitigerum. Nos ſui ſumus. Mitto feſtivam Croti Epiſtolam ad Martinum; recognoſci à me non potuit hoc tempore. Vale mi frater. Plura non licebat per nuncium ſcribere. Octava Junii, MDXX.

Dominus tecum, operaturo ſacris.

III.

SAlve Heſſe Jucundiſſime. Perpetuum tuum ſilentium, ut ferant alii, forſan ex ipſo Dominico, exque D. Martini literis intelliges. Ego, ne dubita, amice, hoc eſt, ægerrimè fero. Quanquam, ſi felicius ſis occupatus, quam ut amicorum nugis vaces, nolim nugando infeliciter bonas horas te perdere. Nihil enim eſt, quod vereamur ne juxta illud λύση φιλίαν ἀπροσηγορία, *ſilentium vel neglecta compellatio amicitiam diſſolvat.* Ariſtotelica ea eſt amicitia, quæ nihil rebus, chartis ſcilicet, alenda eſt, non Chriſtiana, quam idem ſemper ἀπερπερεύτως, *ſine fuco aut dolo* conciliat ſpiritus. Habes credo, quæ reſpondimus, tum D. Martinus, tum

ego

ego ad proximas literas, quas per sacerdotem tu miseras, ego per quem relata sint ad te τὰ ἀντιγεγραμμένα *contraria scripta seu respōsa*, ignoro. Fefellit enim sacerdos nos. Copiosè credo de omnibus tum scriptum, de quibus tu volebas. Novi quod sciam nunc nihil est: adhuc, Deo gratia, spirat Martinus, & tu ora ut quam diutissimè spiret, ille unicus θεολόγῳ διδασκαλίας *Theologicæ doctrinæ* vindex. Ante paucos dies scripsit ad Illustrissimum Principem Fridericum. Cardinalis S. Georgii agit prece ac minis, ut coërceatur Martinus. Respondit illi Princeps acutè pro ingenio suo. Nostri πειθῆς ὀδυσσέα, *Vlyssem Suadæ*. Exempla nunc non erant ad manum, describentur si petieris. Vides quam callidè abs te literas extorquere coner. Nos egregiè cessamus, quamquam semper occupatissimi, sed nugando, potando. Mitto propositiones nostras. Crotus quoque conticescit. Noster Isleben uxorem duxit, & sane si nosti Elsam, cujus sororem habet Scriba civitatis VVitenbergensis. Ducturire nos quoque vulgo ajunt, cum nunquam magis frixerimus. Illi tu benè ominabere. Vale & ride, nisi flagitium putas. VVitembergæ, Anno xx. Calendis Augusti.

IV.

SAlve mi Hesse: Nimium properamus, ut fert occasio. Boni consule quod scripsi-

mus, excusabis nos apud omnes amicos, quod non satisfactum est illorum, ut arbitror, voluntati. Quanquam non sunt ejusmodi literæ meæ, quas illos desiderare putem, hominis adeo ἀγροίκου, *rustici*, ut planè mei me pudeat. Habes concionem de Eucharistia. Habes Erasmicam ad Cardinalem Epistolam. Saluta D. Metzler, cui per ocium scribemus. Scripsit Adrianus Gradualdo & Vittigero Hebraicè, ego Græcè, ineptè forsitan, sed tamen officiosè. Omnia αὐτοσχεδίως, hoc est, ex tempore. Vale mi frater, & sæpè scribe, quo nos excitabis, ut sæpè multa mittamus. Nunquam adeo inopes sumus, quin habeamus, quod aspernari tu non debeas. Vale mi frater iterum. Commenda me amicis omnibus, inprimis D. Sauro. Salutant te pater Prior, Iohannes Islebius, Bacchus noster. Anno xx.

V.

S. D.

300 QVid in causa sit, quo minus scribas ad nos hoc tempore, non video, nisi forte, quod id per causam Pontificiam licere tibi non putas. Quod si verum est, ubi, Hesse, ille Christianus spiritus? ubi pristinum animi tui robur? qui cum scias Lutherum à pietate stare, ac à vero, mussas tamen. Dominicus metu Lipsiam concessit in tutum, cujus exemplum si deterruit animum tuum à nobis, duplici

plici nomine illi iraſcar. Quanquam haud ſcio an illum aliæ rationes etiam invitarunt Lipſiam. Adhuc autem & ſpirat & floret Martinus, ipſo etiam indignante & frendente Leone, quem hactenus falſò putabant omnia poſſe. Bullam Eccianam apud nos nemo probat, præter eos, qui ventri ſuo potius quam Euangelio conſultum volunt. Certè nobis ab ea nihil prorſus hactenus eſt periculi, etiamſi tonantibus & promulgantibus illam Epiſcopis. Quanquam utinam ſcias, quam trepidè iſti agant Pontificis mandatum, nempe qui inter ſacrum & ſaxum ſibi ſtare videantur, hinc judicium Orbis terrarum, illinc Pontificiam iram metuentes. Sed hæc apud multos valuit, qui maluêre palam eſſe mali, quam videri parum religioſæ ſanctitatis Pontificiæ creaturæ. In Vangionum Comitiis, quanquam non dubito, quin ſcias, quæ agantur, tamen viſum eſt paucis indicare hoſtium conſilia. Quotidie interpellatur Cæſar, ut interdicto ſuo Lutherum proſcribat, deliberatur, diſceptatur magna contentione. Periſſemus, ſi poſſent Papiſtæ, quæ eis ira ſuggerit: dolent diras Pontificias parum valuiſſe: Cæſarianas ſperant valituras, itaque has, quâ jure, quâ injuria à manibus Carolo extorquere conantur, ſed, ut ſpero, fruſtra. Nihil timet Martinus, qui libenter etiam morte ſua Euangelii gloriam & profectum emerit. Adſertionem adverſus Bullam

Leonis, fortasse legisti. Quid autem, ubi videris Germanicam? Nam eadem lingua vulgo scribuntur. De me si quid scire vis. uxorem duxi, quem casum magis fatis imputo, quam hominum consiliis. Fero novam servitutem, utcumque. Mentiar, si quid durius passus mihi videar. Sed hæc θεῶν ἐν γόνασι κεῖται, *Deorum in genibus posita sunt.* Quis novit autem divina consilia? Nam ita me consolor, quod si fuit mihi luenda vitiorum meorum pœna, proh, quam hæc blanda animadversio est plane neque paterna! Interim à studiis non ita multum mihi, ab animo plusculum periit. Pauli ad Romanos adhuc enarro, nunc tractans caput x. Methodum, quam pollicitus sum in hanc æstatem, ut spero, edam. Nunc scribo contra Thomæ Rhadini libellum, nos Emseri esse putamus. Martinus cœpit Commentarios scribere in Euangelia & Epistolas, quæ pro Ecclesiæ consuetudine festis diebus leguntur, exemplum sequutus eorum, qui Postillas conscripserunt. Emseri germanicum libellum fortasse vidisti, huic modo respondet noster. Sed de causa tota, deque rebus VVittembergiæ intelliges ex hoc tabellione, homine & erudito & facundo. Nam ego omnia complecti vel prolixa oratione non queam, quid Eccius, quid Episcopi, quid Principes, quid eruditi in hac causa moliantur. Nihil tuis literis impensius ardeo videre. Vehementer enim metuo, ne

parum

parum tui similis sis. Quin consiste, & memineris, non posse Euangelium Romanæ impietati probari. Impegerunt in Christum, tum cum ipse in terris ageret, feliciori tempore, tam multi & in his quot Nicodemi? quot Gamalieles? quod Sauli? quid nos infelicissimo seculo non formidemus? an defuturos speremus Iudam, Caipham, Pilatum, Herodem? Adversum tales animum tuum Euangelio armes velim & obdures. Vale carissime frater. Die Mercurii post primam Quadragesimam Dominicam, Anno MDXXI. Salutat te Martinus.

VI.

S. D.

CAriſſime mi frater. Ex nuncio de patre noſtro Doctore Martino omnia intelliges. Ad Vangiones profectus eſt, Deus faxit ut feliciter. Quæ à nobis petiiſti, brevi mittemus. Nunc enim inter tantas occupationes vix hæc licuit ſcribere. De fide tua nihil dubitabam, ſed jocabar tecum. Quanquam optarim tibi plus ἀνδρείας, *virilis roboris*. Nos Thomæ Rhadino reſpondimus, principio arbitrati Emſerum autorem. Nunc nihilominus dubitamus de autore. Nuncius adferet reſponſionem ad Emſeri libellum. Mea Methodus nunc excuditur. Ideo mittemus auctiorem, quam ſcripta quondam fuerat. Dominus augeat te

Spiritu

Spiritu ſuo. Vale. VVitenbergæ. Gratias ago pro munere: Quanquam quid cum cochleari homini Theologo? Sed gratum eſt quidquid à te proficiſcitur. Scribemus, ut ſpero, ſub has nundinas copioſè. Modo enim non poſſum. Poſt Paſcha, Anno XXI.

VII.

S. D.

QUod rarius ad te, mi Heſſe, ſcribo, quam tu velis fortaſſe, quanquam occupationes meas cauſari, καὶ μάλα ῥητορικῶς, *& valde quidem rhetorice*, poſſem, tamen agnoſcere, quam deprecari culpam malo. Poſſit enim alicubi fortaſſe publicis negotiis tantillum, ſcribendæ Epiſtolæ detrahi, quo tibi ſatisfieret: Sed ego quodam impetu, quadam mole rerum vehor, non aliter, atque in undis navigia, ut ſæpe mihi, ne quod velim quidem detur. Boni conſules neceſſitatem meam. Noſter Helias adhuc abeſt à nobis: Expectatur autem & ſperatur. Quid enim aliud dicam? Me deſiderium ejus excruciat miſerè. Quanquam ille interim ut nihil ceſſarit à ſua functione ἀποστολῇ, declarat ἀντιλάτομος, item Confeſſio & pleraque, quæ ſunt interim edita. Non enim dubito, quin ad te mittantur, & ego huic adoleſcenti, de quo inſtitui ſcribere, ut mitteret, demandavi. Eſt autem, quod volo: Adoleſcens quidam Iohannes Piſcator, ingenio

nio tractabili, eruditione in utraque lingua plusquam mediocri, moribus omnino dextris, petit à me, ut se tibi per literas ita commendem, ut si qua ratione commodè apud vos Vratislaviæ victum sibi quærere possit, aut docendis pueris, aut qua alia honesta ratione rem adjuves. Τὴν σάρκα σου, *Carnem tuam*, nosti Propheticam vocem, tibi commendo. Quicquid est, fac sciat ille sub proximas Lipsicas nundinas, hoc est, Cal. Ianuar. quid sperare debeat. Advolaturus enim ad vos, si fortuna invitarit. Mihi pergratam rem feceris, si pium juvenem, qua poteris opera juveris. Nondum respondi tibi de tuis ἐρωτήμασι, *interrogationibus*. Quanquam credo interim ipse explicuisti, præsertim ea, quæ ex Tobia decerpseras, non admodum obscuros, aut magni momenti locos. Vale, Witembergæ sub multam noctem. Pridie Cal. Octob. 1521.

VIII.

S. D.

QUod securitati consuluisti tuæ, laudo prudentiam, tametsi meminisse debeas, fortiorem esse qui in nobis est eo, qui in mundo est. Nunc reliquum est, ut apud eos agas rem Euangelii, ad quos te contulisti. Nam, ut scias, Mundus sunt non Sacerdotes modo; sed & hi qui arma gerunt. Quæ de Missa scribis, sic moderare velim, ut solebant Apostoli, qui con-

connivebant annos circiter triginta ad imbecillitatem eorum, qui ex Judæis crediderant: Observa ritus omnes illos, quorum nunc usus est. Nam, ut Paulus ait: *Circumcisio nihil est*. excidisti libertate spiritus, si putas peccari, si jejunes paraſceve. Sed excidisti eadem libertate, si putas peccari, nisi edas in paraſceve. Sic hodie ferè aut ad dextram, aut ad siniſtram peccatur. Rari regia via, quam requirit Scriptura, ingrediuntur. Quod de Missa scribo, ſervandum est in omnibus aliis ritibus. Furor est, non pietas, nolle infirmitati aliorum hac parte obſecundare. Habes c. 14. & 15. ad Romanos de infirmis fovendis. Locum de convertendis reliquiis Iudæorum in mea commentatione data opera tranſilii. Quanquam futurum opinor, ut noviſſimo tempore hoc multi redituri ſint in viam. Vale, Witembergæ. Die nunciatæ ſalutis. Anno XXII.

IX.

S. D.

QUid eſſe cauſæ ſuſpicer, Heſſe, cur tot jam menſes ne literam quidem mittas? opto, ut ſalvæ ſint res tuæ. Nos hic ſatis bellè habemus, præterquam quod Franciſcus à Sickingen magna invidia cauſam Lutheri degravat. Qui quanquam ab hoc alieniſſimus ſit, tamen ubi bellum ſuſcepit, ſtatim voluit videri publicam cauſam, non ſuam agere. Nunc latro-

latrocinium fœdissimum ad Rhenum exercet. Quo si tu scandalo ureris, nihil miror. Nam uruntur innumeri. Sed tamen æquum est te cogitare, quod Christus inquit, *Beatum esse, qui in se non fuerit scandalisatus.* De fide Doctrinæ, deque integritate Lutheri noli quidquam dubitare. Scio quam doleat ei hic tumultus. Et duriora meruimus. Quare vide ut constanti & forti animo sis, ne patiare te à Christo ullis insidiis Sathanæ divelli. Ambrosius Moibanus cupit, ut se diligenter commendes D. Nicolao Leubelio patrono suo. Qua in re non illi tantum, sed mihi quoque gratum officium feceris. Neque enim credas, quam velim optimè consultum Moibano. Meretur enim hominis virtus, eruditio amplissima quæque. Proinde mihi judicabo te defuisse, si qua in re illi defueris. Literas tuas anxiè desidero. Vale, VVitembergæ, Cal. Januarii, Anno XXIII. Lutherus Dei benignitate rectè valet. Saluta Nigrum elegantissimum Poëtam, & Trogerum meo nomine, amicos jucundissimos.

X.

S. D.

SCripsi nuper ad te, rogans, ut meminisse velis quam periculoso loco sis. Magna res est quam suscipitis, & conscientiarum plurimarum refert. Vide ne imbecilles robore tuo offen-

offendas. Ego aliud non possum, nisi ut precer, ut Christus per te glorificet Euangelium suum, Amen. Est mihi privatim tua opera opus. Missus est ad me ab amico, viro optimo. Stalbergio Francofurdensi cive opulento filius, qui aut Lipsiæ, aut Vratislaviæ mercatori commendetur, apud quem serviat. Sic solent illi, ut audio: Lipsiæ neminem inveni, cui obtruderem. Te per amicitiam rogo, cures puero herum apud vos, eaque de re primo quoque ad me tempore scribito. Differri res commodè non potest. Obsecro te mi Hesse, declares in hac re, quantum mihi cupias gratificari. Ego te nunquam in eo amicorum numero habui, qui multa pollicentur, cum ad rem ventum est. Comica illa audias: *Quis tu es mihi, &c.* Quod meum de te judicium, si fefelleris, ipse intelliges, ut de me mererêre. Frater tuus rectè discit: Id adeo mihi credes experto, quid in literis possit. Vale feliciter, & da operam, ut primo quoque tempore conficiatur, id quod postulavi. Iam vero ut bono viro commendetur effice, ne quid fraudum addiscat juvenile ingenium. Anno 1524. Dominica post Calend. Ianuarias.

XI.

S. D.

MI Hesse, ἐπισκοπίαν, *inspectionem*, Christus tibi fortunet. Mosellanum heri amisimus,

simus ejus morte jacturam res literaria fecit. Fuerunt enim in illo dotes planè eximiæ. Accipio inter Nigrum & Trogerum simultatem quandam intercedere, quos tuum munus erat conciliare inter se. Neque enim non potest obesse rei literariæ id dissidium. Contende igitur manibus & pedibus, ut illos places. Nihil refert unde ortum sit malum. Optarim Trogerum cedere Nigro, à quo vincitur citra controversiam facultate ingenii, sed nolo rem exacerbare Nigrum oportuit ferre alterius mores. Hæc præsens multo rectius monebis. Nam has literas nolo ostendi Trogero. Ipse ad eum scripsi liberius etiam quam vellet. Vale, Lipsiæ in nundinis 1524.

XII.

S. D.

EX Dn. Doctore legato vestro audies historiam conventus. Ego paucis significabo, quid in colloquio cum Eccio egerimus, quod instituerunt Principes ad dirimendas contraversias. De Iustitia fidei concedebat nobis, quod fides justificet, sed cavillabatur vocem, *sola*: Neque tamen addi voluit opera: sed gratiam & Sacramenta & verbum tanquam instrumenta: Hæc ego concessi posse addi: sed opera tamen excluси. Postea de satisfactione pro pœnæ remissione; Item de meritis, etsi his exiguum quiddam, seu ut ipse loquitur, minus

principale tribuit, tamen nihil conceſſi: Reliquos articulos non improbant adverſarii. Vbi ventum eſt ad utramque ſpeciem, voluerunt ut & nos diceremus, licere uti una ſpecie. Hic excuſavimus ſumentes, quia non habent adminiſtrationem Sacramentorum, coguntur uti Sacramentis, quemadmodum porriguntur. Ita excuſat hos neceſſitas. Sed autores prohibitionis utriuſque ſpeciei non excuſavimus. De conjugio iniquiſſimas conditiones propoſuerunt. Itaque non recepimus. Recuſavimus etiam privatas Miſſas reſtituere. Ceterum Epiſcopis obtulimus Iuriſdictionem & palàm profeſſi ſumus, nos Politiam Eccleſiaſticam libenter conſervaturos eſſe. Et optare, ut Epiſcopi præſint Eccleſiis. Polliciti ſumus etiam nos ſervaturos quicquid eſt Ceremoniarum indifferentium, propter concordiam Eccleſiarum alendam. Sed has conditiones nondum acceperunt Epiſcopi. Nunc igitur expectamus violenta edicta. Nulla enim moderatione ſatisfieri ſibi Pontificiæ factionis homines patiuntur. Volunt nos prorſus perditos. Deus igitur orandus eſt, ut ſervet nos. Vale 6. Septembris, anno 1530.

XIII.

S. D.

QUod tam rarò ad te ſcribo, quidvis potius in cauſa eſſe putato, quam oblivionem

nem noſtræ veteris amicitiæ. Nam ego te cum primis amo propter tuam conſtantiam & fidem, quæ hoc tempore rariſſima eſt. Vides enim quam multi hoc doctrinæ genus quod docemus, nunc acerrimè perſequantur, qui initio applaudebant. Atque iidem nunc quoque fateri coguntur, multos à noſtris locos patefactos eſſe utiles ad alendam pietatem & conſolandas conſcientias, ſed allegant ſcandala, hoc eſt fugiunt crucem. Quo magis te, mi Heſſe, amo, quod non pudet te Euangelii, nec detrectas crucem Chriſti. Spirenſis conventus non procedit. Spero futurum, ut Deus det molliorem καταστροφὴν *converſionem* his rebus quam velint adverſarii. Bene Vale. Anno xxxi. Menſe Novembri.

XIV.

S. D.

SUbſtiterunt hic biduum duo Poloni ex Italia in patriam redeuntes, quorum alter magis Iuri civili deditus videbatur, alter noſtræ Philoſophiæ, quam ſcio te quoque amare, perſtudioſus. Conjungit enim eloquentiæ ſtudia cum veteri Peripateticorum doctrina, Doctore Laſaro Bonamico. Ac mihi vel præcipuè his ſtudiis dignus viſus eſt. Tanta eſt ingenii ac morum ſuavitas. Quare magnam voluptatem ex hoc congreſſu noſtro cepi. Rogaverunt autem me diſceſſuri, ut ſibi literas ad ami-

cos Vratislavienses darem: Ego vero ita eis prædicavi & tuam & Meceleri humanitatem, ut plane accenderim vestri studio ac amore, dedique has ad te literas, ut adeundi atque compellandi tui occasionem haberent, teque uterentur προξένῳ *conciliatore* ad Mecelerum, & si quos alios putabis adeundos, Saurum videlicet, aut certe Henckelium. Etsi scio te pro tua summa humanitate tales hospites excepturum esse officiosissimè, tamen ut mea causa aliquid addas studii ad ea officia, quæ in eos collaturus es tua sponte, te etiam atque etiam oro. Scio mihi gratiam habebis, quod facultatem tibi dederim cognoscendi hujus juvenis, quo ego ex ista natione nihil vidi amabilius. Amabis igitur, & ut Homericè dicam, φιλήσεις *amore & osculo excipies* eum, & humanitatis ipsius, & mea causa. In Germania nihil est novi, præter tumultus Erfordienses. Nosster ἄρχων *Princeps* cum Erfordianis de nescio quibus nugis, de Jure inutili quodam contendit; ac vereor nisi Christus prohibebit, eam rem parituram esse magnos motus. ἀλλὰ ταῦτα θεῷ ἐν γούνασι, *Hæc in Dei genibus, id est, potestate scil. sita*. Mecelerum salutabis reverenter meis verbis & Henckelium, eisque meo nomine etiam hos hospites commendabis. Benè vale. 1533. Postridie Elisabethæ optimæ Turingorum Dominæ. Salutant te amici.

XV.

XV.

S. D.

QUod fauſtum felixque ſit, mitto ad te adoleſcentem Sebaſtianum Delicianum, quē judicavi idoneum eſſe ad docendos pueros illos ὁμωνύμους τοῖς πατριάρχαις, *cognomines Patriarchis*. Eſt enim præditus ingenio placidiſſimo & modeſtis moribus & eruditione ſatis magna pro ea ætate. Myſnenſis eſt, cujus gentis linguam & ingenia cum Sleſiacis maximè convenire judico. Tribuo autem utriſque plus humanitatis quam vicinis Saxonibus, quos planè arbitror poſteritatem eſſe Pyrrhæ & Deucalionis, ortam è Saxis. Eſt autem adoleſcens meam fidem ſequutus in hac profectione ſuſcipienda: nihil certi ei ſum pollicitus, ſed juſſi eum totam rem fidei & humanitati tuæ committere. Curabis igitur ut & victum habeat, & præterea aliquid mercedis. Neminem tam procul mitterem ad incertam conditionem, niſi tua hoc fretus humanitate ſumma facerem. Habebat hîc conditionem ſatis commodam, ſed ego autor fui ei præferendæ Vratiſlaviæ ac veſtræ conſuetudinis, huic alioqui non aſpernandæ conditioni. Totam rem tuæ fidei & humanitati, mi Heſſe, commendo. Quare dabis operam ne adoleſcens exiſtimet ſe à me deceptum eſſe, aut fruſtra me tibi tantum humanitatis tribuere. Quid gera-

tur in nostra Germania, perscriberem tibi copiosius si quid haberem explorati. Monasterium in VVestphalis scis obsidione premi. Tenetur enim ab Anabaptistis, qui inde cives saniores ejecerunt. Multi suspicantur Hessum & Bavaros moliri restitutionem Ducis VVirtebergii: sed adhuc quidem nihil moveri audio. Heri ex Francofurdia literas accepi, quæ tamen nondum habebant quidquam certius, quam quod modo narravi. Mitto tibi Buceri & Caroloſtadii literas, quas resignavi. Nam Bucerus mihi peramicus est, nec ego odiosè rixor cum eo. Benè vale. Postridie Paschatos 1534.

XVI.

S. D.

COmmendavi tibi ante biennium quendam typographum, sed hominem infelicem, qui propter paupertatem adornare officinam non potuit. Nunc alium commendo, civem nostrum, cui nomen est Hans VVeis, hominem modestum, tranquillum & probum. Novi enim ejus mores jam multos annos, & affert istuc à Senatu nostro testimonium suorum morum. Nec quicquam petit à vobis immoderatum. Si potest impetrare habitationem gratuitam, & aliquid viatici ad transferendam istinc officinam erit contentus. Eleemosynam benè locatam existimes

ſtimes, quidquid in hunc contuleris. Habet conjugem & liberos, & eſt civis non, ut ille Homericus, μαργίτης plane iners: Habet uſum non contemnendum bombardarum, eamque ob cauſam fuit hic carus civitati, ſed cum tam multos typographos hic habeamus, exiſtimavit ſe apud vos commodius futurum eſſe. Quæſo te, ut eum benignè, quantum ſine tuo incommodo potes, juves. Poterit enim ſcholis eſſe utilis, & non erit oneri civitati. Mitto tibi Galli ſcriptum ad Principes à nobis transfuſum in linguam Germanicam, πάνυ κελτικά, *plane Celtica*, plenum κελτικῆς τυφομανίας, *inſaniæ faſtuoſæ Celticæ*. Bene vale. D. Ambroſium Moibanum ac VVinglerum meis verbis ſalutato amanter & reverenter. 12. Iunij, 1535.

Novi nihil habebam.

XVII.

S. D.

ETſi vincis me aſſiduitate ſcribendi, tamen amore ſtudioq; mutuo paria tecum ſemper facturum me eſſe ſcito. Quare te rogo, ut boni conſulas quod interdum non reſpondeo literis tuis, idque condones occupationibus his, in quibus verſari me non ignoras. Tu interim gratiſſimum mihi feceris, ſi præſertim de veſtratibus rebus ſæpiſſime mihi ſcripſeris. Conventus nunc agitur Principum noſtro-

rum, in quo deliberatur de Synodo, quæ etiamsi non esset futura, tamen nostris prospiciendum est, ne imparati opprimantur. Adsunt Lutherus, D. Osiander, & plurimi alii ex civitatibus concionatores. Adhuc initia sunt conventus. Ideo de rebus ipsis nondum scribo, de quibus post καταστροφήν, *conversionem* aliquid à me expectabis. Benè vale. D. Andream Sarmatam, virum optimum & egregia humanitate ac doctrina præditum tibi commendo.

XVIII.

S D.

GRatularer tibi mandatam esse οἰκονομίαν, *dispensationem, administrationem* Ecclesiasticam, nisi intelligerem provinciam te gerere plenam periculi. Quare magis adhortor, ut cum alias artes Satanæ caveas, tum potissimum excubes, ne te favor multitudinis, & plausus vulgi, qui jam aliquot, me spectante, concionatores fefellit, evertat. Mihi crede, nihil est difficilius, quam multitudinis studium vincere. Spero autem tibi adfuturum Dominum, qui gubernet te suo spiritu καὶ ὁδηγήσῃ, *dux viæ sit, ducat.* De studiis fratris tui scribet ejus Præceptor. Ego nuper cum censerem scholasticos, injunxi ut Epistolam mihi scriberet, periculum de ejus ingenio & studiis facturo. Fecit adolescens, & probabilem scripsit:

psit: eram missurus, si superesset adhuc. Hæc ideo scribo, ut tu eum cohortere ut strenuè pergat, nec putes perire impensam atque operas. Nos tui sumus. ἔρρωσο, *Vale.* Die XVIII. Novembr.

XIX.

S. D.

NEque otii multum erat, cum hic juvenis pararet abitionem, neque dubitabam quin ipse copiosius expositurus esset omnia tibi nostra, quam ego vel longa Epistola possem. Hæc in causa fuêre, cur brevius hoc tempore ad te scripserim. Quanquam non opinor tibi parum adeo frontis esse, ut longiores à nobis petas, qui toto hoc semestri planè mutus es. De Missa deque nescio quibus aliis, quæ sub ipsum Pascha rogaras per literas, tum satis copiosè respondimus, & Noster ille, & ego. Videbaris mihi nimis anxiè & superstitiosè metuere, ne quid in ceremonia secus fieret, ac debet. Tu vero nescis quibus dictum sit: *Omnia munda mundis*, & *regnum Dei inter vos est.* Sic ineptierunt & Bohemi, & insaniunt plerique è Schola nostra, ubi aliò venerint, quiritantes continuò de mutandis Ceremoniis. ἡ δὲ τοῦ πνεύματος δικαιοσύνη, *justitiam Spiritus* ne attingunt quidem. Deum immortalem! quam prudenter sancitum est μὴ νεόφυτον, *ne novitiũ seu recentur plantatum scil. rebus præficias:*

præficias: Sec hæc ſibi dici neſciunt noſtri, Vale.

XX.

S. D.

ET ego te, mi Heſſe, oro, ut boni conſulas, quod in hoc vulgari officio ſcribendi non ſatis ſedulus ſum. Impedior enim ut ſcis non ſolum occupationibus, ſed etiam curis miſerrimis quæ meum animum perpetua quadam carnificina exercent. Quis enim poteſt æquo animo has Eccleſiarum diſſipationes, τὴν τῶν διδασκάλων πάθη, *Doctorum affectus*, videre? Cæterum te ſic amo, mi Heſſe, ut te facilè inter præcipuos amicos ponam. Hoc volo his meis literis teſtatum eſſe. Tuæ literæ de Pædagogo τῶν πατριαρχῶν, *patriarcharum* miſſæ mihi fuêre è Lipſia. Itaque egi mox cum nonnullis, quorum tamen expectare neminem properans nuncius potuit, verum efficiam Deo volente, ut brevi aliquis ad te idoneus homo proficiſcatur. Tuam ea in re fidem ſequor ipſe, & ſequi jubebo, quemcunque miſero. Expectabis igitur à me aliquem brevi ad te iſtuc venturum. De rebus Germanicis quod ſcribam, nihil admodum habeo. Nam adhuc quidem tranquillitas eſt: ſed reſtitutio Ducis VVirtenbergenſis, ut ego quidem ſuſpicor, brevi magnos motus pariet. Quod ſi fiet, etiam τὰ ἐκκλησιαστικὰ pertinebit res.

Non-

Nondum habeo quidquam certi: Sed divinationes meas nosti. brevi erit mirabilis ἐπίτασις, *intensio, exacerbatio rerum.* Benè vale. Dominica Reminiscere.

XXI.

S. D.

INtelligo Isaaci patrem queri de Sebastiano Pædagogo filii. Verum mihi credas affirmanti, nec assiduitatem nec diligentiam unquam Sebastiano defuisse. Tanta est autem contumacia ingenii in puero, ut regi, ac coërceri se non patiatur. Ac ferocem antea tantum esse putavi, nunc comperi etiam astutum esse, ac nos planè deridere, perinde ut Sebastianum exagitavit, affixis in pariete maledicis scriptis, & aliis contumeliis. Commendavi eum viro docto, & hujus graviratem & assiduitatem probo. Apud hunc, ut habitaret hac hyeme, volui ne evagaretur noctu. Nam apud Sebastianum negabat se mansurum esse. Et ego gaudebam eum committi duriori gubernatori. Promittit se obtemperaturum esse. Nunc cum instat tempus, mutat consilium, rursus vult apud Sebastianum esse, non aliam ob causam, nisi, ut sit liberior, vel potius, ut nos ludos & delicias faciat. Nisi patri viro optimo parcendum esse ducerem, mihi crede, hanc petulantiam durioribus exemplis punirem. Minus ei succenserem, si ingenio infirmo esset,

nunc

nunc video Alcibiadeam naturam esse: in qua cum ferocia ac petulantia conjuncta est astutia. Hactenus in studiis ita versatus est, ut aliquam nobis spem faceret, si mores regi possent. Nam ea quæ tradit Præceptor, discit, & rectè recitat, cum Præceptor reposcit. In sua habitatione tantisper manet, dum illa didicit aut scripsit quæ sunt proposita, postea abit contempto Sebastiani imperio. Quid facturus sit deinceps, si petulantia confirmabitur ætate, facilè judicari potest. Mitto tibi exemplum literarum, quas heri ad Præceptorem, quem audit, scripsit, plenas ironiarum, quæ mihi profecto stomachum moverunt. Censeo igitur puerum, aut revocandum esse, aut patris autoritate duriori gubernatori committendum, cui ita sciat se oportere obedire, ut patris imperiis. Si habet patrem patronum adversus gubernatores, quis unquam reget eum, etsi ego quidem patris naturam non noui? Velim igitur excuses Sebastianum, & patri meum consilium exponas. Bene vale. 20. die Sept. Anno 1538.

XXII.

S. D.

QUod interdum nobis aliquid de Pannonicis rebus significas, valde delector officio tuo, tibique gratiam habeo. Quis enim non doleat illud regnum, quod tanquam vallum

lum Christianarum gentium diu fuisse constat, domestico scelere & privata ambitione jam dilacerari. Quare oremus Deum, ut Regum mentes flectat ad communem salutem, & pacem Pannoniæ restituat. De puero Isaacio ideo tardius rescribo, quia variè experiri ejus ingenium antea volui; cum huc veniisset, præscripsi ei ordinem studiorum, flagitavi & inspexi ipse interdum ejus scripta, & audivi quid disceret. Sed contubernalis qui ei additus est, querebatur puerum admodum contumacem esse, mihique facile fidem faciebat. Tanta enim fuit pertinacia, ut cum non libebat respondere, staret mutus velut truncus, non metu, aut imbecillitate animi, sed mera pertinacia. Itaque à me sincerè castigatus est: Inii & hanc rationem, ut accederet unum ex Magistris in Collegio, qui honestiorum hominum liberos, æquales Isaacii docet. Est autem singularis in Magistro comitas & dexteritas, ut ingenium freni impatiens arte regat. Itaque huic obtemperat, & sic satis proficit: verum contubernalem suum leviter curat. Est omnino natura pueri, ut vox, gestus, frons testantur, Mavortia: & non valdè amans literarum. Quare etsi pueritiam imbui literis, & flecti & cicurari aliquantulum disciplina hac mitiori prodest, tamen arbitror patri deliberandum aliquando de transferendo hoc filio ad aliam quandam honestam vivendi rationem: qua de re iterum tamen

tamen scribam. inspecta pueri Genesi. Velim igitur mihi certè significari diem & horam nativitatis. Habes meum consilium, quod bona fide scripsi, id patri expones. Commemorabis autem hactenus puerum profecisse mediocriter. Revocavi enim eum ad Grammatices præcepta, & adegi ad scribendum. Dices etiam turpitudinem nullam in moribus esse. Hæ laudes veræ sunt, & sunt exponendæ patri, ne quid gravius suspicetur. Nihil enim reprehendo, nisi ferociam, quæ, ut ego sanè arbitror, non à pravitate aliqua naturæ oritur, sed ingenium est Achilleum. Interrogavi an malit aliud genus vitæ amplecti: sed ipse affirmat se malle in literis versari, quod mihi nondum persuadet. Sed tamen cicurari naturam literis prodest, ut de Alexandri ingenio Philippus pater dicebat. Habes omnia, quæ à me de Isaaco hoc quidem tempore scribi possunt. Sed expecto Genesin. Iterum indicta est Synodus, vocanturque omnes Reges & Principes Christiani nominis Vincentiam. Inter Gallum & Cæsarem nondum pax perfici potuit, & homines periti non magnam spem habent pacis inter hos duos Monarchas. Bene vale. Nonis Febr.

XXIII.

XXIII.

S. D.

HIc bonus vir Henrich Ottinger, Chalcographus est. Audivit experti officinam χαλκογραφικὴν in urbe vestra: Id quoquo modo se habet, te rogo ut eum adjuves pro tua summa humanitate erga bonos & pauperes. Nam hic vir bonus est, & tenuior, quam ut certare cum locupletioribus officinis potuerit in Magdeburg. ubi hactenus degit. Scis enim officinas tenuiores à locupletioribus opprimi. Amabo te juves hominem, quantum poteris. De Synodo scripsi nuper ad Ambrosium. Plena minarum postulata sunt, ut promittant Principes se approbaturos esse Synodi sententias, & coacturos armis ad officium, si qui dissentient. Parisiis Beda Natalis urbe pulsus est, cum aliis quibusdam Sycophantis, qui adversus quendam Gerardum furiosè vociferati sunt ac seditiosè quidem. Nunc Gerardus liberè docet Euangelium in ipsa Lutetia. Hæc certa sunt, & mihi ex Parisiis ab optimis viris diligenter perscripta. Bene vale.

XXIV.

S. D.

EXhibebit vobis Magister Johannes, civis vester, brevem quidem, sed tamen veram historiam nostri congressus in urbe Vangionum,

num, cum Eccio. Vbi edetur disputatio, leges res ipsas. Vtinam potuissemus pergere, ac de cæteris materiis differere. Nam hæc prima controversia de peccato in renatis, adhuc tenuior est. Sed hic congressus fuit eis προγύμνασμα *præludium* tale, ut non videantur rursus admissuri Disputationem publicam. De Conventu Ratisbonensi adhuc incerta res est. Nam & de loco ambigitur, aliqui Norimbergam, alii VVormatiam, anteferunt Ratisbonæ. Et Imperatorem Carolum adversa valetudo hactenus detinuit Spiræ & Edelbergæ. Deus gubernet & servet Ecclesiam filii sui Domini nostri Jesu Christi, qui pro nobis victima factus est. Minantur Ecclesiæ hinc Tyranni addicti impiis Pontificibus: illinc Turcica barbaries. Et exercent nos aliæ ærumnæ. Planè imago est temporis Macchabæorum. Ideo oremus Deum, ut nobis adsit. De rebus Turcicis ac Pannonicis quæso aliquid significate. Benè vale. Die meo natali, 16. Februarii, 1541. Saluta amanter meis verbis D. Ambrosium Moibanum. Mitto tibi sententias hic proximè disputatas, in quibus est VVormacienses causa.

Optimo Viro D. AMBROSIO MOIBANO *Doctori Theologiæ Vratisl.* S. D.

HIc tabellarius sanè civiliter fecit, qui hinc iter ad vos facturus admonuit me, ut ad te scribe-

scriberem. Quanquam enim nihil habebam, præter officii testificationem, quod scriberem, tamen ne per ἀπροσηγορίαν, *omissionem salutationis seu alloquii*, nostri memoriam effluere tibi patereris, dedi ei hoc Epistolium. Utinam feliciter doceretis & tu & Hessus noster. Nos hic sanè pro virili conamur, ut doceamus utilia, cum interim isti, qui de Sacramentis bellum moverunt, nihil agant aliud, nisi ut reddant homines quam maximè βεβήλους, *profanos*. Bellum horribile Diabolus hac æstate excitare conatus est: Sed manifestâ Dei præsentiâ tranquillitas nobis reddita & defensa est: Si liceret scribere omnia, diceres esse Historiam similimam liberationi Ezechiæ. Hæc ideo tibi significanda duxi, ut orationibus vestris nos adjuvaretis. Magno in periculo sumus. Sed Deus pater orphanorum, defendet, ut spero, nos. Vale. Postridie Calend. Augusti.

EIDEM.

S. D.

CUm acciperem literas tuas, dies jam aliquot periculosè ægrotabam, ideo non potui tibi tam copiosè respondere, quam & res poscebat, & tu verecundè flagitaras. Miror spargi famam de mea profectione ad Lignicium, quod ego nunquam somniavi, neque à

me quisquam postulavit, ut ego proficiscerer. Ac vide tuorum Silesiorum constantiam. Iusserunt conduci Professores, id fecimus: Nunc hîc hærent, nec à vestris accersuntur, videlicet utiliter occupatis disputatione de Eucharistia. Sensu communi carent, qui negant pronomen τοῦτο *hoc* ad panem pertinere. Sed tu multo rectius feceris, si & cum iis nihil rixeris, & publicè docendo, quantum possis, vites hanc controversiam, quæ prorsus nihil ædificat. Ego tuis Silesiis nihil respondi. Nemo enim flagitavit responsum: & rixari cum eis nolim, etiamsi mecum de suo negotio sint acturi. *Exitus acta probat*, inquit non vanus Poëta, neque dubito, quin & hujus negotii exitus declaraturus sit, quo spiritu agantur isti. Est apud vos Antonius Niger, quem cupiebam huc accersere: Sed impediit adhuc me fortuna. Tuum erat & Hessi juvare & literas & earum Professores isthic. Meis verbis saluta Nigrum & Hessum. Vale.

Τῷ Οὐιττερῷ τῷ θεοφιλεστάτῳ.

Εὐπράττειν.

Οἱ μὲν οὖν παλαιοὶ ἀρχὴν φιλίας τὴν ἔπαινον ἐποίησαν, ὅτι τῆς εὐνοίας σφραγίς τις, ἔπαινός ἐστι. διὸ καὶ σὺ ἡμᾶς ἀμετρίως ἐπαινεῖς. ἐγὼ δὲ σφραγίδα αὐτὸ κρίτον εὐνοίας ᾦμαι. οὐ τοὺς θεατρικοὺς ἐπαίνους καὶ εὐλογίας, ἀλλὰ καρδίαν Χριστιανὴν, καὶ ἀπέρπερον. Ὅπερ γὰρ ὁ μῶμος ἠβούλετο

λετο τεθυρομένας εἶναι τῶν ἀνθρώπων καρδίας, οὐ δοκιμάζω. οὐ γὰρ οἷόν τε Χριστιανῷ νοὶ περπερεύεσθαι, ἢ ἄλλο ἐν φρεσὶν, ἄλλο ἐν γλώττῃ ἔχειν. μᾶλλον γὰρ τῆς πρός με εὐνοίας, βάσανός ἐστιν ὁ σὸς τρόπος ἢ ἔπαινος. ἄρ' οὖν ταῦτας εὐλογίας, ὦ λῷστε, παραχώρει ἀπίστοις φιλίαις. ἡμεῖς καί σε καὶ τὸν Γραδούαλδον ἀνυποκρίτως φιλοῦμεν. ἔρρωσο. ἀπὸ Οὐιτεμβεργᾶς μηνὶ ἀπριλίῳ, αὐτοσχεδίως.

VERSIO LATINA,

VVITTERO *piissimo Deique amantissimo.*

BEne rem gerere. Antiqui quidem amicitiæ principium constituere laudem, quod ea benevolentiæ aliquod signaculum sit. Qua causa & tu nos immodicè laudas. Ego vero sigillum benevolentiæ reor, non laudes theatrales & depradicationes, sed cor Christianum à quo dolus omnis & malitia absit. Nam quod hominum cordibus januam, qua inspici possent, datam volebat Momus, non probo. Nec enim possibile Christianæ menti perperam agere aut fallere, aliudque imis sensibus, aliud ore tenere. Mihi vero tuæ erga me benevolentiæ potius argumentum sunt mores tui, quam laus. Quare laudes istas, Optime mi, relinque infidis amicitiis. Nos & te & Gradualdum sincere absque omni simulatione amamus. Vale. VVitenberga, mense Aprilio, ex tempore.

D. MICHAELI VITIGERO *suo in* Χριστῷ *fratri.*
S. D.

PLane hoc tempus id est, cum verbum Dei fit canticum oris sui auditoribus, quemadmodum Ezechiel scripsit, cum, ut tu quoque quereris, ii qui sibi Euangelicorum nomen arrogant, suis tantum cupiditatibus nomen Christianæ libertatis prætexunt. Satan hoc semen, hæc zizania spargit in agrum piorum, ut ab Euangelio imbecillas conscientias absterreat, nec video arceri quî possit, nisi Sanctorum oratione. In hoc igitur, mi Michaël, incumbamus, hoc agamus, ut assiduis precibus nequissimi spiritus consilia perturbemus. Est nobis, ut scis, non cum carne aut sanguine, sed cum Satana dimicandum. Quod instauras κατηχισμὸς tuos, *institutiones vivæ vocis*, probo. De superiore libro expectabo, quid fieri velis: Interea apud me tibi salvus erit. Offendebat in eo prolixitas, quod verebar, ne quos illa à lectione, ut sumus fastidiosi, absterreret. Itaque quantum potes brevitati stude, præsertim cum res Christiana possit paucis tradi. Et ferè fit, ut de Ceremoniis majore negotio, quam de ipsis Fidei dogmatibus disceptetur, & plus sit, ut Græci dicunt, περὶ ἔργων quam τῶν ἔργων, *eorum quæ præter rem, quam rei.* Vale in Christo. Witembergæ, Mense Novembr. Die 18. Saluta Gradualdum.

Ei-

EIDEM.

S. D.

GRatulor tibi, mi Michael, provinciam sanè piam, tametsi duram. Bone Deus, quanto satius est, versari in hoc Ecclesiastico munere, quam saginari inter belluas istas Christi hostes, quos si pietas, si Dei judicium, si respectus saltem publicæ honestatis commoveret, non sævirent tam crudeliter in professores quosdam doctrinę minimè malæ. Proinde opto tibi Christi Spiritum, ut fortiter & constanter pergas facere, quod facis. Nunc multi se *Lutherani nominis* titulo venditant ad vulgus, qui illius dissimilimi sunt, nec raro excitant seditiones ac tumultus perniciosissimos. His Lutherus ipse gravius succenset, quam vel ipsi Papæ. Quare optarim senibus & peritis, non neophytis committi Ecclesiasticum munus. Non dubito quin ita sis prædicaturus verbum Dei, ut ea tradas, non quæ quæstiones pariant, sed quæ ædificent conscientias pias. Id eò scribo, quia videris mihi nimis anxiè quædam proponere in Epistola ad me tua: Sed tamen de ea etiam quæstione per ocium longius scribam. Vale.

EIDEM.

QUem deposuisti apud me commentarium tuum, is adhuc penes me est, quod interim

rim ad te nec scribere commodè nec mittere licuerit codicem. Quo magis gaudeo à Moibano nostro oblatam esse scribendi occasionem. Est omnino labor tuus laude dignus, nec video qua in re potius operam ponat Christiano pectore præditus Sacerdos. sed ab editione me deterret magnitudo immodica operis. Novi enim quod sit hodie lectorum fastidium, præsertim cum & brevius tractari res possit & pleræque superstitiones jam sua sponte labi cœperint. Ferè eadem mecum ex tua sententia Hessus noster. Is me animavit ut liberius de hac re ad te scriberem. Nec dubito, quin tu candidissimè interpreteris, quæ à nobis scribuntur. Quare quicquid de opere statueris, fac ut sciam, nec tibi velim tantum laboris frustra insumptum esse. Diligi etiam poterit liber, modò expolitus, & succinctior prodeat in lucem. Audio variè tumultuari apud vos vulgus. Miseros nos! Quotus enim quisque est, qui non contemptu potius Ceremoniarum, quam pietatis studio affectuque vere Christiano pugnet? Sunt quos prophanum in Sacerdotes odium extimulat. Quare Ecclesiæ caussam Christo assiduis precibus commendemus. Gradualdum salutabis nostro nomine reverenter. Vale in Χριστῷ. Dominica Iubilate.

ALEX-

ALEXANDRO ALESIO, *Theologiæ D. Lipsiæ.*

S. D.

CUm Iulius nondum convocarit delectos ad colloquiū, nec ostenderit qua de re & quo ordine disseri velit, hactenus neq; publicè neque privatim convenimus. Ideo te nondum accersunt nostri. Video autem non ad alium conventū plures accessisse adversarios instructos sophistica, quam ad hunc. Belgæ enim attracti sunt, quorum sunt naturæ præstigiatrices. Itaque precor filium Dei, ut ipse sit & βραβευτὴς *remunerator* noster & σύμβουλος *consiliarius*, & tribuat nobis concordiam in nostro cœtu. Scribam ad te mox ubi initia actionum audivero. Benè & feliciter valete. Die nuptiarum filiæ tuæ, quæ ut sint faustæ & felices faciat Deus æternus pater Domini nostri Jesu Christi, humanæ naturæ conditor & servator, quem oro toto pectore, ut nos & nostra gubernet & servet. VVormatiæ. Anno 1557.

CASPARO CRUCIGERO, *amico suo.*

S. D.

NOn potuit Hermannus perpelli, ut ad vos commigraret. Quare alius tibi Collega quærendus fuit. Et cum ambiret etiam id muneris nostræ urbis Grammaticus, multa moverunt, ut eum putarem tibi adjungendum esse. Usum nonnullum docendi pueros habet, &

moleſtiam, inprimis elementis literarum tradendis videtur facilè ſuſcepturus. Novit & canere, quæ fere Hermanno defutura verebar. Id unum deſidero in eo, quod verſuum faciendorum non habet mediocrem uſum. Verum pollicetur in ea quoque re ſumptorum ſe operam, ut, quemadmodum plerique ſolemus, docendo diſcat. Ego te quoque, mi Caſpar, quantum poſſum adhortor, ut in eam exercitationem aliquid operæ colloces. Non alio genere ſcribendi, magis acuuntur puerorum ingenia, quam faciendis verſibus. Proficiſcitur itaque ad te noſtræ urbis Literator, ut tecum cum magiſtratu & Amſdorfio, de toto negotio colloquatur & paciſcatur. Ea re confecta reliquum erit ut bona fide ſuſceptam διοίκησιν *provinciam* adminiſtretis, plenam profecto negotii & periculi. Nam ſi quid in pueris inſtituendis ceſſatum fuerit, redit ad univerſam rempubl damnum: Propterea quod tales cives habent urbes, quales à nobis finguntur. Primum autem in ſchola videndum eſt nobis, ſi frequentior paulo fuerit, ut in claſſes diſtribuantur pueri, deinde ut Grammatica & Rhetorica ordine tradantur, & diligenter inculcentur rudi ætati. Sed de ea re aliàs collocuti ſumus. Vale. Saluta uxorem tuam. Poſtridie dominicæ Trinitatis.

Suo

Suo fratri CASPARO, σωροφόρῳ, ἢ μᾶλλον σωροφυγοῦντι, *Crucigero vel potius crucifugo Lipsiæ.*

S. D.

CAriſſ. frater. Poſt abitum tuum accepimus ab Helia noſtro totum novum Teſtamentum verſum εἰς τὴν ἐπιχώριον, *in vernaculum*, opus egregium & multis commentariis præferendum. Ei præmittere viſum eſt τοπογραφίαν *locorum deſcriptionem* terræ ſanctæ, ut vocant, quo planior lectio ſit. Scis quantum illa ἐπίσκεψις *inſpectio* commodi adferat. Et quia in Reinecci Antiquarii illius veſtri ſuppellectile audio eſſe quendam Romanum πίνακα *indicem*, *tabulam* Judææ egregium & emendatum, quæſo per Chriſtum, ſi fieri poteſt, impetres, vel per Caſpari noſtri operam, vel aliorum amicorum, ut aut precario utendum mittant aut vendant. Et ſi dignum videtur opus, vel à ſenatu Univerſitatis noſtræ velim extorqueri pecuniam, quo emi poſſit. Vale & diligentiam hac in re tuam, vide ne deſideremus. Saluta noſtros omnes.

Venerandis Viris, eruditione & virtute præſtantibus Paſtoribus, docentibus vocem Euangelii incorruptam in finibus Bohemiæ & Luſatiæ, amicis ſuis.

VEnerandi Viri & cariſſimi fratres. Vtrumque prædixit vox divina, in hac languida & delira mundi ſenecta & confuſiones generis

humani majores fore, quam antea, & tamen filium Dei inter Imperiorum ruinas, donec mortuos in vitam revocabit, collecturum esse æternam Ecclesiam voce Euangelii & non aliter. Hæc ideo prædicta sunt, ut & præparemus animos ad ferendas communes ærumnas, & non abjiciamus doctrinæ propagationem, cum hic labor non sit irritus. Intelleximus autem magno cum dolore, odio puræ doctrinæ pastores istic ex Ecclesiis ejici, & vagari jam in exiliis viros honestos & innocentes, & pias conjuges eorum & parvos greges puerorum. Hac in re & vestræ calamitatis causa & propter orbitatem Ecclesiarum vestrarum valde dolemus, & filium Dei, qui dixit, *non relinquam vos orphanos*, precamur, ut hæc mala leniat, & vobis omnibus opem ferat! Cum autem fontes consolationum vobis notos esse sciamus, brevius nunc ad vos scribimus, ac tantum vos hortamur, ut donec alloqui Ecclesias vestras potestis, eas confirmetis, ne propter vestram calamitatem de doctrina dubitent. Nihil efficacius erigit animos, quam ipsius doctrinæ intellectus. Fiat igitur illustris Anthitesis utriusque generis dogmatum. Papæ factio defendit multa manifesta idola: Invocationes mortuorum, & multas portentosas superstitiones, quæ indies oriuntur. Impiè transfert Cœnam Domini ad quæstum & horribili spectaculo in circumgestatione panem adorat, cum extra

insti-

institutum usum nihil habeat rationem Sacramenti. Tollit vocem Euangelii de vera pœnitentia, fingit stultas satisfactiones, & excruciat pias mentes carnificina enumerationis peccatorum, delet consolationem, quæ proponitur in agnitione filii Dei Domini nostri Jesu Christi; deniq; multos commentitios cultus propugnat. De tantis rebus cum dissensio sit, non existimet populus nos certamina non necessaria movere. Sæpe igitur repetatur summa veræ doctrinæ, & proponantur severissima dicta: *Fugite idola.* Item, *Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit.* Item, *Si quis dixerit blasphemiam adversus Spiritum sanctũ, non remittetur ei.* Hæc fulmina nihil movent hostes Euangelii, quorum multi scientes oppugnant veritatem. Interea blandiuntur sibi & prætextus fingunt. Astuti dissimulant se hoc agere, ut stabiliant Idola, dicunt se ordinem in Ecclesia tueri, non posse administrare Cœnam Domini tales, qui non sunt initiati ab his, qui titulum habent Episcoporum. Item, qui sunt mariti. Etsi hi prætextus per se sunt injusti, tamen hoc injustius est, quod hac ementita specie struunt majus malum, scilicet oppressionem veræ doctrinæ & veræ invocationis. De his insidiis populus monendus est; Sed de ipsis prætextibus dicamus: Manifesta tyrannis est, quod nolunt maritos administrare Cœnam Domini, cum certissimum sit, in Eccle-

Ecclesia veteri maritos eo ministerio functos esse. Et adeo perspicuè à multis defensum est conjugium Sacerdotum, ut hîc non sit opus longa disputatione. Et cum Paulus dicat, prohibitionem conjugii oriri à Diabolis, vos alienos esse à Diabolicis consiliis lætamini, & non dubitate, Deum defensorem fore conjugii vestri contra Diabolos. Alterum prætextum de ordinatione petenda ab Episcopis, manifestè refutat Paulus, inquiens: *Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.* Non igitur peti ordinationis ritus ab iis potest, qui quanquam Episcoporum titulo & ordinariæ successionis, ut nominant, prærogativa dominantur, tamen palàm sunt hostes Euangelii, & idola defendunt. Tantum cœtus veram doctrinam sonans Ecclesia est, & in hac ministerium est Euangelii, ut ad Ephesios scriptum est. In hac verè sunt claves regni cælorum, quas sic nominat filius Dei. Quare & in eo ipso cœtu jus est vocandi & ordinandi ministros Evangelii, quia hostes Euangelii vitare necesse est, tanquam anathemata. Deinde etiamsi peteremus ab eis ritum ordinationis, non tribuerent, nisi obligarent nos ad abjiciendam veram doctrinam, & alia impia vincula nobis injicerent. Nec ideo Ecclesiæ veræ sine pastoribus, sine clavibus, sine voce Euangelii, sine remissione peccatorum esse debent, quia tyrannis Episcoporum idoneos ministros pellit, aut præfi-

cere

eere recusat. Nec turbamus ordinem, eo quod à tyrannis, qui sunt extra Ecclesiam, non petimus ministros Euangelii. Nam ordinis confusio esset à lupis pastores petere. Semper hoc jus veræ Ecclesiæ fuit vocare, & eligere ex suo cœtu idoneos Euangelii ministros, ut expressè scribit Synodus Nicæna; & electos judicio Ecclesiæ ac exploratos confirmabant non Ethnici tyranni, sed illi qui præerant in Orthodoxis Ecclesiis. Hic mos vetus & pius cum apud nos servetur, falsissimum crimen est, qui dicunt à vobis ordinem turbari. Cum igitur & ad vestram consolationem & ad confirmandos auditores vestros prosit considerare, quas ob causas in vos sævitia exerceatur, & quibus prætextibus id fiat; universum doctrinæ corpus & vobis & populo sæpè proponite. Vos ipsi ærumnas majore animorum tranquillitate perferetis, cum cogitabitis in vos injustam sævitiam exerceri non propter privatas causas, sed quia doctrinam veram & necessariam de Deo piè vocati ab Ecclesiis docuistis, & quæri falsos prætextus ad eam opprimendam. Multos etiam in populo consideratio harum causarum confirmabit, & ut doctrinam constanter amplectantur, & Ecclesias fovere & tueri studeant. Hæc ad vos breviter scripsimus, ut affici nos & vestro & Ecclesiarum vestrarum dolore intelligeretis, & oramus filium Dei, ut cum sit λόγος æterni Patris, servet in multis regio-

regionibus Euangelii ministerium, & nos & vos doceat, gubernet & protegat. Ubi etiam hospitalibus officiis lenire vobis exilii ærumnas poterimus, non defuturæ sunt vobis hæ vicinarum regionum Ecclesiæ. Benè valete. Idibus Febr. 1555.

Reverendis & Clarissimis Viris, eruditione & virtute præstantibus, Domino Decano & Doctoribus Collegii facultatis Theologicæ in Academia Lipsica, suis amicis.

S. D.

AMplissimi Viri. Iturus ad agonem suum, filius Dei non solum præcipit suo collegio de tuenda concordia, sed etiam ardentissimè orat æternum Patrem, ut ipse consensum in mentibus docentium tueatur, cum ait, *ut ipsi in nobis unum sint.* Vult esse inter sese devinctos, sed ita ut primum Deo copulati sint veræ doctrinæ professione. Hanc concordiam inter nos summa cura & diligentia tueamur, & communi animo eos, qui doctrinæ corruptelas spargunt, reprimamus. Quare vos oro, ut hanc meam Epistolam boni consulatis, nec me arbitremini in aliena republica velle πολυπραγμονεῖν *alienis rebus ad me nil spectantibus me ingerere*, sed simplici & candido animo vicinos de re necessaria admonere. Audio in Ecclesia montis Mariani certamen ortum esse de hac propositione: Sitne divina natura in Christo passa? Et dicitur Martinus Giber-

Gibertus homo Gallus impudenter vociferari Divinitatem passam esse. Fortassis aliquid certaminis est de formis loquendi & *ἰδιωμάτων proprietatum* communicatione, ut vocant Scholæ. Cum autem Academiis præcipuè mandata sit doctrinæ inspectio, duxi ad vos scribendum esse, vosque adhortor, ut aut ipsi Concionatores montis Mariani ad vos accersitos audiatis, aut cognitionem vicinis Inspectoribus ejus loci mandetis. Mihi quidem controversiam ipsam, & hominis Galli ingenium, qui antea quoque in eadem Ecclesia movit certamen non necessarium de vocatione, considerandi, res non negligenda videtur. Magna est ingeniorum petulantia & levitas in multis locis, quæ diligentia gubernatorum cohercenda est, ne lux veritatis in Ecclesia extinguatur. Benè valete Viri doctissimi & prudentissimi. In feriis Paschatos anni 1544. à primo Paschate, quod celebratum est discessuris Israelitis ex Ægypto, Anno 3055.

Reverendis Viris, eruditione & virtute præstantibus Pastoribus & doctoribus Ecclesiæ Dei in inclita urbe Argentorati, amicis suis reverenter colendis.

S. D.

REverendi & doctissimi Viri; Utrumque prædixit filius Dei, & futuras esse majores in hac languida & delira mundi senecta dissipatio-

pationes, quam fuerunt antea, & tamen se cœtum aliquem servaturum esse in genere humano, qui vera sit Ecclesia, & quidem docet hunc cœtum oculis, auribus, mente, voce doctrinæ & invocatione à ceteris gentibus discerni posse, in quo videlicet vox Euangelii sonat incorrupta & vera Dei invocatio sit: Vult etiam nos ipsos hujus cœtus commixtionem omnibus modis tueri. Quare quod nobis deliberationes vestras significatis, piè facitis & vobis gratias agimus. Exposuit enim nobis Vir doctissimus & integerrimus Dn. Doctor Joannes Marbachius vestra consilia plena prudentiæ & fidei, vicissim autem & nostras & vicinorum quorundam deliberationes recitabit, quas quidem cum vestris congruere judicamus. Non existimamus gubernatores repugnaturos esse voluntati Imperatoris, qui jubet, ut suarum Ecclesiarum doctrinam in Synodo exponant. Etsi igitur multi, cogitantes quantum sit periculum, contendunt, nequaquam adeundam esse Synodum, tamen si missi fuerimus, & in illo consessu volet nos audire Imperator, non defugere confessionem possumus. Erit autem & honestius & Ecclesiis hoc tempore & apud posteritatem utilius, unam esse piè consentientem vocem confessionis plurimorum. Hac tota de re nostros sermones & deliberationes vobis copiosius exponet doctor Ioannes. Oramus autem filium Dei Dominum

minum nostrum Iesum Christum, qui verè sibi æternam Ecclesiam colligit in genere humano, ut Ecclesias nostras Spiritu suo sancto gubernet & custodiat, & faciat ut verè unum simus in ipso. Benè & fæliciter valete. Die 24. Aprilis, anno 1551. Lipsiæ.

Philippus Melanchthon voce Theologorum in utraque Academia Lipsensi & VVittenbergica.

Reverendo viro, eruditione & virtute præstanti D. N. PFAUSERO, *docenti Euangelium fideliter Viennæ in Austria.*

S. D.

REverende vir & carissime frater. Non dubito, quin libenter opem feras viris doctis & piis, qui propter confessionem veritatis affliguntur. Quare tibi hunc Lælium Sozinum, filium præstantissimi Iurisconsulti Mariani Sozini, qui diu Bononiæ præcipuam autoritatem inter Iuris interpretes habuit, commendo. Literas ei ad inclytum Regem Maximilianum dedi, in quibus nec injusta res petitur nec difficilis. Impediunt Lælium Inquisitores ne patrimonio frui possit. Cogitat igitur proficisci ad urbem Venetorum, ut ibi de patrimonio cum quibusdam paternis amicis agat. Ut autem ibi securus sit, petit se muniri Regis Maximiliani literis, quod eò velut Regis minister missus sit. Nec de integritate hu-

jus viri dubites, amplius triennio mecum familiariter vixit, fuitque mihi ejus consuetudo propter ipsius eruditionem, pietatem, prudentiam & integritatem in omni officio gratissima. Nec dubito futurum, ut, cum ejus sermones plenos eruditionis & prudentiæ & honestissimos mores consideraveris, libenter ei tuo judicio benefacturus sis. Est autem & industria & fides ejus talis, ut in legationibus & multis negotiis inclyto Regi usui esse possit. Nam & peregrinationes longinquas non reformidat, & multorum hominum in Italia notitiam habet. Oro igitur ut hunc Lælium inclyto Regi Maximiliano commendes. Bonis viris benefacere etiam publico statui prodest. Velim te etiam in hac re benevolentiam tuam erga me huic Lælio declarare. Benè & feliciter vale. In urbe Vangionum, Cal. Decemb. Anni 1557.

Ad amicum quendam consolatoria Epistola.

CLarissime Vir & carissime frater. Scio tibi viro sapienti & rectè invocanti Deum non deesse consolationem, quanquam & morbo corporis & animi doloribus propter horribiles in Ecclesia furores valde excruciaris. Scis enim velle Deum nos in ipso acquiescere, & ab eo auxilium & salutem petere & expectare etiam, cum omnes fluctus in nos irruunt.

Et

Et hujus suæ voluntatis testem & pignus filium misisse, qui ideo massam nostri generis induit, ut nos velut surculos sibi insertos servet. Affirmat etiam Deus se in afflictis & mœstis habitare. Erige igitur animum cogitatione præsentis Dei & auxilii ipsius, & repugnabis morbo, non solum remediis, sed etiam sapientia & invocatione Dei. Ubicunque mihi Deus hospitium præbebit mecum vivere poteris, quamdiu Deus concedet. Hodie me accusabunt defensores τῆς ἀποδημίας. Orate filium Dei, ut me gubernet. Hanc Epistolam seni Scoto tradidi, qui etiam exulat propter veræ doctrinæ studium, & est miserabilius ejus exilium propter senectam. Nomen est ei Linius, vobis eum commendo, & oro Deum æternum patrem Domini nostri Jesu Christi, conditorem generis humani, verè colligentem æternam Ecclesiam voce Euangelii, ut tibi vires animi & corporis conservet. Benè vale. Salutem vobis omnibus opto & nominatim Alexandro & Medico ἀσθενοῦντι. Die 5. Septembris.

Ad JOANNEM BRENTIVM *Theologum & Pastorem Hallensem Epistola.*

I.

S. D.

TUam epistolam longiusculam accepi, quæ fuit mihi jucundissima, teque oro, ut sæ-

pè ac multum scribas. De fide, teneo quid te exerceat. Tu adhuc hæres in Augustini imaginatione, qui eò pervenit, ut neget rationis justitiam coram Deo reputari pro justitia, & rectè sentit. Deinde imaginatur nos justos reputari propter hanc impletionem legis, quam efficit in nobis Spiritus sanctus. Sic tu imaginaris fide justificari homines, quia fide accipiant Spiritum sanctum, ut postea justi esse possimus impletione legis, quam efficit Spiritus Sanctus. Hæc imaginatio collocat justitiam in nostra impletione, in nostra mundicie seu perfectione, etsi fidem sequi debet hæc renovatio. Sed tu rejice oculos ab ipsa renovatione, & à lege in totum ad promissionem & Christum, & sentias, quod propter Christum justi, hoc est, accepti coram Deo simus & pacem conscientiæ inveniamus, non propter illam renovationem. Nam hæc ipsa novitas non sufficit. Ideo sola fide sumus justi, non quia sit radix, ut tu scribis, sed quia apprehendit Christum, propter quem sumus accepti, qualis qualis sit ista novitas, etsi necessario sequi debet, sed non pacificat conscientiam. Ideo non dilectio, quæ est impletio legis, justificat, sed sola fides, non quia est perfectio quædam in nobis, sed tantum quia apprehendit Christum justi sumus, non propter legis impletionem, non propter novitatem nostram, etsi sint dona Spiritus sancti, sed

propter

propter Christum, & hunc tantum fide apprehendimus. Augustinus non satisfacit Pauli sententiæ, etsi propius accedit, quam Scholastici. Et ego cito Augustinum quasi prorsus ὁμόψηφον *consentientem*, propter publicam de eo persuasionem, cum tamen non satis explicet fidei justitiam. Crede mihi, mi Brenti, magna & obscura controversia est de justitia fidei, quam tamen ita rectè intelliges, si in totum removeris oculos à lege & imaginatione Augustini de impletione legis, & defixeris animum prorsus in gratuita promissione, ut sentias, quod propter promissionem & propter Christum justi, hoc est, accepti simus & pacem inveniamus. Hæc sententia est vera & illustrat gloriam Christi, & mirificè erigit conscientias. Ego conatus sum eam in Apologia explicare, sed ibi propter adversariorum calumnias non sic loqui licet, ut nunc tecum loquor. Etsi reipsa idem dico. Quando haberet conscientia pacem & certam spem, si deberet sentire, quod tunc demum justi reputemur, cum illa novitas in nobis perfecta esset? quid hoc est aliud, quam ex lege, non ex promissione gratuita justificari? In disputatione illa dixi, quod tribuere justificationem dilectioni, sit tribuere justificationem nostro operi, ibi intelligo opus factum à Spiritu sancto in nobis. Fides enim justificat, non quia est novum opus Spiritus sancti in nobis, sed

quia apprehendit Christum, propter quem sumus accepti, non propter dona Spiritus sancti in nobis. Si cogitabis animum revocandum esse ab Augustini imaginatione, facilè intelliges causam, & spero te ex Apologia nostra aliquo modo adjuvari, etsi de tantis rebus timidè loquar, quæ tamen non intelliguntur nisi in certaminibus conscientiæ. Populus omnino audire debet prædicationem legis & pœnitentiæ. Sed interim hæc vera Euangelii sententia non est prætereunda. Quæso te, ut rescribas, & de hac epistola & de Apologia tuum judicium, & significes, an nunc tibi satisfactum sit in hac epistola de tua quæstione. Benè vale.

II.

S. D.

ETsi non habebam hoc tempore ocium scribendi, & obrutus eram summis animi corporisque doloribus, tamen has ad te literas dedi, ut te certiorem redderem de illa nostra disputatione, quam cutæ nobis esse decet. Placuit & Luthero & mihi tua Epistola, visusque es rectè & sentire & loqui. Et adhortor te, ut causam urgeas in Ecclesia, videlicet, nos non propter ullam nostram mundiciem reputari justos, hoc est acceptos Deo, sed propter Christum, etsi necesse est sequi renovationem, accepto Spiritu sancto. Quidam mendicus

dicus ſacerdos voluit hic tuum libellum de Turcis edere, hunc ego mutavi pluſquam dimidia operis parte tuo nomine. Feci id noſtra fretus amicitia, & ſpero te probaturum eſſe. Benè vale & cito reſcribe. Freytags poſt Jacobi.

III.

S. D.

NOn potui facere, quin ad te literas darem, præſertim tam idoneum tabellarium nactus, etſi nihil habebam quod ſcriberem; Nam publica omnia, quæ quidem expetis ſcire, noſſe te arbitror, de actis Suinfordenſibus, de expectatione Conventus Norinbergenſis. Video tot prophana negotia admiſceri Euangelio, & prætextu religionis cauſas ſuſcipi, ut nihil aliud dicam, longiſſimè diſtantes à controverſiis Eccleſiaſticis, ut verear ἐπίτασιν *exacerbationem* gravem fore: Deus det nobis κατασροφὴν *converſionem* placidam. Audi mirum & plane Pontificium στρατήγημα, *aſtutum conſilium ad hoſtis nocendum.* Papam dicunt polliceri Gallo, ſe electionem Ferdinandi improbaturum eſſe, & alia in hanc ſententiam multa. Omnino ſic exiſtimo, & videntur id quædam vaticinia ſignificare, Pontificem Romanum nondum defunctum eſſe bellis Cæſarianis, ſed habiturum inſuper alias Tragœdias. Mitto tibi V. τῶν ἠθικῶν *lib.* 5. *Ethicorum* à me verſum, quem

volo te interdum legere, ac mihi significare, utrum satis dilucidè videatur conversus. Benè vale, die Pentecostes.

IV.

S. D.

CHristus benedicat tuis nuptiis, & universum curriculum vitæ tuæ ac conjugis fortunet. Lætissimum de tuis nuptiis somnium mihi oblatum est, antequam de ea re quidquam audissem, quod quale fuerit scribam aliâs. Ego retexo Apologiam & edetur longè auctior, & melius munita. Nam hic locus, quare doceamus fide, non dilectione justificari homines copiosè tractatur, quod propter propitiatorem Christum necesse sit sentire, quod fide justificemur & quod illa justificatio dilectionis, sit justificatio legis, non Euangelii. Euangelium aliam justificationem proponit, quam lex. Ubi absolvero mittam, & mittam simul nuptiale munus. Nunc enim neque scribere plura potui, neque alia quæ volebam mittere. Te oro ut sæpè scribas. Benè vale.

V.

S. D.

QUanquam jam expectabam tuas literas, tamen ut intelligeres memoriam tui assiduo mihi obversari, dedi & huic nuncio literas, teque rogo, ut per eum respondeas & de dispu-

disputatione, quam proximè perscripsi de justificatione, & de Apologia judicium tuum perscribas. Nunc enim recuditur Apologia, & ego studeo reddere illustriora quædam in loco justificationis. Omnino magna causa est, in qua diligenter elaborandum nobis est, ut amplificetur gloria Christi. Et hanc gratiam adversariis debemus, quod cogunt nos hanc partem doctrinæ ἀναζωπυροῦν, *suscitare*, quæ inter alias leviores rixas penè jam conticuerat. Amabo te etiam atque etiam, respondeas per hunc γραμματοφόρον, *literarum latorem*, quem tibi commendo: valdè mihi gratum feceris, si ei dederis aliquem libellum excudendum. Ita eadem opera & de Republ. & de amicis bene mereri poteris. Uxori tuæ honestissimæ fœminæ meis verbis salutem dicito, cui adhuc debeo munus nuptiale, sed liberabo brevi meam fidem. Gallus respondet nostris Principibus benignissimè, significans se quoque optare Synodum, in qua liberè sententiæ dici queant, nec ante Synodum contra nos arma sumpturum esse. Benè vale, Mittwochs post Trinitatem.

VI.

S. D.

IN Serveto multæ notæ comparent fanatici spiritus. Nam de justificatione vides eum deridere doctrinam fidei, neque aliud doce-

re, quam Augustini qualitatem. De discrimine veteris & novi Testamenti apertè delirat, cum Prophetis adimit Spiritum sanctum. At Petrus inquit de Prophetis, τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ. Περὶ τοῦ λόγου; εἰ ἔστιν ὑπόστασις, *Spiritus Christi qui in ipsis est. De Verbo, an sit substantia*, injuriam facit Tertulliano, &, ut mihi videtur, etiam Irenæo, diligenter enim horum inquisivi sententias. Sed non dubito, quin paulo post magnæ de hac re controversiæ exorituræ sint. Etsi autem sunt pleraque, quæ jure reprehendi possunt, ἐν τοῖς σχολαστικοῖς διδασκάλοις, καὶ αὐτῶν πατρὶ, περὶ τῆς διχοτομήσεως τῶν δύο φύσεων ἐν Χριστῷ, *in scholasticis doctoribus, ipsorumque patre de divisione duarum in Christo naturarum*. Oportet enim statuere filium Dei naturalem humiliatum esse, tamen hoc mihi nequaquam placet, quod Servetus non facit Christum verè naturalem filium καὶ γνήσιον *genuinum* Dei, hoc est, habentem σωματικῶς *corporaliter* aliquid substantiæ Dei. Hoc est illius controversiæ caput καὶ σύνεχον, *summa*. Si enim habet Christus aliquid divinæ naturæ substantialiter, sicut necesse est, sequitur λόγον *Verbum* non significare tantum ipsum patrem cogitantem, aut vocem transeuntem, sed aliquam in Christo manentem naturam. Hæc velim cogites, deque eis mihi rescribas. Prælego nunc iterum locos communes, ut novam editionem atque emendationem adornem, in his

his etiam hæc attigi. De Synodo scis quid Pontifex petat, ut prius promittant Principes se ipsius sententiam approbaturos esse, & armis ad officium coacturos si quis dissentiat; & pollicetur se habiturum Synodum usitato more. Bene vale. 1533. mense Julio.

VII.

S. D.

DE meritis Christi longè aliter se habet res. Alii sancti habent peccatum, quod impedit perfectionem operum, etiamsi plura sunt; Christus perfectè implet legem, etiamsi opera haberet pauciora. Ideo necesse est meritum Christi majus esse. Sunt & alia dissimilia. Quare illa tua objectio non tollit merita Sanctorum. Tu subtiliter & procul ex prædestinatione colligis cuilibet suum gradum distributum esse, & rectè ratiocinaris. Sed ego in tota Apologia fugi illam longam & inexplicabilem disputationem de prædestinatione. Ubique sic loquor, quasi prædestinatio sequatur nostram fidem & opera. Ac facio hoc certo consilio: Non enim volo conscientias perturbare illis inexplicabilibus labyrinthis. Ideo ita constituo, homines acceptos esse propter Christum, fide, hoc est autem, esse justos. Deinde accedit legis impletio, quæ habet sua præmia. Justitia autem, hoc est acceptatio simul habet vitam æternam, & fides sola vivificat,

ficat, cum pacificat cor. hæc sunt plana & facilia intellectu, quæ utrum tibi satisfaciant, velim te quam primum mihi significare. Scribam enim prolixius aliâs, si voles. Nunc eram occupatior, quam ut multa scribere possem. Hoc te oro, ut mihi mittas prognostica tui Astrologi Hallensis, etiam Hasfurdi, de anno 1537. & de Cometa, gratius hac re mihi nihil facere potes, mittes autem Ioachimo. Benè vale, postridie Michaelis.

VIII.

S. D.

CUm Smalcius in patriam revocatus esset, commendavimus tuum fratrem, adolescentem meo judicio plenum humanitatis, cuidam Magistro conterraneo nostro, Badensi. Viro optimo & amantissimo tui, cujus doctrinam & fidem, ut probari nos scias, docet idem Pontani Cancellarii nostri, quem nosti, filium optimæ spei puerum. Et tu licet me rideas tanquam φίλαυτον, *amantem mei ipsius*, tamen seriò velim ita me sentire existimes, nullis tribuo plus humanitatis, quam nostris conterraneis. Hæc scripsi pluribus verbis, ut intelligas mihi fratrem tuum curæ esse. Exhibuit mihi nuper scriptum πεζὸν *pedestre*, *prosa scriptum*, sanè, sed in quo agnoscas ingenii humanitatem. Iussi ut mihi frequentius exhibeat. Sed audies omnia ex ipso Smalcio.

περὶ

περὶ ἐκκλησιαστικῶν *de rebus Ecclesiæ* nihil quod scribam habeo. Verum brevi fortassis colloquemur. Multa enim sunt, de quibus necesse est, me tecum agere coràm. Sed hoc aliàs. Amabo te scribe mihi quamprimum quidquid habetis de exitu conventus Suevici, de negotio Wirtenbergensi, nam ea res haud dubiè magnos motus excitabit. Sentio adversarios nostros magni quiddam moliri, Christus respiciat. Bene vale. 20, Januarii. 1534.

IX.

S. D.

DIutius opinione mea hæsi Tubingæ. Quare cum nunc comites mei properent, non potui ad te deflectere, cum quidem maximoperè tecum de plurimis rebus colloqui cuperem. Has autem literas in aula Illustrissimi Principis Ducis Wirtenbergensis reliqui, propterea quod, cummecum Illustrissimus Princeps de Academia Tubingensi locutus esset, cumque de te accersendo deliberasset, voluit ut ego quoque ad te scriberem, tibique statum Academiæ describerem, ut intelligeres, quam sit necesse te Ecclesiæ & Scholæ in eo loco opem ferre. Scribet autem ad te, ut arbitror, etiam ipse Princeps, sed voluit meas literas uberiores esse. Itaque initio summam deliberationis nostræ tibi exponam. Nihil opus est commemorare qualibus usi sint consiliis primum

primum Grynæus & alii, qui ad Academiam constituendam adhibiti sunt. Dicam tantum de præsenti statu. Professores eloquentiæ & Philosophiæ aliquot ibi idoneos reperimus. Et jam de Micyllo attrahendo agimus, & Mathematicum quærimus. In Jure etsi est vir doctus & ingeniosus Sichardus, tamen huic adjungi aliquem similem oportet. In Theologicis Professoribus auctoritas & dexteritas, qua opus est in explicandis variis rebus, desideratur. Itaque non dubitamus quin Schola sit iterum futura frequentior, si Iurisconsultum nacti fuerimus idoneum & Professorem sacrarum literarum, cujus auctoritas & doctrina reddat Scholam illustriorem. Etsi autem sciebamus te ita addictum esse civibus tuis, ut deserere tuam Ecclesiam perpetuo non possis, tamen petit Illustrissimus Princeps Dux Wirtenbergensis, ut annum unum Tubingæ esse velis, donec interea quæratur idoneus alius Professor, & Schola melius audire incipiat. Habes quid petat Illustrissimus Princeps. Nunc expende quam magnæ & graves causæ sint, quæ te amantem Ecclesiæ Christi, patriæ, studiorum publicorum incitare debeant, quo minus recuses hoc officium Principi cupienti benè mereri de rebus communibus præstare. Ac primum non deterreant te ea quæ antea acta sunt. Mallem & ego in Ecclesia ordinanda securos fuisse formam quam tu delineasti. Nam

vidi

vidi modo. Princeps ipſe dicebat ſcire ſe Blareri nomen officere Scholæ. Non docet in Schola Blarerus. Ac facile tuus adventus multa ſanabit, ceſſurum etiam illum prorſus audio. Hæc præfatus ſum, quod ſciebam tibi in hac deliberatione has offenſiones obſtrepere, quas cum diſcuſſeris, animo velim proponas, quantum profuturus ſis Eccleſiæ in tota ditione: ſtudia reſtitues, Academiam rurſus excitabis, ſanabis horribiles offenſiones animorum in bona parte ditionis. Scio enim & verè comperi, expeti te votis civium & omnium ordinum. Intellexi enim eos vehementiſſimè abhorrere ab omnibus, quos ſuſpicantur cum Cinglio ſentire. Neſcio an in ea parte ditionis fueris: ſi fuiſſes, animadvertere ex vultu, ex ſermonibus, omnium honeſtorũ potuiſſes, quantopere deſiderentur doctores, qui Eccleſiæ melius conſulant. Quare te rogo propter Chriſtum, & propter ſalutem illarum Eccleſiarum, ut Tubingam ad tempus commigres. Debes hoc officium primum gloriæ Chriſti, deinde neceſſitati Eccleſiæ, poſtremo patriæ etiam, quam reſpicere te maximè oportet. Et ſcis, quantum referat conſervare ſtudia literarum, & optimarum artium. Si patieris ibi exſtingui doctrinæ ſtudia, quanta barbaries in bona parte Germaniæ futura eſt? Et barbariem comitantur confuſiones religionis ac dogmatum. Concedit enim locum inerudi-

tis

tis & fanaticis. Ipse intelligo, nisi tu adveneris, multos doctos viros, qui adhuc spe quadam hærent Tubingæ, inde decessuros esse. Vides negligi studia literarum in tota superiore Germaniæ parte. Quare opus est anniti, ut Schola Tubingensis restituatur, & ego quadam non vana conjectura moveor, ut existimem Scholam Tubingensem, si nunc fuerit rursus excitata, durabiliorem fore ceteris. Tantum boni poteris exiguo tempore efficere. Petitur enim unius usura anni. Ego concionari non possum. Quare minus possum prodesse tali loco. Nec tamen accurrere gravarer, si mihi Dux Saxoniæ, cui addictus sum, permitteret ut aliquandiu abesse possem à Schola nostra. Tu quæso in consilium adhibeas necessitatem publicam patriæ, & cum Principi, tum Academiæ Tubingensi respondeas. Scripsissem plura, nisi jam ad iter accinctus essem. Et non arbitrabar longiore disputatione opus esse apud te, qui ipse perspicis, quanta res agatur. Benè & feliciter vale. Pridie Lucæ, in aula Ducis Wirtenbergensis, 1536.

X.

S. D.

ETsi non dubito, quin magnopere gaudeas, te levatum esse cura gubernandæ Tubingensis Academiæ, tamen, si fieri potuisset, oprarim te diutius ibi retentum esse. Vnius anni

anni accessio egregiè confirmasset Academiæ statum. Nam hæc auspicia audio satis felicia esse. Sed hæc jam disputare serum est. Tuas literas avidè expecto, nam ex longo intervallo nihil scripsisti, quid causæ sit, miror. Nam occupationes nostras aliquanto plures & æruminosiores esse, quam tuas puto. Rogo autem te propter nostram amicitiam, ut mihi copiosè scribas & de tuis rebus & de Academiæ statu, deque tua spe. Respondimus illis de surrogando Cancellario, sed quid judicaturi sint de nostra responsione, ignoro. Fasciculos literarum à Ioachimo tibi missos aperui, quia nuncius ad te proficisci debuerat. Sed remitto omnia. Interea benè vale.

XI.

S. D.

NEc vero deesse nobis argumenta possunt ut per literas de studiis, aut de Repub. colloquamur. Quare equidem dabo literas omnibus quos resciero iter ad te facere. Petrus Bibliopola cupit edere meam alteram enarrationem ad Romanos etsi nihil prorsus à priori discrepat, dico eadem, ferè eodem modo. Nolo enim nova dogmata gignere, sed simplicem & consentientem doctrinam ac methodum tueor, quam in locis communinibus sequor & quam in Romanis prius secuutus sum. Etsi autem scio alios amare

φορτικώτερα, *horridiora*, in quibusdam materiis, in loco Prædestinationis, de Contingentia, & nescio quibus aliis, tamen hæc quæ scribo, & recta & utilia esse judico, quæ tamen ita tempero, ut sperem non offensura illos morosiores. Porro si edetur, omnino te prius inspicere scriptum volo, te Aristarchum facio. Ego hic edam scriptum contra Wicelium. Nam is edidit libellum, cui titulum fecit, *Rejectio Lutheranismi.* Multa de Scandalis dicit. Quia vero diu ei nemo respondit, & materia est ῥητορικὴ, *oratoria*, non gravatim has sumpsi partes. Possum disputare de Scandalis ad pios confirmandos, ad exhortandam juventutem, nonnihil etiam ad nostros ornandos. Hæc nunc minore periculo scribo, quam materias Theologicas, de quibus video, quam sint incerta, & plena livoris judicia inter eos qui volunt videri εἰλικρινέστατοι, *maxime sinceri.* Ideoque ne seram certamina, libenter præsto ἐχεμυθίαν *silentium*, *vocis inhibitionem* Pythagoricam. Video tamen tempore multos fieri placatiores, qui mihi propterea, quod quidem minus horridè dicerem, succensebant. Profectò quæ tradidi τεχνικῶς, *artificialiter*, hoc animo & hoc consilio ita scripsi, ut juventus haberet certas sententias, inclusas methodo, de rebus tantis quas profitemur. Nec volui novas opiniones gignere. Ea quæ à nostris utiliter tradi judicabam, col-

legi,

legi, & methodum adhibui, ut juventus facilius & rectius perciperet, πρὸς τοῦτον ἥ σπαρτὸν, καὶ νυνὶ λίθον προσαρμόσω, *ad illum ipsum funem & nunc lapidem aptabo. Prov.* Nec ab hac regula discedam, sed tamen te, mi Brenti, rogo, ut si quid in meis usquam legas aut invenies ullo tempore, quod non probabis, ut me admoneas. Te censorem libenter feram, imo etiam agam gratias: feram & aliorum prudentium & eruditorum censuram. Ex Anglia nondum redierunt nostri legati, disputarunt cum Episcopis, & spes est fore, ut Anglicæ Ecclesiæ emendentur, & doctina & ritus pii restituantur. Bene vale. 1538.

XII.

S. D.

DEum oremus, mi Brenti, ut gubernet Ecclesias nostras ac defendat, & flectat animum τῦ Καρόλυ ad pacem. Nam etsi ejus Orator Lundensis ostendit spem pacis, tamen scis eos ἐυθλὰ ἀγορεύειν, κακὰ δ' φρεσὶ βυσσοδομεύειν, *Bella verba dare, male verò profunde cogitare animoque moliri.* Scripsit Lundensis ad nostros Principes, Carolum Imperatorem venire in Germaniam, non ut moveat bellum civile, sed ut disputet περὶ διαλλαγῶν, *de reconciliatione*, & de mitigandis dissensionibus. Itaque jam nos jussi sumus componere deliberationes, & convenient Fœderati in Smalcalden, quo

optarim te quoque venire. Cupio te videre, & multa tecum commentari, & erit mihi opus tuis sermonibus eruditis. Deus hæc gubernet. Edidi pleraque hac æstate, quæ tibi probari cupio, etsi sunt brevia, parum enim ocii habeo. Libellum de Ecclesia propter quosdam edidi, qui proponebant Ἀλλαγὰς *reconciliationes* hac via, ut polliceremur nos Patrum sententiis cessuros esse. De officio Principum scripsi propter Iuliacensem Cancellarium, cum quo eadem ad verbum disputavi. Mitto tibi propositiones, quas fortè composui, cum alteri danda esset materia disputationis, & ego recens legissem Osiandri scriptum contra αἴτιον. Misi propositiones Osiandro, qui respondit aliquanto salsius, quam scripsit contra αἴτιον. Sed fero æquo animo. Te velim mihi sæpius scribere. Typographi mihi injustè molesti sunt. Petrum tu potes adjuvare, cui si possem multa mittere, facerē: sed qui fortè eum antevertunt, auferunt quæ sunt ad manum. Nec ego ipse asservo exemplaria ulla, nec possum prohibere quo minus edant ea, quæ sunt jam in multorum manibus. Mitto tibi quæstionem de Missa, de qua volo te mihi non ψιλῶς *tenuiter seu nude* respondere, sed βεβαίᾳ καὶ ἰσχυρᾷ, *solida & valida*, quæ obruere possint has Sophisticas argutias. Benè vale. 8. Ianuarii. Si Petrus edet puerilem libellum τῆς κατηχήσεως à me obiter dictatum, quæso emendes.

XIII.

XIII.

S. D.

HIstoriam conventus arbitror vobis significari à vestris, qui adsunt, quam quidem à me quoque accipies, si erit placida καταστροφή, *conversio*; Nam hactenus inchoatæ sunt deliberationes περὶ τῶν σπονδῶν, *de fœderibus*. Et est mira tarditas, cujus causa est, non tantum Astrologica, etsi tres planetæ sunt retrogradi, sed multo magis pacificatorum ὀλιγωρία καὶ ῥαθυμία, *negligentia & segnities*, & Legati Cæsarei perversitas, qui ἐσθλὰ ἀγορευόμενος κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσομεύει, *bella verba fatus, mala profundo corde machinatur*. Toto mense tantum hæc acta sunt. Nostri proposuerunt articulos de formula pacis, ut tyrannis judicii Amphictyonici prohibeatur, ut non tantum fœderatis, sed etiam ceteris ordinibus concedatur securitas, si qui piam doctrinam aut sunt amplexi, aut posthac amplectentur. Responderunt dissimiliter Legatus & pacificatores. Nam Legati responsio, criminatio est, ne spem quidem pacis ullam ostendens. Pacificatorum sententia est mitior, sed ut vereor, non placatura superbiam Legati. Penè eo rediit res, ut, quemadmodum Cæsar dicebat, tempus videatur postulare οὐ ψήφους, ἀλλὰ ὅπλα, *non suffragia, sed arma*. Et quanquam cogitans, quantum sit negotium, perhorresco, tamen interdum miror,

nostros sic irritatos, non vehementius incandescere. Ego quoniam ociosus sum, hîc scripsi Oratiunculas germanicas tres, Primam, ὅτι ὅσιόν ἐστιν ἀμύνεσθαι, *jus fasque esse vim propulsare, se defendere.* Secundam, ne contra nos arma gerant boni viri subditi hostibus nostris. Tertiam, ὅτι δεῖ πάντας εὐσεβεῖς καὶ βοηθεῖν ἡμῖν, *decere omnes pios nobis auxiliari.* Has materias volui colligere, ut paratas haberemus, si opus esset. Hic nonnulli admodum rixati sunt περὶ τοῦ ἀμύνεσθαι, *de defensione.* An liceat contra τὸν αὐτοκράτορα, *Imperatorem.* Nos cum Luthero ante biennium, re deliberata, judicavimus ὅτι ἐστὶν ὅσιον, *fas sive sanctum esse.* Vidi & Vrbani Regii judicium hic in eandem sententiam, qui tamen rejicit rem ad Academiam nostram. Rogo te quoque ut aliquid componas & mihi mittas. Nos usi sumus hac thesi: Euangelium non tollit legem naturæ vel publicas leges. Ergo legitimam defensionem concedit contra pares, & contra tyrannos. &c. Benè vale. Francofurdiæ 13. die Martii. 1539.

XIV.

S. D.

DEliberationes omnium, etiam absentium, qui huc miserunt scriptas suas sententias, adeo congruunt, ut hic consensus omnibus piis voluptati sit. Augustani & Constantienses nihil miserunt scriptorum, qui, ut scis,

scis, duorum fratrum consiliis reguntur, qui verè ἀλμαγελῶσιν, *segreges sunt, id est, sejuncta consilia fovent, suas res agunt*, ac nos fastidiunt, qui aliquanto plus laboris sustinemus, quam ipsi, & res multas & magnas explicamus, sed feramus homines morosos. Permolestè fero te non adveniisse. Nam & desiderio tui mirificè teneor, & hic mihi opera tua in scriptionibus usui esse poterat. De Conventu nescio quid scribam, omnia adhuc sunt incerta. Nostri miserunt nuncios ad Carolum, studium pacis exposituros & rogaturos, ne bellum nobis inferat. His nondum responsum est. Extrahitur res insidiosè. De collocutione, quam anno superiore Londensis promisit, nihil spei habeo. Audio enim Carolum adferre deliberatam sententiam, quam nobis propositurus dicitur, quam si qui non acceperint, res agenda erit armis. Sic nunc Ecclesiasticæ controversiæ dijudicantur: Pellitur è medio sapientia, vi geritur res. Sed filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, defendet nos. Benè vale & rescribe. 11. Martii, 1540. Smalcaldiæ.

XV.

S. D.

VIdit nuncius me dextrâ manu uti non posse, & penè mancum esse. Nam cum in aditu Bavariæ currus everteretur, quo vehebamur, durissimè mihi quassata est. Omnino

mihi Rhenus amicior est, quam hi horridi saltus Bojorum. Quare boni consules, quod Epistolam ad te mitto aliena manu scriptam. Scripsit enim Caspar, qui est ἕτερος ἐγώ, *alter ego.* Nunc sit sanè ἀμφότερος, *uterque*, ut Alexander dicebat. Hic nondum inchoatæ sunt publicæ deliberationes, ac puto moræ causam esse, non tam quod Principes adhuc quidam expectari dicuntur, quam quod ille ipse, cujus vox præire cæteris debet, dubitat, qua ratione has Διαλλαγὰς ἀμηχάνους *reconciliationes impossibiles* instituat. Repudiatur, ut audio forma VVormatiensis, & dicuntur eligendi quatuor, qui paucos quosdam literatos sibi adjungant, ut cudant articulos flexiloquos. Nominantur hi, Marchiones duo, Elector & Georgius, qui nondum adsunt, Granuelus, quarti nomen ignoro. Quidquid est, artificiosè res instituitur, & metuo colludere quosdam ex nostris, cum nonnullis, qui inflectere negotium conantur. Quid dicam, ex Oratiuncula intelliges, quam adjeci, plura, si hic esses, nunc quidem non audires. Nostri te accersent quam primum audiemus quomodo Imperator velit institui τὰς Διαλλαγὰς, *reconciliationes.* Norimberga nondum misit Concionatores. Bene vale. pridie Calend. Aprilis. Ex veteri Rhetorum Colonia ad Danubium. 1541.

Ἀσπάζεταί σε ὁ Κάσπαρος Στωρεφόρος ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν ἐν κυρίῳ, *Caspar Cruciger qui scripsit has literas, te salutat in Domino.*

XVI.

XVI.

S. D.

NON *relinquam vos orphanos*, inquit Christus filius Dei, noster ἀγχιεροῦς & magni consilii angelus. Is nos ex hac Sophistica conventus, consilio admirabili liberabit. Idque ut faciat, oremus. Coràm exponere acta & judicium meum de iis quæ instituta sunt mallem, quam mandare literis. Nam, ut Virgilius ait, *Longa est injuria, longæ ambages*. Legi tuam sententiam, quæ est verbis durior, quam mea, rebus congruit. Et ego nisi tueri consensum qualemcunque nostrorum cuperem, multò etiam responderem vehementius. Dixi in consilio, me postquam de ipsorum decreto formulam composui, quæ hodie lecta est, responsionis ad Cæsarem de Libro, si ipsi non consentient, scripturum esse meo nomine graviter πολιτικῶς *civiliter* ad Imperatorem, & commemoraturum, quantum mali futurum sit, si velit recipi Hyænam, ac fieri tertiam in Germania partem. Sed spero Deum nostris adfuturum esse. Tanta est alterius partis importunitas, ut nostri Reformatores ἢ ἀέρμοσαὶ *Conciliatores, directores* penè abjecerint suas spes de novis suffraganeis creandis. Dux Bavariæ Wilhelmus voluit de scripto recitari atrociſſimam de libro sententiam. Eccius misit in senatum Principum parvam syngrapham, in qua testa-

tur nec probasse se unquam nec probaturum hunc librum, & hæc verba adjecit, *quia Melanchthonizat*, qua in re profecto Groperum magna injuria adficit. Postea Contarenus convocavit Episcopos. Est hortator, ut librum adprobent, sed puto hæc simulari à Contareno, ne offendat τὸν αὐτοκράτορα, *Imperatorem*. Vnus est, ut apud Thucydidem Antipho, cui summa laus astutiæ tribuitur, ita ἐν τῇ βουλῇ τῶν ἀρχόντων τῶν ἑπτὰ μακρὸς καὶ ὠχρὸς, *in consilio seu senatu septem Principum, i.e. Septemvirorum seu Electorum, magnus ille & pallidus*, qui vincit Italos artificiis. Etsi ingenium ejus metuo, tamen arbitror elusurum esse Hyænam. Sed nos ab illorum consiliis non pendebimus. Miror cum meus Φράτης *Socius, commilito* fuerit in dogmatis sic satis indulgens, cur nunc de Ecclesiasticis facultatibus istis tam durus sit, quasi libentius cedant Episcopi reditus quam dogmata. Falli eum video. Hodie quod Deus gubernet, deliberatur de responsione danda Imperatori. Benè vale, die Julii xi. anno. 1541. ὁ Παλατῖνος τῶν ὅλων μυστηρίων δείπνου Κυριακοῦ βεβαίως κοινωνὸς ἐγένετο, *Palatinus ad communionem in toto mysterio cœnæ Dominicæ piè accessit.* Salutant te Schnepffius, D. Balthasar, Alexander Alesius, præsentes dum istæ obsignantur. Cruciger rediit.

XVII.

XVII.

S. D.

CAuſam hujus tabellarii ex ipſo te jam pridem audiſſe arbitror. Nam cum Ulmæ eſſe diutius non poſſit, quærit aliquem in vicinia nidulum. Itaque te rogo, mi Brenti, & per Chriſtum, & per noſtram amicitiam, ut reſpicere hominem egentem auxilio ac juvare velis. Tanta eſt ejus probitas, tantus candor, ut ejus calamitate vehementer & afficiar ipſe, & affici cæteros bonos viros debere ſtatuam. O duros homines, qui tales viros domo & patria expellunt. Ego ei conſilium dedi, ut ſi Buceri moderationem probent, apud eos maneat, καὶ γὰρ ἡμέτεροι φορτικώτεροί τινα οὐκ ἔλογα διαβεβαιοῦσι, *nam noſtri importuniore quadam ratione minus conſentanea aſſerunt.* Si ſepoſitis affectibus utrinque quæreremus veteris ac purioris Eccleſiæ ſententiam, convenire aliquid poſſet. De hoc toto negotio coràm aliquando tecum copioſius commentabor. Commendo tibi tabellarium, ut cui maximè conſultum cupio. Benè valè. Die Margaritæ.

XVIII.

S. D.

APud D. Ioachimum legi Epiſtolam tuam, in qua erat inſignis ſignificatio benevolentiæ erga me tuæ, quæ quidem mihi alioqui perſpe-

perspectissima est. Sed lectione tamen illa delectabar, cum sollicitudinem tuam exponis de mea peregrinatione. Rixarum ibi satis & fuit & adhuc est cum homine Sophistico Groppero, quem Sphyngem alteram dicere possis. Sed corpori meo nihil periculi fuit. Et Deo curæ sunt Legationes nostræ. πρεσβεῖαι ἱεραί εἰσι. μάλιστα δ' αἱ ὑπὲρ τοῦ εὐαγγελίου. *Legationes sancto sunt, maximè pro Euangelio.* Scripsi ad senatum vestrum pro Hieronymo, filio mei ministri. Iudico adolescentem bono ingenio præditum esse, & profecto in literis benè promovit, & ad doctrinæ Ecclesiasticæ studia idoneus est. Si quid potest obtineri, oro ut stipendio juvetur. Vides in hac tanta perturbatione Reipub. Civitates Germanicas hactenus de Ecclesia & literis benè meritas esse. Ac sæpe cogito singulari beneficio Dei in civitatibus liberis collocatas esse Ecclesias, quod ibi reliquiæ doctrinæ conservari possint, si Turci cetera vastabunt. Sis igitur hortator civibus, ut studia juvent. Scribæ vestro salutem opto, & hanc causam commendo, si me judicat mediocriter servire utilitati communi. Bene vale. die 4. Octobris.

XIX.

S. D.

NUper Micyllus ad me scripsit, petens ut ad se literas mittã crebiores, quod hoc tristi tempo-

tempore, nos quidem præter hæc sincera colloquia, vix ullam levationem curarum habeamus. Experior id ita esse, quare & te velim mihi sæpius scribere, præsertim cum interdum aliquid literæ nos tuæ moneant. Vidisti Eccii rabiosissimum librum, qui editus est contra meum συμπαίκτωρ, *socium certaminis*, etsi in me quoque ac nostros multos suo more debacchatur. Fortassis non est inutile exstare id scriptum, ut nostri Gellii intelligant cothurnos non fuisse profuturos ad concordiam. Qui fuerint Poëtæ totius ejus fabulæ, quid moliti sint, quo spectarint, in exitu conventus rescivi. Etsi autem dolore ardeo etiamnum, tamen cum ederem acta conventus Ratisbonensis, addidi verecundas præfationes, ne eos, quos sanare cupio, vehementius saucierem. Tempora etiam flagitant moderatiora scripta, ne videamur velle discordias incendere, nunc cum conjunctis viribus depellendi sunt Turci. Postremo fateor me languidiorem reddi propter aularum vitia. Etsi Euangelium ubique habet sua certamina, tamen in Aristocratiis civitatum plus tranquillitatis est politicæ. Nostræ aulæ sunt Euripi. Nuper de quodam oppido Episcopi Mysnici ortus est tumultus inter Duces Saxonicos profectò terribilis, καὶ πανικὸς, quem scito solius Dei ope sedatum esse. Quod enim Macedo accurrit, is alia de causa fuerat in itinere. Qui Ducē Mauritium incitaverant, puta-

putabant se bellam occasionem nactos, nos trucidandi. Nam res tanta non est ab ipso adolescente orta. Nunc expectamus hîc adventum Macedonis, qui aliquot dies jam apud nostrum Ducem commoratus est. Si quid audiero de republ. quod dignum literis judicabo, ex Vito scies. De fratribus adolescentibus mitto tibi exemplum literarum, quas ad patrem scripsi, re diligenter inquisita. Uterque mihi jam olim notus est, scio mores mediocres esse etiam Christophori, qui accusatus est. Quoddam ipsius juvenile erratum ad Rectorem fuerat allatum. Inde fortassis fama de ejus moribus parum secunda, orta est. Sed erratum illud Rectoris & mea diligentia sanatum est. Nunc & modestus & assiduus est in studio Iuris. Est hic Francus Nobilis benè doctus egressus adolescentiam & natura gravis, cujus consuetudine utuntur hi quoque de quibus scribis, is adfirmat majorem natu magis idoneum esse ad Iuris studium, & assentior. Quare curabis placari patrem. Benè vale, 2. Maii, 1542.

XX.

S. D.

SUbito hanc Epistolam scripsi. Quare te rogo ut brevitati veniam des. Nam quod ad cupiditatem meam attinet, certè tecum & coram & per literas colloqui & commentari, de studiis, de republ., denique de omnibus bonis

nis rebus prolixè cupio. Nec profecto aliter tecum, quam cum ipsius meo animo loquor. Nunc hoc à te peto: arbitror tecum fuisse scholasticum nostrum, natum VVitebergæ, Magistrum Antonium Bodenstein filium fratris Andreæ Carolostadiani, juvenem modesto ingenio præditum & literatum. Is etsi mallet in Academia diutius versari in studiis, tamen vitrici morositate excluditur. Matrem habet modestam mulierem, satis ærumnosam propter hanc unam causam, quod vitricus filio durior est. Quæso igitur, ut adjuves adolescentem, ut aliqua ei functio mandetur seu literaria, seu Ecclesiastica. Spero ejus ingenium usui fore reipubl. est enim placidius ingenio patrui, cui tamen etiam post primas offensiones τὰ παθήματα μαθήματα, *nocumenta documenta* fuerunt moderationis. Benè & feliciter, carissime Brenti, vale. Die 17. Decembris.

XXI.

S. D.

SPero nos brevi unà futuros esse. Non enim dubito, quin ad gravissimas deliberationes, quæ de Concilio brevi habēdæ erunt, vocaturi sint Principes te quoque. Nam de summa doctrinæ constituendum erit, quid ad extremum defensuri simus. Etsi enim imperiti homines propter Gallici belli famam securi rident

dent mentionem Synodi, tamen sciunt Principes, mirificè incumbere in hanc curam adversarios, ut quam primum coëat Synodus, quod quo consilio tantopere cupiant, variæ sunt opiniones. Ego vim fati esse judico, quod urget orbem terrarum, ut plus motuum & ingentium malorum existat. Hæc causa, ut verbis Demosthenis utar, ἐλαύνῃ τὰ πράγματα, *incitat atque impellit negocia.* Sed tamen quidquid erit, nostris opus est, ut se ad tantos agones præparent. Quod si conveniemus, ut spero, magnam mihi levationem in his miserrimis curis & occupationibus tuus congressus afferet. Spero etiam tuum consilium profuturum reipubl. nec meam sententiam à tua sejungam. Multa sunt autem, de quibus magnopere tecum coràm commentari cupio, ut existet doctrina plana, & evoluta ex ἀμφιβολίαις, quæ & conscientias perturbant, & parituræ essent majores discordias ad posteros. De his rebus plura scriberem, si literis tutum esset talia committere. De Tubingensi negotio voluntatem tuam laudo, tibique reipubl. nomine gratias ago, ac valdè te adhortor, ut omni contentione perficias, ut Senatus Salinarum concedat patriæ tuæ, tantillo tempore usuram tui. Hanc ἀμοιβὴν, *alternas vices, vicissitudinem*, debent tuæ patriæ, & ut verè statuo, sunt justissima ἀνθιδωρα, *dona reciproca.* Gratum opus Deo faciet, quisquis ad illam Scho-

Scholam restituendam aliquid opis attulerit. Dissipata est insulsis consiliis. Etiam Ecclesiis opus est bono pastore, qui voluntates hominum conciliet. Opto igitur, ut consilia tua & tuorum gubernet & adjuvet Christus. Ego non solum laboribus & curis conficior, sed etiam θλίβομαι ὑπὸ δημηγόρων τινων σοφισμανούντων, *affligor à concionatoribus quibusdam argutis cavillis insanientibus.* Sed hæc mala tego, & forti animo despicio. Nolim enim mea impatientia plus excitare scandalorum. Video multos τῶν θεολόγων sic affectos esse, quemadmodum de oratoribus Athenienssibus in proverbio dictum est: ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, μὴ γενήσεται δράκων, *serpens nisi devoret serpentem, nunquam erit draco.* Sed hæc aliàs. Consilium de Anabaptistis scripsimus, flagitante Landgravio, postea intellexi, eum eadem de re explorasse judicia Vlmensis Ecclesiæ, & Argentinensis eodem tempore. Audio illorum sententias nihil discrepasse admodum à nostra & Landgravium consensu judiciorum delectatum esse. Nos tunc subito respondimus, non inspecta tua sententia, quare dabis nobis veniam, si quid offendit fortassis. Et alia nunc sunt tempora, alii furores Anabaptistarum, quam initio, cum tuum consilium scriberetur. Nos quoque tunc mitiores eramus. Benè vale & rescribe postridie Divi Nicolai.

Mitto tibi quædam poëmata, quæ nescio an frater miserit,

XXII.

S. D.

VTinam possemus Academiæ vestræ idoneum gubernatorem Theologici studii dare: nec ego aspernor mediocres, ut qui illam mediocritatem, quæ in gubernatore est, ne quidem adhuc assecutus sim. Ut enim Homerus in bono Principe requirit, ut sit ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής, *utrumque & rex bonus & validus bellator*, ita hunc Theologum volo & gubernatorem prudentem esse, & eruditum doctorem, ut sit ἀμφότερον φρόνιμόν τε κρῆσαι, ἠδὲ διδάσκειν, *utrumque & regendi & docendi peritus*. Concedes enim mihi Homericum versiculum non nihil mutare in nostro argumento. Illud non permitto torquere te ad Theologũ, θέλω μέσον ἐν πόλει εἶναι, *volo medius in civitate esse*. Nam ille de privato loquebatur, non de gubernatore maximæ & difficilimæ professionis, qui debet esse τύπος τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ καὶ ἐν ἀναστροφῇ, *exemplar fidelibus in sermone & conversatione*, ut inquit Paulus. An tu hunc μέσον, id est privatum hominem esse censes? Cum autem hoc quidem tempore, indicare vobis neminem possim, finam tuo te judicio uti: mihi de ignoto non est pronunciandum, præsertim cum multis exemplis compererim, quantum me sæpe noti fefellerint. Video novum quoddam genus Sophistarum

ſtarum naſci, velut ex Gigantum ſanguine alii Gigantes nati ſunt. Ac niſi boni ac prudentes viri in rebus publicis petulantiã illorum coërcebunt, metuo majores Eccleſiæ motus. Hic cum Hydra decerto, uno repreſſo, alii multi exoriuntur. Quidam Cordatus nuper abjectum libellum locorum communium pedibus calcavit. Credo, ut Ajax flagellavit pro Ulyſſe hircum. Quid enim ille facturus eſſet, ſi in me exercere ſævitiam poſſet? Alius Sycophanta Fribergenſis, me graviſſimè accuſavit apud Ducem Saxoniæ Electorem, propterea quod interrogatus ab ipſo in privatis literis, de uſu cœnæ Domini integræ, reſpondi in privata Epiſtola, tanquam amico & auditori noſtro minus vehementer, quam ipſe voluit. Si tamen voluit. Nam ad me tantum eò ſcripſit, ut inſidias mihi ſtrueret. Alius negat in Eccleſia docendum eſſe decalogum, colligit loca pura & impura de decalogo, ex Lutheri & meis Scriptis, quem Lutherus hac concionè reprehendit, quam tibi mitto. Poſſem alia multa exempla commemorare, quæ oſtendunt, quantum impendeat periculi orbi terrarum. Ego non diſſimulo me conatum eſſe, ut quædam mitigarem, & judico opus fuiſſe. Nec ignoro, quantum ea res mihi pepererit odiorum, quæ tamen mea moderatione tego. Sed in tanta rabie multorum quid tandem faciam? quæro equidem latebras, quas utinam mihi

jam in hac valetudine & ætate, & confecto ærumnis Deus ostendat. Benè vale. Lutherus jussit tibi salutem adscribi.

Clarissimo Viro, egregia eruditione & pietate pradito, Domino MARTINO BVCERO, *docenti Euangelium in Ecclesia Argentoratensi fideliter, amico S. carissimo.*

S. D.

TErnas à te litteras accepi, postquam ex Ubiis discessi. Tibi igitur pro tuo amore & hac assiduitate gratiam habeo. De Epistola Turegum prorsus hic est silentium, ne scriptam quidem esse noram. Scisitatus igitur intelligo Marcum Crodelium, qui Pelecano notus est, fuisse incitatorem. Meministi autem versum de Achille, δεινὸς ἀνὴρ πάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο, *Vehemens vir facile & inculpabilem culparit.* Similes impetus & noster multos habet, quibus dissimulandis plus proficimus, quam duriter repugnando. Utamur ergo nostra Philosophia, nobis duobus diu jam meditata, & tegamus hæc nostra vulnera, aliis quoque simus hortatores, ut occultent. Mihi & fuit & erit curæ, ut inter nos non solum induciæ sint, sed etiam vera benevolentia mutua, ac meum animum puto multis perspectum esse. De Conventu & Principum periculis magnas video sollicitudines esse. Ego in hac consolatione acquiesco, *Fata viam invenient aderitque vocatus Iesus.* Scio homines callidos

lidos ludere titulis, ut luſerunt anno ſuperiore & Juliacenſes, cum dicerent, ſe non inferre bellum, ſed ἀμύνεσθαι, *propulſare*. Ideo difficile eſt diſputare de ea re, de qua in ſecunda epiſtola ſcribis. Sæpe multumque cogito de horum temporum diſcordiis, ſæpè univerſam mundi hiſtoriam, quatenus extat in literis Latinis & Græcis, repeto, confero motus, conſidero bellorum civilium furias, ſeditiones, cædes cognatorum, bella ex bellis nata. Horum malorum magnitudine ſic moveor, ut ego quidem millies mori malim, quam vel juſtis armis defendi. Vide quantum periculi nunc ſit ex Brunſuicenſi negotio ortum. Deinde Principum naturæ conſiderandæ ſunt. Ut Plato metuebat in Dione αὐθάδειαν, *complacentiam ſui*, *arrogantiam*, quæ quidem exitio ei fuit: ſic ego noſtri Ducis αὐθάδειαν, & naturam ἐριστικὴν, *contentioſam*, quæ ſe non poteſt inflectere ad retinendas amicitias, non poſſum non metuere. Alterius vero, cujus ingenium pluris fecimus, domeſticæ res dicuntur magis magiſque deformari, καὶ καινὰ σκάνδαλα διηγοῦνταί τινες, *nova ſcandala narrant quidam*, quæ inquirere te optarim & anniti, ut ſanares. Sic igitur Eccleſiolæ noſtræ ut cymba in fluctibus ſine remo, ſine velis jactantur, nec conſilii, nec præſidii quidquam habent. Idem dicit noſter amicus Jacobus, quoties in eum ſermonem delabitur. Quid igitur fa-

ciendum, inquis? Nobis doctoribus explicata res est. Doceamus moderatè ac utilia, donec Deus nobis tranquillitatem concedit, postea cervices porrigamus seu alienis, seu nostris. Ego non solum bellum & incertos belli casus, sed etiam victoriam metuo. Quid de Centauris, hoc est, de equitibus dicam? Nunc cum judiciorum & legum minæ utcunque rapacitates, & sævitiam eorum prohibent, vides pene intolerabiles esse. Quid futurum esset, si qua clades acciperetur, quid, si vincerent? Vides in Græcia exorto civili bello non prius arma deposita esse, quam funditus perierunt Corcyra, Mitylene, Messana, Athenæ, Samos, Sparta, Thebæ. Nolo igitur esse hortator, nec fui unquam, ut bellum inferamus. Moderationem etiam optavi nostros eam in politicis rebus præstare, ne aliquando necesse esset ἀμύνεσθαι, *propulsare*. Nunc Brunsvicense negotium & aliæ nugæ fortassis aliquem tumultum excitabunt. Sed nondum somnio bella. Nec magnopere moveor hoc argumento, donec in possessione sunt opum Ecclesiasticarum adversarii, nostram juventutem inopia deterreri à nostris studiis, & defuturos paulatim doctores. Si ut hactenus paulatim carpi poterunt, & Principes ac Respub. serio curabunt Ecclesias, non desperandum erit de studiis. Sed si non antevertimus, inquiet aliquis, exercitus hostilis nudos opprimet. Ne hoc quidem

dem fieri potest, si nostri sint vigilantes. Sed quoties jam verè comperimus, nostros sibi ipsis finxisse terrores? Deniq; in re tanta quam multa tot jam annis sunt Principum & doctorum domestica σφάλματα, *errata*, *lapsus*, quæ me deplorasse ac frementem taxasse multi norunt! Postquam igitur ex illis erratis nunc pericula creverunt, animum præparo ad ferendos eventus moderatione aliqua. Principes nostra consilia non audiunt. Sed & ante fui eis hortator ad moderationem, & adhuc ero, si quis erit locus. Metuerem inconstantiam voluntatum in potentibus, præsertim moto bello, ac multo magis victoriam, etiamsi haberemus Constantinos & Theodosios. Nunc cum sint in sylvis inter venatores & centauros suos mutriti, & illud πρέπον, *decorum*, quod in tanta causa spectare præcipuè debuerunt, nunquam curarint, aut certè leviter curarint, quid potest eis consilii dari? Hæc scripsi simpliciſſimo animo, ac te rogo, ut cum legeris concerpas epistolam. Scripsi enim ut tibi meam opinionem, quemadmodum petiisti, significarem. Iam in hoc ipso articulo accepi à Colonienſi Principe literas & exemplum ordinationis addita Gropperica refutatione satis longa. Arbitror tibi quoque missa esse exempla. Turcicus Tyrannus redit in Thraciam. Bohemicæ copiæ domum redierunt. Deus adsit nobis, & servet reliquias suæ Ecclesiæ. In

Transylvania latè illucescit Euangelium. Benè vale. Die 4. Novembris, Anni 1543.

Ad D. JOANNEM LANGIUM, *quondam Vicarium Augustinianorum Saxoniæ, Theologum Erphordiensem.*

I.

SAlve in Christo Jesu, Reverende & mihi carissime Pater. Videar cum tibi, tum aliis tuis præter officium feciſſe, qui cum auctus es honore publico, eoque literis parto, non affuerim. Verum, credes mihi, multo hac parte ipsi mihi molestior data res est, quam tibi potuerit fieri. Nam ut sanctè literas amo, ita honorem literarum benignè amplector, atque id maximè, cum iis contingit, qui non sibi solis τὸ ἀπανθρωπότατον τρόπον, *inhumanissimè, in humanissimo more*, ut Plato ait, sed universis bonas literas tractant. E quorum numero nisi tu esses, tam carus mihi esse non posses. Expetant in me universas faces illæ ipsæ Erinnyes, si Gratias fallo. Multa vero in causa fuerunt, quo minùs venire potuerim. Non scripserat Mosellanus noster. Ex nostris nemo comes iturus erat. Vrgebar cum Græca, tum Hebræa lectione. Quibus tibi satisfactum volo. Sin est ut expiari religiosius debeat, facio tibi plane copiam mei. Rhetorica mea mitto Dialecticis judicanda. Simplicius scripsi. Habenda erat ratio vulgi. Pleraque depravata sunt nostri

nostri χαλκοτύπου socordia. En & Martini nostri ψαλτήριον dignum lectione doctorum. Reliquum cum parabitur mittam. Ego Hebraicum ψαλτήριον prælego. Simul connitimur ut illa מושב הלצים *sella vel cathedra irrisorum* evertatur aliquando. Rescribe. Vehementer opus est mihi Hesiodo meo, mitte cum poteris. Prodibunt pleniora σχόλια aliquot Epistolarum Pauli & Jacobi tibi inscripta. Prope xx. Iliados attigimus Esticampianus & ego. Cum adsolutum fuerit, si voles, mittetur integrum ab eo qui scripsit. Omnibus tuis fac ita sim commendatus, uti tuos, id adeo, meos esse intelligam. Salutant te nostri. 3. Die Aprilis. Anno MD XIX.

II.

SAlve Pater θεοφιλέστατε, *pientissime.* Petro Mosellano communi amico nostro, eidemque verè candido gratulor restitutam valetudinem. De tua causa doleo. E febribus enim laborare te accepimus. In hoc non facies aliud, nisi ut præstes dignam Deo mentem. Quippe hoc unum nobis in isto tot malorum pelago superest solatium, idemque efficax & præsentaneum. Neque longius quidquam ab animo Christiano abest, quam quod ille dixit πρὸς τὰς ξυμφορὰς καὶ τὰς γνώμας τρέπεσθαι, *juxta eventus & judicia mutari.* Præter spem nostram ad te Augustinus abit, alioquin

apparassem nuncio probæ fidei ad te perferenda quæ debeo. Tamen ne nihil habeas, ecce tibi reliquum ψαλτηρίου, quousque scilicet interim per tot occupationes Martino procedere licuit. Habes item epistolam quandam meam cum ἀπολογίᾳ, In quibus si quid videbor tibi scripsisse ἀπόῤῥητον, *alienum à Christo*, fac officium amici, nosque quamprimum admone, objurga, immo etiam sub furcas age. Ut quisque amicorum apertissimus est & liberrimus, ita mihi multo maximè carus. Nam eo, ut scis, ingenio sum, ut cum εἰρωνείᾳ, *dissimulare* ipse non didicerim, personatos amicos non alio ducam loco, quam quo digni sunt. Quin ut Christiana caritas est, ἀπερπερόλογός τε καὶ ἀπερπερόλογος, *nec adulatur nec adulationem admittit*, ita faxis, ut liberum nobis monitorem, atque ob id amicum præstes. Inciviliter Eccius in nos multis conviciis debacchatus est, sive quod animo indulserit, sive quod læsum se esse putarit, atque adeo injuriam non inferre, sed rependere. Certè omnia duriter. Ego contra respondi & paucis, & quanta potui modestia, nullo prorsus, ita me Deus amet, animi morbo. Licuissent fortasse quædam, sed temperavi mihi, ut facerem non quod illo, sed quod nobis est dignum. Proscidit post abitum nostrum Lipsiæ Martinum inhumanissimè, hoc est, ementitis falsisque innumeris calumniis apud Principes viros.

viros. Tu illi quid facias? Ego enim & Martini ſtudia & pias literas & Martinum, ſi omnino in rebus humanis quidquam, vehementiſſimè diligo & animo integerrimo complector. Omnibus nos tuis commenda, Jonæ, Eobano delicio Muſarum, Cordo, Draconi. Veſter omnino ex animo ſum. Wittembergæ. Vale feliciter, & crucem Chriſti fortiter perfer. Altera poſt Laurentii, MDXIX.

III.

S. D.

IN literis tuis, ni fallor, nunc enim non ſunt ad manus, duo erant, quæ moverunt animum meum & vehementer quidem. Unum, quod de mutanda profeſſione Theologica mones. Alterum de Eccleſia Erphurdiana. Utrumque momenti in hac cauſa non parum habet, & diligenter expendendum eſt. Principio nunquam ero, Lange, autor Jonæ profitendi jus Pontificium, malimque carere nos viro quantumvis magno, quam detrudi eum rurſus ad impias ſordes. Hic me ſcrupulus habuit, priuſquam auctoraretur: Quid futurum eſſet, ſi jus profiteretur talis vir, & ad majora factus? Favebam noſtræ Academiæ conſiliis, immo amicorum, quod in cauſa erat, cur diſſimularem ſollicitudinem ac curam meam præſertim cum nondum voluntatem Jonæ perſpectam haberem. Iam ubi advenit,

dixi

dixi meam de professione sententiam, & piè, ut videor mihi, & liberè. Equidem optarim Gymnasium nostrum clarius fieri accessione tanti hominis, sed id si fieri citra dispendium amici non potest, fiat sane, quod licet. Sic voluerunt amici, ut nunc susciperet conditionem ultro delatam ab eo Principe, qui sic esset amans & literarum & literatorum, fieri posse, ut pro jure docturus sit Theologiam, huc annitemur, quotquot favemus hominis studiis. Ipse scio Principem inclinatum ad Theologiam, ita ut etiam pessimè velit ταῖς φεναξίαις, *fraudibus*, *impostoris* luris. Deinde postulat hæc præbenda non tam juris, quam Theologiæ peritum, qui tot Ecclesias regat ad Christianam regulam. Quod ubi expenderit Princeps, nihil dubito, quin adsensurus sit consiliis nostris. Nam eorum, quos hactenus habuimus Præpositos, tum insciti a, tum impietate quid acceperint damni Ecclesiæ aliquot, non facilè dixerim. Erphurdianæ Ecclesiæ optarim consultum. Sed quid si huc vocat Ionam Deus ad corrigendas Ecclesias multo plures Erphurdianis? Præposituræ subditæ sunt Ecclesiæ circiter triginta. His tu Henningum aliquem quam Ionam præfici mavoles? Favebis vocationi ejus, si cogitaris, pro quantulo onere nunc quantum sufficiat. Orabimus communiter, ut de tuo spiritu impertiat Deus fratribus tuis, excitetque Episcopos

verè

verè Christianos & Ionæ similes. Quid autem si hoc quoque agit Christus, ut tu συμμάχῳ *commilitione* erepto animosiori spiritu & fias & invadas Antichristum? Vale & ora pro me.

IV.

S. D.

DE puero valde improbo consilium, mi Lange. Quanquam enim sciebam à patre revocatum esse, tamen ego ad Feldkirchium scripseram, ut retineret quoquo modo. Quid enim attinet patrem in discrimen conjicere? Sed ut video ἄνω ποταμῶν, *contra fluvium.* Puer ipse videtur esse ingenio non simpliciter morosо. Spero ad nos rediturum, ubi primum licebit mihi cum patre ea de re colloqui. Vir est honestus, & qui nonnihil literarum habeat. Quo magis est de puero sollicitus. Pecunia erat numerata, & misissem, verum non noram nuncium. Sed efficiam, ne videar fefelliſſe. Mittam per notum hominem ubi primum potero. Scripsi breviter properante usque adeo tabellario. Witebergæ, die Galli. Saluta Michaëlem.

V.

SAlve optime ac doctissime Parer. Consiliū de scribenda ad Germanicam Nobilitatem epistola principio magis non improbavi, quā probavi. Animabatur enim noster ad eam rem præben-

præbendam à quibusdam, quibus utrique multum tribuimus. Deinde res per se talis est, quam, quia divinitus agi puto, morari nolui. Spiritum Martini nolim temere in hac causa, ad quam destinatus ὑπὸ προνοίας *à providentia* videtur, interpellare. Porro libellus jam editus est & evulgatus, ut revocari è luce in tenebras nulla ratione possit. Nisi fallit faber, habebis τὼ σφραγίδα, *sigillum*. Alioquin ipse non ignoras, quod est in Græcis fabulis, intrisse Mercurium ψεύδων *mendaciorum* pultem omnibus opificibus. Quare si spe tua serius misero, non est quod nos excuses. Venturus eram unà cum nostro Priore Islebiam. Sed incidit res uxoria, quæ me nunc sibi suo jure vindicat. Uxor enim datur mihi αἰχμαλώτη κεφάλη, *Catarina Crapti*, non dico, quam non sperata, aut quam frigenti, sed iis puella moribus, ea animi indole, qualem à diis immortalibus optare debueram. δέξιος ὁ θεὸς πτμαίροιτο, *dextra Deus significet, i. Deus omina fausta firmet*. Equidem expendi argumenta, quæ in hanc rem incidere possunt, nisi fallor, omnia, ut satis sciam quid probandum fuerit. Verum secutus sum amicorum consilium, qui me ad rem uxoriam hortati sunt. Διὰ τὸν τῆς ἀσθενείας σαρκὸς κίνδυνον, καὶ σαρκικῆς ἐλευθερίας πονηρίαν, *propter periculum ex infirmitate carnis, & carnalis libertatis improbitatem*. Neque enim vere Christiana libertas fuit, qua literas deamavimus

mus plus æquo. Et cavendum nobis fuit, quod monet Paulus, μὴ τὴν ἐλευθερίαν ἀφορμὴν τῇ σαρκί, *ne libertatem occasionem faciamus carni.* Ne tu improbes cæptum opto. Majus voto fuerit, si probaveris. Cordum nostrum admone promissi ὑπομνήματος. Saluta amicos omnes, inprimis D Jonam, Petreium, Hessum, Cordum delicias Musarum. Reverendo Patri D. Vicario nos diligenter commenda. Benè vale, opt. Pater. 22. Novemb. Anno 1520.

VI.

SAlve optime Pater. Næ ego odiosus cessator sum, qui tot jam menses non scribo, idque ad hominem tam dextrum, tam amicum. Sed ignosces nonnihil etiam occupato, maxime cum non dubitem felicius te occupari, quam ut vaces περὶ τὰς μου φλυαρίας καὶ βαρβαρον βλυτυρί, *ad nugas meas & barbarum blytyri.* Professionem litterarum Græcarum gratulor non tibi, sed scholæ tuæ. Atque utinam crebriora hoc genus exempla in Germaniæ scholis cerneremus, gratulor & ipsis literis, quibus procul dubio ornamento es futurus, vir tam gravis, tantaque autoritate, sive quis eruditionem multijugam, sive judicii acrimoniam, sive vitæ sanctimoniam contempletur. Et institutum tuum, si qua ex nostra parte juvare poterimus, ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον, *dictum, factum,* ut Græci dicunt, non deerimus. Est apud nos

Lotthe-

Lottherus τυπόγραφος, per quem sacros & prophanos scriptores excudemus, quos voles. Nos dabimus Nubes Aristophanis, argumentum splendidum, quo Philosophastros insectemur. Philosophastros aio. Nam Philosophis optimè volo, modo quis modicè, cautim, & ut cum Platone dicam, μετρίως ἐν τῇ ἡλικίᾳ φιλοσοφήσῃ, *modice in juventute philosophetur*. Speramus brevi te huc adventurum, ubi de reliquis commentabimur. Tres aureos accepisti, ut arbitror, pro Bibliis Hebraicis à Georgio nostro. Iactantur hic nec apud vulgum tantum multa de ditis Pontificiis in Martinum. Deus bene vortat. Is nisi opem tulerit periclitantibus nobis, perimus. Saluta Eobanum, Cordum, Adamum, & quicunque tui sunt alii. Vale feliciter. Salutavit te Hessus noster Norimbergensis, Canonicus VVratislavienſis in literis ad me scriptis. Conductus est Hadrianus Lovanienſis Professor, qui apud nos Hebraica doceat. Iterum vale. VVittembergæ.

VII.

S. D.

VEreor ut possim te ante abitum convenire. Hodie præcisè negaverunt, se nostra postulata facturos esse, quæ tamen & honesta ipsis, & tutissima futura erant. Sed ut video, odio nostri sunt impediti quorundam animi. Fidem τῦ δημηγόρου ὑμετέρου *concionatoris nostri* intel-

intelligo tibi ſuſpectam eſſe. Mihi hoc negocium, quod in manibus fuit, candidè egiſſe videtur. Et magna ex parte πολιτικὸν *civile* fuit. Ceterum de alieno ſervo non eſt judicare meum. Non poteſt fieri, ut iſtiuſmodi homines probent cauſam quam plane non intelligunt. Quotuſquiſque enim ex eruditis ſatis perſpicit, quid habeat cauſa doctrinæ correctæ boni cum Plico? Rixati ſumus de utraque ſpecie. Auſus eſt affirmare à Decretis prohiberi uſum utriuſque ſpeciei. Et pollicitus eſt, ſe locum oſtenſurum eſſe. Hac in re ſuæ inſcitiæ magnum ſpecimen dedit. Nam in Decretis nihil tale inveniet. Menio S. opto. Vale feliciter in Chriſto.

VIII.

S. D.

EXimie Dn. Doctor. Hic bonus vir pollicitus eſt, ſe mihi curaturum eſſe quinque aureos, mittendos Philippo Eberbach. Eos dixit ſe vobis exhibiturum eſſe, ut huc mihi mittatis. Id ſi fecerit, rogo ut ſcribatis ſyngrapham, vos ab eo pecuniam, quantacunque fuerit, accepiſſe, & has meas literas ei date, adferendas ad Doctorem Eberbach Moguntinum, ut ille ſciat de mea voluntate hanc pecuniam fratri ſuo mutuo ſumptam eſſe. Philippus Eberbach abeſt procul hinc in montibus Bohemicis, huic à me pecunia primo quo-

que tempore transmittetur, cum accepero. Eget enim præsertim hoc tempore, & sumptibus ei non exiguis opus est ad eam peregrinationem, quam, ut existimo, brevi suscepturus est versus Coburgum. Quæso igitur, si quid vobis dederit hic tabellarius, ut mihi Ienam statim mittatis. Nomen est tabellario Magister Iacobus Neumburg. Vale feliciter. Ienæ, Die Iovis post assumptionem B. Virginis.

IX.

S. D.

LEgi sententias de clandestinis desponsationibus, quas huc misisti, & judico verè, piè & eruditè scriptas esse, tibique adsentior. Statim autem lectas exhibui Reverendo Domino Luthero, qui cum legisset epistolam tuam ad me scriptam, adfirmabat se tibi responsurum esse, ac nuncio dixi, quo tempore flagitare literas debeat, qui si fortè nunc non adferet, ego tamen his diebus flagitabo. Heri ex Venetiis accepi litteras, quæ narrant Turcicum tyrannum hoc anno in Pannonias non venturum esse, & simul ad faciendas inducias solvisse Venetiis Legatos Pontificios, Caroli Imp., Regis Ferdinandi, Regis Gallici, de conditionibus cum Turcis acturos. Deus regat & servet Ecclesiam filii sui Domini nostri Jesu Christi. Benè vale. De adolescentibus omnino mihi curæ erit, ut sicut petis Iesaias apud

præ-

præceptorem habitet, eaque de re heri collocuti sumus. Habet præceptorem Naoburgensem, doctum & honestum virum. Iterum vale. Die 14. Iulii.

X.

S. D.

GRatiam tibi habeo, quod significasti historiam Arnstadianam, quam quidem mox dedi legendam Reverendo Dn. Luthero, quem prodest verè cognoscere statum Ecclesiarum. Maurus multa jactavit se de illius consilio feciſſe. Sed deinceps minus movebitur ejus literis. Profecto nobis inter nos opus est concordia, & hæc sine magna ἀνεξικακίᾳ, *mutua tolerantia improbitatis*, retineri non potest. Te scio multa ferre, & tuli ego ac dissimulavi multorum impetus adversus me susceptos. Proximus Conventus, quem Carolus indicat, ostendet ubi nobis quærendi sint hostes. Sed oremus Deum, ut Ecclesias suas gubernet & defendat. Pacem inter Carolum Imp. & Gallicum Regem factam esse certum est. Nunc incumbet Carolus in negocium Ecclesiasticum. Tuus Epiphanius Lipsiæ est apud Ioachimum. Mitto tibi versiculos, quorum & his temporibus congruit admonitio, & lectio tibi jucunda erit. Benè vale. 28. Octobr.

XI.

S. D.

HAnc tibi reddet epistolam Ioannes Pruning Ienensis, qui in Academia nostra auctus est gradu magisterii Philosophici. Postea vero uxorem in patria duxit, & nunc decrevit in urbe vestra habitare, ubi domunculam habet, ut audio. Petivit autem à me literas, ut aditum ad notitiam & amicitiam tuam haberet, quas non invitus ei dedi. Modesto ingenio & tranquillo eum esse animadverti, & amat literas. Quare amicitiam tuam & aliorum literatorum expetit. Tribues igitur ei officia, quæ hospiti sine detrimento tribui à bonis solent. Si docere adolescentes in urbe posset, laborem non defugeret. Aut si qua Ecclesia in vicinia ei commendari posset, ad eam rem etiam se offert. Vagamur nos Scholastici, ut vides, neglecti à gubernatoribus Reip. Quare nos mutuo complectamur & nostrum gregem foveamus, ac ut Esaias precatur Deum, ut obsignet legem in suis discipulis, ne in tanto contemptu & in ruinis imperiorum deleatur doctrina cælestis, ita nos Deum oremus, ut discipulos pios & valentes ingeniis servet. Die 5. Novembr.

XII.

XII.

S. D.

BEnè & præclarè te meritum esse de Ecclesia Dei omnes boni judicant edito Epiphanio. Cujus Græca lectio etiam studia ingeniosorum ad Græcè discendum accendit. Spero autem tibi voluptati esse judicia bonorum, & voluntates gratas. Ego quidem tibi gratias ago, quod hoc ornamentum Ecclesiæ impertiisti, quod multo majus esse statuo, quam aliquam porticum templis addere. Et tuis liberis propagatio memoriæ nominis tui erit honorifica. Potes autem, si ita libebit, adhuc vendere archetypum. Nam remissurum esse Typographum non dubito Sic enim pollicitus est, & vir bonus esse dicitur. Philippo Calensi semper benè volui, & gratulor ei honestam apud vos functionem. Sed ipsum etiam oro & obtestor, ut communem Ecclesiæ vestræ concordiam & tranquillitatem tueri studeat. Meminit meos sermones de studio pacis inter nos creberrimos, nec deest ipsi judicium. Sed natura iracunda est, quam utinam jam senescens moderari incipiat. Spero tamen multum apud eum valituras esse tuas prudentissimas admonitiones. D. Sturciadæ omnia fausta precor. Bene vale. Die 3. Augusti, quo nostri cives ad Plateas Persicum

exercitum deleverunt ante duo millia annorum & annos circiter viginti.

XIII.

S. D.

REverende vir & amice cariſſime. Etſi magno cum dolore legi querelam tuam de fontibus ſimultatum, quæ iſtic ortæ ſunt, tamen ſcio ea te gravitate eſſe & patientia, ut talibus malis arte mederi ſtudeas. Ego mediocribus officiis & ad Eccleſiæ utilitatem, & ad ipſius decus flectere illum ipſum, de quo ſcribis, ſtudui. Et ſpero ætatis maturitatem aliqua emendaturam eſſe. De me ſi parum amanter loquitur, etſi ipſe in me multa reprehendo, tamen quod ad hunc attinet, illud Pindaricum (*Nem. od. α.*) dici poſſe arbitror, λέλογχε μεμφομένοις ἐσθλὸς, ὕδωρ κάπνῳ φέρτερον αὐτίον, *Sortitus eſt obtrectantibus bonus, aquam incendio ferre contrariam.* Ego certè Eccleſiarum noſtrarum concordiam ea in re philoſophatum me eſſe puto. Idem deinceps faciam. Salutem opto Dn. Sturciadæ. Bene & feliciter vale. 26. Martii.

Docto & religioſo viro, AMBROSIO BLAVRER *Albaroſbachum*, *Monacho ſuo.*

S. D.

IAmne? homo eloquens infami puero τῷ ἔρωτι, *Amori* dabis eſſe qui ament, οἳ δ' ἀν

ἔχοιεν εἰπεῖν ὃ ἢ βέλοντ' σφίσι παρ' ἀλλήλων γίγνεσθαι, ἀλλὰ μαντεύεσθαι ὃ βέλονθ' καὶ αἰνίττεσθαι, *qui non habeant dicere quid à se mutuo expetant sibi fieri, sed divinare & conjectare quid velint*, ut ait ille apud Platonem elegans profecto & Atticus vir. Sic enim est amoris quoque nostri ludus, ut in summa rerum copia, puto, quam virtutes administrent tuæ, simul argumento ac oratione deficiam, neque satis intelligam, qua te mihi parte probari magis velim, eruditione an humanitate? Sed allubet tamen, quæ nostro ingenio propior, humanitas. Huic me quasi cuidam regulæ affingam. Id enim de eruditione pene ἀζήλω, *non æmulanda, inimitabili* dicere nimium quam audax fuerit. Ea est ergo humanitas tua, ea in habendo amico facultas, ut quidvis gratum habeas, καὶ σμικρὸν δῶρον, *etiam parvum donum*, tenuem ac jejunam Philippi epistolam, sed pulcerrimo emtam pretio. Sic enim carior tibi erit merx nostra, elegantissimis scilicet literis tuis. Sed de his aliàs. Et sunt in nobis non vilia, quæ amari longius merentur prima, recta constansque voluntas, benè sentio, benè dico de Ambrosio. Eam si tu umbraticam atque adeo personatam vocas amicitiam, vide ne injuria bonas mentes καὶ ψιλάγγας, *duces levis armaturæ seu velitum* afficias. Audacter hæc ego, ut probem tibi nostra æqualis amicitiæ munia. Vale, & Philippi memor esto. χε-

διαγικῶς, *extempore*. Ex Tubinga, Cal. Ianuariis, Anno 1515.

ANDREÆ OSIANDRO,

S. D.

NEc vidit Lutherus Epistolæ tuæ exemplum ad Eliam scriptæ, nec Eliæ literas legit, nec fabulæ ad eum ullæ permanarunt de tota re. Etsi enim ea gravitate est, ut boni consuleret, etiamsi hac præsertim in re dissentire te à suo judicio audiret, tamen illorum κολακείας *adulationes* odi, qui omnes ad eum fabellas deferunt, quarum multas utilius erat nec natas esse, nec proferri. Si possem adamantinis vinculis pectora omnium docentium in Ecclesiis inter sese astringere, facerem id profectò summo studio: qua de re non dicam plura. Frustra de mea voluntate multa disputo. Spero tamen multos candidos homines testari, mea consilia in publicis & privatorum negotiis pleraque fuisse συμβιβαγικὰ, *pacificatoria*, Deumque oro, ut me faciat σπλάγχνα ἐλέους, *viscera misericordiæ*, meque ita gubernet, ut labores mei sint salutares Ecclesiæ. Et cum ceteros Euangelii ministros propter ipsam functionem veneror, tum vero te propter eruditionem eximiam semper & dilexi & colui. Hujus meæ voluntatis multos habeo testes, teque oro, ne secus suspiceris. Benè vale.

EIDEM.

S. D.

EX Viti literis intellexi, te summa cum gravitate vanissimam fabellam ab adolescente Hectore sparsam de nescio quibus scriptis contra te edendis contempsisse: Qua in re gratiam tibi habeo, quod non temerè calumniis credendum putâris. Scio te ex animo amari à nobis omnibus, tribui etiam tibi doctrinæ laudem, & verum studium Christianæ pietatis. Tales virtutes si qui non amant, hos singulari naturæ perversitate & κακοηθείᾳ *malis moribus* præditos esse censeo Cumq; intelligam, quantum in tam difficili propugnatione piæ doctrinæ nobis opus sit domestica concordia, semper optavi nostros omnes quam conjunctissimos esse, ac inprimis tuum ingenium plurimum Ecclesiæ & profuisse & prodesse posse judico. Quare te rogo, ne alienari animum tuum à nobis sinas. Ego vicissim in nostra amicitia tuenda optima conscientia diligentiam & fidem præstabo. Præclare Basilius: Non tam sinistræ opus est dextra, quam Ecclesiæ opus est concordia docentium, quæ etsi inter bonos retineri facile potest, ἀκεστὰ γὰρ φρένες ἐσθλῶν, *sanabiles mentes bonorum*, ut ille ait: tamen cum Diabolus inprimis Ecclesiæ insidietur, eamque variis artificiis dissipare conetur, quædam nobis etiam animorum moderatio adhibenda

est, quam spero mihi erga nostros non defuturam esse. Tuam Apologiam, in qua refutas Eccii sycophantias legi diligenter, & non modo causam tuam, sed etiam orationis libertatem probo. Flagitant enim tempora, ut adversarios ita compescamus, ut Therſiten Ulysses. Defugiunt has pugnas multi ex nostris, alii occupationibus, alii metu impediti: sed si omnes erimus muti, quid futurum est tandem nisi ut vincant adversarii ἐρήμην δίκην, *vadimonium desertum*. Ego eandem causam, cum fortè disputationis materia quærenda esset cuidam scholastico, conjeci in has propositiones, quas mitto. Non video nos rebus dissentire, ratione explicandi usus sum παχυτέρᾳ *crassiori* & Scholastica. Retineo appetitionum gradus, quos rejici à te mirabar, etsi in fine addis ἐπανόρθωσιν. Misi autem eò, ut si quid in hac forma tractandi non probabis, judicium mihi tuum significes. Scis quam densis tenebris has gravissimas materias obruerint nō modo Sententiarii, ut vocantur, sed etiam veteres. Ideo nonnihil negotii est eas nunc evolvere. Etsi autem, ut Hesiodus inquit,

Πλείων μὲν πλείονων μελέτη, μείζων δ' ἐπιθήκη.
Major plurium cura, & major accessio sive incrementum.

Nec quicquam mihi hac συζητήσει *disputatione* jucundius est, cum licet candidè cum homine ingenioso & docto sine offensione animi aman-

amanter deliberare. Si responderit Eccius, etiam durius referiendum censeo, etsi sic occalluit, ut plagarum sensum amiserit. Rex Anglicus ducit uxorem sororem Ducis Iuliacensis. Misi Vito literas de rebus Anglicis, quas leges. Benè vale & rescribe. 12. Novemb. Anno 1539.

Amico cuidam.

S. D.

REverende Domine, valde delectatus sum & congressu & sermone viri docti & integri Nicolai vestri. Nam & ipsum propter eruditionem & virtutem diligo, &, cum mihi & aliis pietatem vestram in emendatione Ecclesiæ & constitutione Scholæ prædicaret, Ecclesiæ causa lætati sumus. Quid est enim melius, quam in collegiis vestris restitui & doctrinæ studia, & veram invocationem Dei & adolescentiæ institutionem? Etsi autem alii indocti & fascinati superstitione vobis propter hæc pia officia minantur, tamen non dubito, vos ita confirmatos esse, & voce divina & Spiritu Filii Dei, ut semper recta consilia sequenda esse statuatis, nec periculorum metu deserenda esse. Et tamen Deo curæ erit defensio illius parvi cœtus, quem doceri curatis, de quo filius Dei inquit, *Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis.* Item, *Angeli eorum semper vident faciem patris.* Quantum interest inter vestrum collegium & alia! In vestro sonat vox divina

divina & vera invocatio Dei, & adsunt Angeli casti, custodes vestri & adolescentiæ. In aliis, ubi dominantur hostes Euangelii, non fit vera Dei invocatio, nec adsunt custodes Angeli, itaque aliquando post vel Turcicis armis vastabuntur, vel à Centauris occupabuntur. Sed oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum custodem Ecclesiæ suæ, ut vos gubernet, confirmet & protegat, & ubique sibi æternam Ecclesiam colligat. Nicolaum vero vobis reverenter commendo, & cum rediero domum, Deo juvante aliquid libellorum ex Academia mittam. Bene & feliciter valete. Anno 1555. Nonis Octobris.

Reverendo Viro, IUSTO MENIO, *fratri S. charissimo.*

S. D.

REverende vir & charissime frater. Scripsit ad me Rector Academiæ Griphisvvaldensis, ut indicentur duo, qui linguas & Philosophica docere possint, quos velint hoc vere accersere. Hactenus enim hæc consilia lues impedivit. Indicaui Eusebium, facta & mentione tui nominis. Et ut spero rem perficiemus. Quod autem benevolentiam erga me tuam non abiicis, gratiam tibi habeo. Etsi autem melius mecum ageretur, si procul abessem, tamen & hoc verissimum est, nullam nos doctrinæ syllabam mutare aut mutasse, quam

quam quidem in eo scripto extare omnes vident, cui locorum Theologicorum titulus est. Et scio hanc esse communem sententiam harum Ecclesiarum, imo & Lutheri sententiam fuisse scio. Vicini nostri ordiuntur telam, quam si pertexent, magna certamina dogmatum etiam movebunt. Hamburgi quæstio de descensu ad inferos etiam non leve dissidium excitat, de qua conferre nos sententias oportebit, & tecum præcipuè deliberabo, mittamque proximè ea de re meas pagellas. Nicolai Galli hyperbolas & mendacia refutabo. Benè vale. 27. Febr.

EIDEM.

S. D.

DIfficilis mihi deliberatio est de mittendo gubernatore Scholæ vestræ idoneo. Nam ut Simonides dixit, χαλεπὸν γίνεσθαι ἄνδρα ἀγαθὸν ἁπλῶς τετράγωνον ἄνευ ψόγου, *difficile est esse virum bonum, quadratū, irreprehensibilem.* Ita quæro equidem τετράγωνον ἄνευ ψόγου. Sed in alio aliud desidero. Scripsi nuper de Reischachero, cujus mores magis placidi videntur, quem noster Pastor Scholæ V Vittembergensi puerili præficere cupit. Miror te de Conventu nunc aliquid spei habere, cum belli Gallici ἐπίτασις *intentio, fervor* videatur jam instare. Recens scito classem Mauri, quem vocant Barbariscum, Turcici Ducis ad Genuam feliciter superatam, multis

multis Turcicis navibus in mare depressis. Habui his diebus hospitem Pannonium, qui diu Constantinopoli & in Asia captivus servivit, ex quo historias rerum Turcicarum multas audivi. Linguæ eo die in mea cœna erant undecim: Latina, Græca, Ebraica Germanica, Pannonia, Heneta, Turcica, Arabica, Græca vulgaris, Indica & Hispanica. Benè vale. Die 18. Augusti.

Reverendo & optimo Viro, D. JOANNI AVRIFABRO, *docenti Euangelium Christi in urbe Regiomontana.*

REverende vir & carissime frater. Etsi audieram te in Patria Vratislaviæ esse, ubi doctissimorum & optimorum virorum, Cratonis, Adami, Petri Vincentii & Morebergii colloquiis frui spero, tamen hanc brevem epistolam scripsi, cum quidem me non leviter excruciet febris ἡμιαλῶ, *quotidiana, querquera*, orta à catarrho, qui mihi plus triennio molestus fuit. Dabis igitur veniam brevitati litterarum. Illustrissimo Principi tanquam moriturus commendavi doctrinam tuam, & de consensu plurimarum Ecclesiarum vero & pio scripsi. Hanc doctrinam tibi quoque commendo, & Davidem Voyt ut complectaris te oro. Spero eum nulla in re à sententia tua discessurum esse. Quæso ut, si vivam, mihi scribas quamprimum. Bene vale. Die 2. post Pascha.

scha. Gratiam tibi habeo pro aliis officiis omnibus, tum etiam pro collatis in Sickium & Daucidem.

Philip. Melanchthon brevi moriturus.

Et hæc quidem postrema fuit epistola quam in vita sua Philippus scripsit.

Edita est hæc Philippi Epistola à Pezelio, pag. 46.

Sequentes Epistolas priores VII. Philippus ex Comitiis Augustanis ad Vitum Theodorum scripsit, cum hic esset apud Lutherum in arce Coburgensi.

AD

VITVM THEODORVM, *doctorem Euangelii in Ecclesia Norimbergensi.*

I.

S. D.

MUltis modis affligimur, mi Vite. Hic consumitur omne mihi tempus in lachrymis ac luctu. A vobis etiam nihil accipimus literarum, quæ nos consolari vel maximè poterant. Et rejicitur in nos culpa. Verè affirmare possum nos sæpe scripsisse. Sed nescio quî fiat, ut non sint perlatæ literæ. Rogavi te, ut horteris Doctorem, ut scribat Landgravio. Oro te etiam atque etiam, ne desinas eum hortari. Videtur rem facturus utilem universæ Ecclesiæ & Reipubl. De nostris rebus, & quid hic fiat, scripsimus Doctori, qui tibi haud dubio

bie ostendet nostras literas. Itaque repetere nolui. Non enim multum hic nobis otii est. Vale feliciter. Postridie Baptistæ, 1530.

II.

S. D.

NOn possum verbis consequi, quanto dolore affecerint nos tuæ literæ, in quibus significas Doctorem sic irasci nobis, ut nostras literas ne legat quidem: scis quo in loco simus, quanto in periculo versemur omnes. Hic nobis maxime ipsius & consilio & consolatione opus est. Itaque hodie statim conduxi nuncium, qui istuc perferret nostras literas, & ut placaremus ipsum, & ut de certis rebus interrogaremus. Non obsignavi, ut tu legas, & recites, vel invito. De literis ad Landgravium scriptis habeo tibi gratiam, quod tandem extorsisti. Spero profuturas. Iam quidem subscripsit nobiscum in Confessione, ubi inest etiam articulus περὶ δείπνου κυριακοῦ, *de cœna dominica* juxta sententiam Lutheri. Confessio nostra est exhibita Cæsari. Is mandavit ne excudatur. Itaque cavebis ne emanet in publicum: Principes enim promiserunt Cæsari, se daturos operam ne spargatur in publicum. Pomeranus hæc officia non curat. Ideo nolo Witebergam mitti Hac in re fidem tuam nobis probabis, mi Vite. In Italia exoritur novus Luthe-

Lutherus, cujus ad te propositiones mitto. Vale. Montags post Iohannis, 1530.

III.

S. D.

MIrificè consternati sumus lectis tuis literis, in quibus significasti Doctorem nostras literas ne quidem aspicere velle. Itaque statim ad eum placandum heri scripsimus, & de nostro tabellarium conduximus. Sed fortassis antevertet eum Februarius, quare & huic dedimus literas. Vides quo in loco, quanto in periculo versemur, in maximis negotiis, ubi consilio & consolatione Doctoris nobis opus est. Ipsius autoritatem sequimur, qui si nos destituit, quid periculi consequatur, facile potes judicare. Et stomachatur nulla causa. Hic nihil adhuc fit, quod scribere referat. Nostram confessionem exhibuimus, de qua qualia facta sint judicia, sciemus cum ipsi respondebunt. Misimus tibi Confessionis exemplum, quod apud te retineas, ne emanet in publicum. Sed de ea re Doctoris judicium mihi rescribe. Vale, Montags post Iohannis, 1530.

Non obsignavi literas Doctoris, ut tu legas & vel invito recites.

IV.

S. D.

DE nostris rebus omnibus per VVellerum scripsimus, qui heri hinc abiit. Nunc tametsi nihil habebam quod scriberem, tamen nolui vacuum dimittere nuncium, ut vobis probemus nostram assiduitatem. Hodie rescivi ex Othone Beck, qui in dicenda sententia in senatu Imperii summo studio adhortari solet Principes ad pacem, Campanum illum nostrum, qui nova dogmata Torgam ante nostrum discessum attulerat, captum esse à Leodiensi Fiscali, putant & ultimo supplicio affectum esse: sed hoc postremum nondum certò scitur. Hoc dicas Doctori. Tumultus Vrbis Lubecensis præbet hic sermones adversariis, περὶ ζητήσεων, *de quæstionibus*. Cura ut mihi respondeatur. ἔρρωσο, *vale*. Augustæ, 26. Iulii, 1530.

V.

S. D.

MIsi Luthero Buceri literas, in quibus quid ille scripserit ignoro. Tantum hoc scio, quod profitetur se velle accedere ad nostram sententiam. Ego ei propositiones composui de ipsius sententia, non mea Has mitto tibi ut ostendas Doctori. Ego arbitrabar eum has ipsas propositiones missurum esse, præsertim cum affirmaret hanc esse suam sententiam. De ipsius

ipsius ore scripsi, postea venit, & exposuit se propter Oecolampadium mutasse consilium. Mihi nihil videtur candidè fieri, leges tamen Doctori. Omnino non videntur mihi quadrare propositiones illæ, quas misit, ad has quas ego scripsi de ipsius sententia. Vale. de publicis negotiis nihil prorsus possum scribere. 26. Augusti. 1530.

VI.

S. D.

DEdi nuncio V Vitebergensi literas ad Doctorem, maxime, ut occasionem vobis offerrem scribendi V Vitenbergam. Iussi enim ut expectet vestras literas nuncius. Quid hic fiat, significavi Doctori. Ἀπάτωσις *fervor negocii* videtur præteriisse. Nunc expectamus καταστροφήν, *conversionem*, quam faciat Christus tranquillam & pacatam. Res pendet in arbitrio Cæsaris, qui propediem decernet. Nam in Colloquio nostro non potuit ita convenire, ut conditiones omnes acciperemus. Et tamen arbitror tantundem fuisse periculi apud Cæsarem, etiamsi conditiones illas accepissemus. De Bucero idem mihi videtur, simulari ad tempus studium concordiæ. Et suspicor subornatum esse ab his qui nos cum illa factione semper conjungere conati sunt. Tui cives mirificè criminantur me propter restitutam Episcopis Jurisdictionem. Interim dissimulant

quid doleat ipsis, & cavillantur in nostris actionibus quædam alia de sanctis. &c. ἔρρωσο, vale. die Egidii, 1530.

VII.

S. D.

NOndum habemus καταστροφὴν *conversionem* nostrarum rerum, tametsi appropinquare videatur. Nam aut certis conditionibus pacem faciemus, aut si conditiones æquæ reperiri non poterunt, habebimus edicta atrocia, ut omnes ritus, omnia instituta vetera restituantur. Ac fortasse pacem facere possemus, si nostri essent paulo tractabiliores. Tui cives valdè reprehendunt nostram ἐπιείκειαν, *æquitatem*. Sed his, ut spero, si modo continget pax, facilè satisfaciemus. Mitto tibi exemplum epistolæ Nazianzeni, quo evocatus ad Synodum negat se venturum esse, quia nullius Synodi exitum bonum viderit. Hoc nobis de conventibus istis nostris videtur senex ille Gregorius vaticinatus. Leges Doctori. Verti enim. * Ioachimo scripseram hoc exemplum, sed quia in tergo habebat quasdam lituras, aliud illi paravi. ἔρρωσο, *vale*. x. Septembris, 1530.

* *Extat in Epistolis Philippi ad Ioach. Camerarium pag. 154.*

VIII.

VIII.

S. D.

REversus ex Nundinis invenio domi literas Capitonis, in quibus promittit venturos esse συμμύστας suos, ut voluit Lutherus, sed quia serò perlatæ sunt literæ, Lutherus petit, ut, cum Isenacum venerint, pergant usque ad Grimmam. Eò Dominicâ vocem lucunditatis pollicetur se quoque venturum esse. Ego, mi Vite, mirificè angor animo. Nihil est, nisi novum classicum majoris discordiæ. Hic morbus non potest subito curari. Sed oro Deum, ut respiciat Ecclesiam & liberet eam ab omnibus scandalis. Benè vale & rescribe. Anno 1536.

IX.

S. D.

CONstitueram in itinere & apud vos adornare Præfationem, in qua esset longa, & pene justa disputatio de Astronomia & prædictionum fide. Sed Princeps non solum remoratus est iter meum, verum etiam occupationes novas adjecit. Nam cum jam commeatum dedisset, ac pene accinctus essem ad iter, jubet me expectare aliquot dies. Postea proponit deliberationem de consilio, quæ me adhuc detinet, meque jam πρὸ τοῦ ἀγῶνος *ante certamen* implicat odiosis certaminibus, quæ ex me audies. Nam ad nundinas Francofurtenses

omnino, Deo volente, iter ingrediemur. Mitto autem qualemcunque præfationem hodie subito scriptam, in qua exordium, ut spero, de laudibus vestræ urbis tibi placebit. Utinam licuisset attexere totam disputationem. Rogo, ut horteris Osiandrum, atque ores etiam meis verbis, ut ipse addat huic libro aliquod ornamentum. Schonerus publicis studiis bene consulit hac editione. Ideo ages ei gratias meis verbis. Reverenter saluta D. Osiandrum, Erasmum & reliquos amicos. 7. Augusti 1536.

X.

S. D.

QUod faustum felixque sit, redii VVitebergam, ubi Dei beneficio Respubl. pristinum statum tenet. Tantum me nova certamina exceperunt. Cordatus urbem, vicinas etiam regiones & ipsam aulam adversus me concitat, propterea quod in explicanda controversia Justificationis dixi novam obedientiam necessariam esse ad salutem. Scis quomodo, quam diligenter hæc & quam distinctè conatus sim tractare. ἀγανακτῶ μὲν τὴν συκοφαντίαν ἄμεινον φέρεσθαι τῆς φιλοσοφίας· ἀλλὰ πειράσομαι καὶ ταῦτα πραΰνειν τῇ ἐπιεικείᾳ, πρέπουσῃ τοῖς γνησίως φιλοσοφοῦσιν, *Indignor quidem & male me habet sycophantiam & calumniam plus posse quam philosophia: sed tentabo & hac lenire ac mitigare æquitate, quæ convenit illis qui germanè philosophantur.* Vtinam

apud

apud vos sit tranquilla Ecclesia, teque rogo, ut mihi scribas quamprimum de omnibus rebus vestris. Brevi ad Joachimum mittam proprium tabellarium. Musurus laborat febri, sed sine periculo. Hoc significes D. Abbati. Nuptiæ meæ filiæ nunc apparantur, quæ utinam sint fauſtæ & felices. Novi nihil habemus, nisi quod his diebus affuit Cancellarius Luneburgensis, qui multa de Danicis rebus dixit, εὔφημα πάντα, *omnia fausta*. Rex mitti cupit aliquos de quorum consilio constituantur Ecclesiæ & Scholæ. Ex ipso Macedone ante annum audivi, Regem esse optimo ingenio, & cum prudentia singulari, tum vero eximio studio præditum benè constituendarum Ecclesiarum. Saluta meis verbis D. Bomgartnerum & D. Erasmum. 5. Novembris. 1536.

Pontificem ajunt, etiam durante bello, Synodum habiturum esse: hac de re expecto tuas literas.

XI.

S. D.

HEri scripsi ad te & ad Ioachimum, dedique eas literas nuncio Tubingensi Lusco, postea reddidit mihi tuas ὁ γραμματοφόρος Noricus, quem quidem arbitror citius ad te rediturum esse, quam Luscum illum. Mirificè delector assiduitate tua, tibique gratiam habeo maximam τέτλιξ μὲν τέτλιγι φίλος, μύρμηκι δὲ

δὲ μύρμαξ, *Cicada cicadæ amica, formica formicæ.* Sic decet inter se amare ἄνδρας φιλοσόφους, *viros Philosophos.* Quare tibi polliceor me constantiam in amicitia perpetuam præstaturum esse. De tuo animo idem mihi promitto. Τὰς δὲ φιλονεικείας, *contentionis studia,* scis alienas esse à mea natura, quas tyrannis & Sophistis relinquamus. Christus servet conjugem tuam pudicissimam, & suavissimam filiolam. Inspexi thema. Nollem Saturnum tenere μεσουράνημα, *medium cœlum.* Cætera fausta sunt. Et luna in octava, ut puto, satis feliciter posita est, etsi τὰ ἀφετικὰ, *q. carceres & loca in cœlo unde ducitur initium decursus vitalis,* sunt imbecillia. Sed Deus orandus est, ut ipse etiam juvet & tueatur eam. Significationes ingenii & morum sunt admodum bonæ. Thema tibi mittam, cum erit integrè καὶ τεχνικῶς *artificiosè* descriptum. De quæstione εἰ ἔξεστι ἀμύνεσθαι, *an licet bellum propulsare & se defendere,* respondimus idem quod significas vos respondisse. Accuratè disputata res est etiam Amsdorfio adhibito. Theses illas nosti, quod liceat uti legibus, & forma politica, quod Euangelium non tollat legem naturæ, quod lex sit injusto posita. Iam apertè concedit & natura & jus, defensionem adversus notoriam injuriam. Euangelium constitueret acerbissimam servitutem & esset politica res, si prohiberet defensionem Jure concessam. Ordinaret enim novam politiam, πυρανικὴν

νικὴν, *tyrannicam*, contrariam τῇ φυσικῇ, *naturali*. Adhæc prohibere ἡ εἰδωλολατρείαν, *cultum imaginum* Principes debent, & ἀμύνεσθαι ὑπὲρ ὁσίων, *& propugnare pro rebus sacris*. Hæc à nobis diligenter expoſita & amplificata ſunt. Ideo cenſuimus omnes, δεῖ ἀμύνασθαι, καὶ ἀπολαύνειν ἄδικον βίαν, *vim injuſtam propulſare & repellere*. Bene vale, 21. Ianuarii, 1537.

XII.

S. D.

OPinor tibi Crucigerum miſiſſe exemplum meæ Epiſtolæ ſcriptæ ad Cordatum Cynicum. Quantis me poſtea injuriis & contumeliis onerarit, non libet ſcribere. Ego, Deo volente, moderationem meam mordicus retinebo. Et tamen cum opus erit graviter reſpondebo, aſpergam etiam ſalis aliquid. Sed ſi videro illum habere applauſores, qui furorem ejus augeant & confirment, utar alio conſilio. Ego & ad reſpondendum, & ad abeundum, animo ſum parato. Adoleſcens Caſpar Hertz vocatus à matre ad nuptias, domum proficiſcitur: ſpero vos ſtudia ejus probaturos eſſe. Scribit enim verſiculos non infeliciter, & mores admodum ſunt ſuaves. Hoc velim teſtimonio ornes eum apud matrem, & propinquos. De pecunia ſignificabis an mater ſolverit: ſi non ſolvit, ego mittam, aut ſi non redibit adoleſcens, matri mittam quan-

tum in rationibus reliqui erit. Hac de re nihil sis sollicitus. Lipsiæ admodum suaviter collocutus cum D. Iulio, καὶ πολλὰ περὶ τῆς συνόδου, & *multa de conventu*. Ipse sperat fore, ut deligantur homines idonei, qui consilia utilia paci quærant. Bene vale. Lipsiæ, Freytags post Georgii, 1537.

Salutant te Lagus, Vitus & alii boni socii, qui assidebant scribenti.

XIII.

S. D.

NOn onerassem te officio illo pecuniario Brenneri, (scis enim negotium ad me non pertinere) si vel leviter suspicatus fuissem fore, ut ea res aliquam tibi afferret molestiam. Quare dabis veniam errori meo; Ero & ipse in hoc genere deinde minus officiosus. Sed si mulier non numerabit pecuniam, mittam ipse quamprimum. Adhuc enim apud nos res est integra. Casparum mater fortassis alio missura est. Quod si id habet consilii, eam puto esse causam, cur solvere noluerit. Significabis igitur mihi, quid post adolescentis adventum ad vos mater egerit. De Synodo miror te nihil scripsisse, cum quidem aliquanto magis ad nos Synodi auspicia, quam res Gallicæ, pertineant. Nos nihil novi habemus. Ego nuper apud Marchionem Ioachimum fui, accersitus ut de instauranda Schola Francofurdiana deliberaremus,

remus. Affirmabat ſeipſum profecturum eſſe ad Synodum, quam primum audiſſet Cæſarem in Italiam veniſſe, & Synodum inchoatam eſſe. Summam contentionem adhibiturum ſe ajebat, ut rem mediocribus conditionibus ad ocium & pacem deduceret, ne bellum in Germania, præſertim tali tempore, moveretur. Laudo animum Principis. Ψυχρὰ ἡ ἐλπὶς ἐστι, *frigida ſpes eſt.* Nec me tantum hoſtium rabies, ſed etiam noſtra vitia terrent. ac ſæpe mihi venit in mentem illa vox Periclis, quæ eſt in ejus ultima concione apud Thucydidem, libr. 1. μᾶλλον πεφόβημαι τὰς οἰκείας ἡμῶν ἁμαρτίας, ἢ τὰς τῶν ἐναντίων βουλάς, *magis metuo propria peccata noſtra, quam hoſtium conſilia.* Quid reſponderint Sacrificuli Auguſtani ad ſcriptum civitatis, vidi. Nec me pœnitet non eſſe profectum Auguſtam, cum quidem recens iterum me invitarint. Meos æmulos hîc ſtudeo equidem placare omni officii genere. Sed quantum proficiam, neſcio; plane ſunt χωλαὶ αἱ λιταὶ, *Litæ (i. preces, ſupplicationes) Deæ claudæ*, ut eas pingit Homerus. Sed ſi ſenſero odium creſcere, meminero Hippocratici præcepti: γῆν μὲν ἀμείβειν σύμφορον, ἐπὶ τοῖς μακροῖσι νοσήμασιν, *terram (& ſic aërem) mutare confert in magnis morbis.* Sed hæc aliàs. Bene & feliciter vale, teque cum honeſtiſſima conjuge & dulciſſima filiola oblecta, & memineris Encomion plenum pietatis, quod eſt apud Solomonem

nem de conjugio: *Caprea suavissima & Hinnulus dulcissimus*. Talis sit domestia conjugum suavitas. Nam in Repub. quid est, quod homini cogitanti de dissipatione Ecclesiæ, non afferat summos dolores? Illud te rogo, ut aliquod bellum & eruditum scriptum instituas contra Mustelam περὶ μετανοίας, *de Pœnitentia seu Resipiscentia*. Nam is locus facilè splendescit, & convinci in ea re facile potest. Amabo te, suscipe hunc laborem. Iterum vale. Die Ecliptico, Mense Maio, anni 1537.

XIV.

S. D.

EQuidem studeo omni officio tueri concordiam nostræ Academiæ. & scis in hoc genere me etiam artis aliquid adhibere solere. Nec hostili animo videtur in nos esse Lutherus. Heri etiam admodum amanter de his controversiis mecum collocutus est, quas movit Quadratus, cum quidem ego disputarem, quam tragicum spectaculum futurum esset, si velut Cadmei fratres inter nos ipsi depugnaremus. Itaque quæ potero mitigabo, quam ad rem opus est persæpe illo Theognidis remedio: πολλά με ξυνιέντα παρέρχεται, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης σιγῶ, *multa me etiam intelligentem transeunt, sed præneceßitate taceo*. Alioqui enim magnopere optarim eos articulos, de quibus quædam videtur esse dissimilitudo, diserte & utili-

utiliter explicari. Scis me quædam minus horridè dicere, de prædestinatione, de assensu voluntatis, de necessitate obedientiæ nostræ, de peccato mortali. De his omnibus scio re ipsa Lutherum sentire eadem, sed ineruditi quædam ejus φορτικώτερα *importuniora* dicta, cum non videant quo pertineant, nimium amant. Nec ego cum illis pugnandum mihi duco. Fruantur suo judicio. Mihi tamen concedant homini Peripatetico, & amanti mediocritatem, minus Stoicè alicubi loqui. Habes summam negotii. Nam odia nulla esse puto, & si qua sunt, erumpent. Et ego, Dei beneficio, ita sum paratus, ut decreverim æquo animo ferre, etiamsi qua erit accipienda plaga. Ac profectò me harum literarum in quibus mediocriter versor puderet, si æquabilitatem animi excuti mihi his molestiis paterer, præsertim cum exempla omnium ætatum me admoneant, quæ tempestates exceperint bonos & doctos viros in rebus publicis. de Mustela non desino te hortari, δοκεῖ γὰρ αἰσχρὸν τοῖς ἡμετέροις σιωπᾶν, καὶ γαλεὰν ἐᾶν λέγειν, *videtur enim turpe nostris tacere, & Mustelam sinere loqui.* Agnoscis veterem versiculum de Isocrate. Et profectò prodest Ecclesiis rabiem ejus compescì. Ipse quidem Mustela nihil de Pœnitentia scripsit, sed ante triennium opinor libellum edidit de Iustificatione, in quo satis Thrasonicè ostentat suos hebraismos, cum quidem

Germa-

Germanicè scribat. Antea scribens contra Ionam attigit quædam περὶ μετανοίας, *de Resipiscentia*, ubi insulsissima dicit. Sed tibi nihil opus est in illius intueri libros. Demosthenico exemplo institues peculiarem Oeconomiam causæ. Et titulus de Pœnitentia commodior est, quàm de Iustificatione, sæpè enim animadverti nostros cum de pœnitentia dicitur, æquioribus animis audire ἐγκώμια τῶν ἔργων, *laudes operum* quam cum putant de Iustificatione dici. cum hi loci planè sint ἐκ γάτόνων, *vicini*, ut Græci dicunt. Delineabo tibi summam operis. volo enim te Germanicè scribere, & adhibere nitorem oratorium, quod eò facies accuratius, ut ad hæc certamina te præpares. Sed meis æmulis parcere te volo. Sic ages causam, ut luceat ingenuitas, & appareat te alienum esse à Sophistica & ab illis artificiis, quæ nimium amat hæc ætas, & ego contra naturam meam didici. Benè vale. 22. Iunii, Anno 1537.

XV.

S. D.

HEri Matthias Illyricus iter ingressus est, profecturus Tubingam, & dedi ei manè epistolam ad te, postea accepi tuam de classe Gallica Corcyram petente. Tua assiduitas in scribendo, per mihi grata est. Quod vero etiam significas te dolere vicem meam, agnosco sæpe antea perspectum mihi candorem animi tui, tibi-

tibique gratias ago. Sed magis reipubl. causa, quam mea doleamus. Non enim expedit reipubl., confirmari petulantiam Sycophantarum. Et ego me, Dei beneficio, optimorum consiliorum & rectissimæ voluntatis conscientia sustento. Heri intellexi scriptos articulos mihi proponendos. Sed certi nihil habeo, est enim mirifica occultatio. Removentur ab his sermonibus & consiliis omnibus non modo illi qui mihi putantur amici, sed etiam parum vehementes existimantur. Ego maximè opto, ut si succensent, ingenue & aperte mecum expostulent. Itaque hodie congessi sylvulam defensionis. Et de meis consiliis dicam, cur quædam in dogmatibus putaverim explananda esse diligentius, ut ἀμφιβολογίαι καὶ ἀκυρολογίαι *ambiguitates & impropriæ locutiones* tollerentur, quæ sunt plenæ periculorum. Ostendam quæ incommoda ἀκυρολογίαι pepererint, dicam etiam quare putarim quædam esse mollienda. Addam quos habuerim propositos fines: Videlicet, non ut novæ Sectæ autor essem, aut viderer σκιαμαχεῖν καὶ λαθέρα, *velitari (umbratili certamine, velut umbram oppugnando contendere) contra Lutherum.* Sed ut hæc duo efficerem, ut exstaret ad utilitatem adolescentiæ proprie & simpliciter explicata doctrina Christiana. Item ut ceterarum artium studia adjuvarem. Hæc duo opera omnium humaniorum esse pucherrima, atque optima esse duco

φιλοσο-

φιλοσοφικά. Excusabo & illud, quod meæ sententiæ in publicis consiliis fuerint moderatiores. Nunquam enim tyrannicè propugnavi meam opinionem, sed quod Principes decreverunt communi consilio, secutus sum, ut fieri debet in Aristocratia. Prodest autem in deliberationibus conferri plures sententias, prodest & illud in republ. vehementibus adjungi timidiores, sicut in cœlo motus contrarii sunt, ne qui nimis sint præcipites. Hac enim similitudine Plutarchus utitur. Hæc atque alia multa, si me vocabunt, Deo dante commemorare decrevi. Dicam de conspiratione indoctorum, qui me tantum propter Philosophiam oderunt. Quæ potest illustrior causa ulli pro se dicendi contingere, quam hæc est? Ne quidem περὶ στεφάνου *de Corona* splendidior est. Itaque scito me æquissimo animo expectare expostulationem. Fortassis enim aperta collocutio sanabit totam offensionem. Quæ si non profertur, tacitis suspicionibus alitur & confirmatur. Hæc scripsi prolixius. Nihil enim aliud jam cogitabam. Volo autem & apud te exstare has literas tanquam meæ voluntatis in re tanta testimonium. Etsi tu habes alia testimonia illustriora propter nostram familiaritatem. Tibi mea vita omnesque meæ actiones, sermones denique præcipui noti sunt de rebus maximis. Hanc epistolam poteris Hieronymo Baumgartnero ostendere & Michaeli. Benè vale. 13. Octobris 1537. XVI.

XVI.

S. D.

VTinam, Vite, liceret amanter & liberè colloqui de illa quæstione, quâ mihi proponis, quæ ut prospicere facilè omnes possũt, longè alias tempestates excitabit ad posteros quã quales excitarunt hactenus. Quid autem agunt οἱ ἐν πολ, *Magistratus*? An voluptati eis est relinquere materiam ingentium certaminum ac bellorum ad posteritatem? Sed nec publicè nec privatim licet ulla de re simpliciter jam conferre cum quoquam. Sic sunt exulcerati animi, plena sunt suspicionum & odiorum omnia. An tu collegam tuum (*Osiandrum*) leni animo passũrum existimas, si quis quamlibet simplici studio interroget, cur illam propositionem asserat, quam Papistæ etiam mirarentur? Huc scripsit vestrum illum, quisquis est, qui litigat de elevatione symboli, prorsus Nestorianum esse. Nec addit cur hoc scribat. Nestorius affirmabat divinam naturam ita adesse Christo, ut assisteret, non ut esset unita humanitati, unitate personæ, hoc est, re ipsa defendebat Samosateni delirium, sed quodam involucro tegebat, conjunctionem τῇ ἐνεργείᾳ *operatione*, non τῇ ὑποστάσει *substantia*, esse imaginabatur. Etsi autem non patrocinor vestro ἀντιδίκῳ, *adversario*, tamen suspicor alterum ideo hæc scribere, quia similem conjunctionem panis &

Christi facit, ut est divinæ naturæ & humanæ in Christo. Sed erro fortassis, & mihi hunc errorem eximi facilè patiar. Cum ipso rixari nequaquam volo. Queritur Diodotus apud Thucydidem, dicturus contra Cleonem, deterreri alios à dicenda sententia Cleonis violentia, & addit χρὴ τὸ ἀγαθὸν πολίτην μὴ ἐκφοβοῦντα τὸς ἀντιροῦντας, ἀλλ' ἀπὸ ἴσου φαίνεσθαι, ἄμεινον λέγοντα, *Debet civis bonus non absterrere alios à contradicendo, sed ex pari loco demonstrare se meliora dicere.* Id maximè servari in Ecclesia oportuit. Sed quid fiat, res ostendit. Mihi quid accidit, nihil novi molienti, sed optimo consilio & studio quædam diligentius ac magis propriè explicanti? Amsdorfius Luthero scripsit, viperam eum in sinu alere, me significans: omitto alia multa. De hac ipsa materia μυστηρίῳ *Sacramenti* aliquoties cepi cum nostris colloqui. Meminisse te puto, quam atrociter de me suspicati & locuti sint. ὁ διδάσκαλος *Doctor, i. Lutherus*, dixit, se potius omnes veteres scriptores, omnium testimonia repudiaturum esse, quam mutaturum suam sententiam. Ego vero non postulo mihi credi. Quid sensisset Ecclesia, non alienum putabam inquirere. Et tamen ille tantum Synecdochen facit in hac propositione, ὁ ἄρτος ἐστὶ σῶμα. *Panis est corpus.* Non igitur vult panem esse Deum, non jungit nisi ut Sacramentum, sicut aderat ad arcam Deus, & ad arcam adorabatur. Tantum

tum largitur. Nec velim addi plura, etsi illud etiam spectandum est, Sacramentum in usu consistit, manducanti exhibetur corpus, & in usu adest Christus, quare scis reprehendi Papistas, qui cum inclusionem imaginentur, postea asservant, circumferunt, ostendunt, jubent adorari. Ibi ne Lutherus quidem concedit adorationem. Itaque si Synecdochen retinemus, idque in usu, adoratio fit, ut ad arcam, directa non in panem, sed in Christum, qui se pollicitus est in nobis efficacem fore. Mihi semel quærenti de adoratione respondit Lutherus, posse & ad Baptismum fieri adorationem, quia Deus alligasset se suis signis, ibi quæri vellet. Recensui quæ nostris esse existimo consentanea, & quæ nimium habent absurditatis. Nuper cum adesset Macedo, mecum locutus est de adoratione. Viderat enim hunc morem in nostris templis. Respondi ingenuè, hærere apud nos hunc morem, propter hypothesin, quam defendi à nostris sciret, etsi hanc quoque populus incommodè intelligit. Plura hac de re non possum scribere, sunt enim ut vides intricata & involuta. τὸ γὰρ σοφὸν, σαφὲς ἐστί, *quod sapiens, idem & perspicuum*, inquit Euripides. Utinam de tota re deliberarent Principes, adhibitis etiam exterarum gentium doctis & piis hominibus, ac domesticos affectus tantisper seponerent. Propemodum liquet, quid vetus Ecclesia senserit,

nec magna controversia relinquitur, si ponatur Synecdoche in usu. Ideo hac mollissima interpretatione fui contentus, & reliquas disputationes libenter præcidi. Sed mihi crede, Hæc contentio nequaquam est δὲ κείμενον καλὸν, *malum bene positum.* Paulo post ingentes motus iterum excitabit. Quos gemitus esse piorum ubique terrarum propter hanc dubitationem existimas? Sed desino Nec tamen recuso hac de re plura tecum disputare, si de tuo judicio aliquid mihi significabis. Nec me reprehendi ægrè feram. Ideoque jam ab epistola sejunxi historica, quæ tibi significo, quod malo epistolas in disputationibus eruditis consumere. Illa ἀκοὰς, *audita i. historica*, deinceps mittam breviter in commentarios conjecta. In Epistolis disputationes, judicia, studia, affectus, querelas complectimur: in his, ut in schola, vel ut in Synodo sententias dicimus. In commentariis verò leges illas διηγήσεις, *narrationes*, quas etiamsi scire opus est, tamen alia sunt interiora. Expecto igitur vicissim à te utriusque generis scripta, teque volo mihi respondere αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, *eadem mensura & uberius.* Nam posse te animadverto, & candore tuo ac fide delector. Benè vale. 22. die Martii, 1538.

XVII.

XVII.

S. D.

VIdisse te opinor novam editionem Epigrammatum Lemnii, quæ sunt aucta plaustris convitiorum. Sed cum manifestus furor sit, etiamsi stultis præbet voluptatem, tamen nemo sanus leget sine stomacho. Optarim initio dissimulatam fuisse injuriam nec hominem furiosum irritatum. Aliquid nunc respondebimus. Verum tu majorem curam mihi injeciisti editione Psalmi, ubi inseris quædam, de causa sine qua non, & de causa, ut tu loqueris, secunda. Quid dicent nostri Critici, seu potius Sycophantæ? Te in meam gratiam depravasse Lutheri enarrationem. Crimen falsi objicient. Ipse, sive sic dixit, sive non dixit, edet violentas propositiones, & volet delere & evertere illas causarum appellationes. Omnino expecto novam tragœdiam. Deinde scis eum liberè & ἀπέχνως, *& inartificialiter* uti talibus appellationibus. Nec satis τεχνικῶς, *artificialiter* explicata res est, cum dicis, etsi tota res pendet à misericordia, tamen agnitio peccatorum est secunda causa remissionis. Hæc sunt perplexa. Rectius illud erat, solum misericordiam esse causam efficientem, propriam & immediatam remissionis, sed agnitionem esse aut præcedens quiddam, aut certe causam οὐν οὐκ ἄνευ, *sine qua non*, ut ego

loquor, ſed cauſam ſecundam nemo ſic appellat. Sunt enim cauſæ ſecundæ propiores & immediatæ partiales. Eſt igitur ὑποσόλοικον, *aliquo modo ſolœcum* erratum, quod etſi leve eſt, tamen nobis pariet novos tumultus. Qualis fuerit cum adeſſes, δουλότης *ſervitus*, meminiſti. Et tamen hunc ſcito nunc multo eſſe factum duriorem. Ideoque ego hanc ἐχεμυθίαν, *vocis compreſsionem, ſilentium*, Pythagoricam certo conſilio aliquandiu præſtiti ne præbeberem occaſionem tumultibus. Hæc duxi tibi ſignificanda eſſe, ut in poſterum ſis cautior, ac omnino velim te ejus enarrationes, niſi prius ipſi miſſas, non edere. Senſi ei editionem οὐκ ἀρέσκειν, *non placere*. Cogites velim Homericum verſum, δεινὸς ἀνὴρ ταχὰ μὲν καὶ αἰναίτιον αἰτιόωτο, *Vehemens (ſævus) vir facile & inculpabilem culparit*. Hæc ſcribens audiebam te adverſa valetudine conflictari, quod etſi ſpero nihil eſſe periculi, tamen novam mihi ſollicitudinem attulit, teque adhortor ut & artem & ea quæ ſunt à Philoſophia petenda ad tuendam valetudinem adhibeas, Deumque oro, ut te ſervet. Bene vale. 6. Octob. 1538.

XVIII.

S. D.

HIc Juvenis, cui has literas tradidi, Presburgenſis eſt, ſingulari præditus ingenii ſuavitate atque eloquentia. Scribit enim ſolutam

tam orationem & versus nitidissimè. Nostra familiaritate multum usus, quare cum de tuo ingenio amanter sentiat, quod à me sæpè prædicari audivit, petivit ad te literas, ut in hoc itinere te salutaret. Quæso, ut eum amanter excipias. Scripsi ad te ante triduum, de causa secunda, ἐξ ὧν οὐκ αὖθ, *& sine quibus non.* Ne dubita, quin ea disputatio paritura sit nobis odiosissimam tragœdiam. Incendetur noster tuo verbo, quo usus es, cum dicis, sic loqui eruditos. Videor jam vultus videre, & illas tragicas amplificationes καὶ ὑπερβολὰς, *exaggerationes* audire ea de re. Quare mihi scribes quid ab ipso dictum sit. πολλάκις σημαίνει τὴν παλαιὰν ὀργήν, *Sæpe ostendit & prodit veterem iram.* Benè vale.

XIX.

S. D.

RIdes fortasse meas sollicitudines, περὶ αἰτιῶν, ὧν οὐκ αὖθ, *de causis sine quibus non*; de quibus antea ad te scripsi. Ea de re, dum nuper inspicio scriptores Scholasticos (nam initio quarti sententiarum in prima quæstione de hac ipsa appellatione disputant, quamquam non satis explicant) tamen miratus sum judicium quorundam, qui senserunt Meritum tantum esse causam sine qua non. Hi mihi perquam verecundè locuti videntur. Apud Galenum annotavi duos locos. Sic enim ait in 3.

de differentiis symptomatum, τὰ ἢ οὐδὲν εἰσφερόμενα, μὴ χωελζόμενα ἢ τ εἰσφερομένων, ἃ, ὧν οὐκ ἄνευ λόγον ἐπέχει, *quæ nihil conferunt, nec tamen à conferentibus separata sunt, causarum sine quibus non rationem habent.* Et in tertio Therapeutices non procul à fine ponit, tres gradus causarum, & dicit mundiciem ulceris esse causam, ὧν οὐκ ἄνευ, *sine quibus non* sanationis, nominat etiam in primo de usu partium. Sed nominat tantum. Eccius ait se in suis Philosophicis explicare quid sit causa, ὧν οὐκ ἄνευ, *sine qua non.* Nusquam hic sunt Ecciani libri in Aristotelem scripti: si isthic invenire potes, rogo ut quæras locum, fortassis est in secundo Physicorum, aut in libris de Anima, de Visu, mihique descripta ejus verba mittas. Videre cupio quid dicat, etsi πρᾶγμά ἐστι παιδαριῶδες, *res est puerilis*, sed tamen sæpe accidit illud Theocriteum, ὁ στίχον ἐστὶ τὸ τύμμα; ἢ ἀλίκην αὐδρα δαμάσδει; *quantula plaga est? & quantum virum domat?* Aleandrum esse in Germania certum est: quid adferat, ubi audieris, scribito, & quidquid audieris. Benè vale. 19. Novembris, Anno 1538.

XX.

S. D.

NOvum mihi hic certamen pepererunt propositiones περὶ τῆς ἐπιθυμίας, *de cupiditate.* Nam Amerbachus, quia sibi gloriosum ducit,

ducit, mecum certare, taxat partitionem appetitionum, quadam cavillatione vocum. Est recens Aristotelicus, καὶ αὐτοδίδακτος, itaque interdum aberrat. Sed hunc facile placabo. Quid isthic judicarit Osiander, scire cupio, quare te etiam atque etiam rogo, ut & illum quantum potes omni artificio nobis places, & mihi significes ejus voluntatem ac judicium. Velim inter nos non solum συγκρητισμὸν, *consensum* esse, ut Græci dicebant, sed veram ἀγάπην, *dilectionem*, ac fuci nesciam, quæ quidem æquo animo fert amicum disputantem; Mihi gratissimum est cum bonis viris amanter de talibus materiis disputare. Liberi Doctoris Sebaldi apud me sunt, quod dices eorum amitæ. Deum oro, ut eos servet. Ego admodum imbecillis sum. Tu feliciter vale. 27. Novembris, Anno 1539.

XXI.

S. D.

MItto tibi Lutheri αὐτόγραφον, *ipsa ejus manu scriptum*, in quo est forma ἀπολύσεως, *absolutionis*, qua, si voles, uti poteris. Arbitror autem tibi licere qualicunque forma uti, modo ut recta sit. Si de forma tantum disputaret collega, facile posset tolli dissidium. Sed postquam non habebit quod in forma reprehendat, redibit ad caput & fontes negotii. οἶδα γὰρ τὰς μελαγχολικὰς φύσεις, φιλονείκους καὶ ζητήσεις.

τούσας τῶν ἐρίδων ἀφορμὰς, *novi naturas melancholicas, contentiosas & querentes contentionum occasiones.* Nolim igitur eum irritari. Scripsimus de Cæsaris deliberationibus ad vos, sed ex aula ad vos ea Epistola mittetur, nisi mutent consilium. Mitto tibi declamatiunculam de latrone in cruce concionante, quam his diebus scripsi. Pateram, cum tuto id facere poteris, curabis exhiberi Sixto Oelhafio. Commendo eam tuæ fidei. Nam decrevi ad certos usus vendere. Habeo ὀπαδὸν φιλοσοφίας πενίαν, *pedisequam Philosophiæ paupertatem*, & fero æquo animo. In Galliis recens tres combusti sunt propter doctrinæ veræ confessionem Lugduni. Audio & fugisse duos Episcopos & Comitem, quosdam magnos viros antea rectè sentientes, nunc alienatos esse. Vides temporum Machabaicorum similitudinem. Deus gubernet nos. Iterum vale, pridie natalis mei. 1540.

XXII.

S. D.

SPero convalescere jam & honestissimam conjugem tuam, & dulcissimos liberos, Deumque oro, ut familiam tuam servet. De genere morbi præsertim absens, non sumo mihi judiciũ. Et habetis Medicos peritos. Sed sive est matricis adfectus, ut ego potius existimo, sive stomachi, medicina aliquid opis adferre potest. Mea conjunx laborat Epatis imbecillitate,

te, ut vereor, immedicabili, quæ si eripitur filiabus, præsertim cum & ego diu superstes esse non possum, prospicio illas matre orbatas, miserrimas fore. Sed hæc, mi Vite, quoties cogito, agnosco impressa vestigia serpentis, omnibus humanæ vitæ partibus, qui quidem cum sit hostis filii Dei, præcipue in ipsius Ecclesiam grassatur. Sed scis missum esse filium Dei, ut caput serpentis conterat. Ideoque Ecclesia infirma est, ut conspici potentia filii Dei possit, dimicantis pro Ecclesia, qui cum velit nos à se petere & expectare auxilium, hac nos consolatione sustentemus. Deinde cogitabis & illud, jam te verè maritum esse, cum ægrotanti conjugi servis. Sæpe ex animo indignor, scis enim me esse ὀξύχολον, *iracundum*, *celeris sed brevis iræ*, quod etiamsi vitiosum Stoici putant, tamen fateor. Verè igitur irascor quibusdam μισανθρώποις, *homines exosis*, qui singulare sapientiæ genus esse putant, despicere fœminas, & vituperare conjugia. Sit sane sua sexui fœmineo infirmitas, ut sunt in viris etiam vitia. Sed hic intueri nos convenit Dei voluntatem, qui societatem maris & fœminæ instituit, huic pareamus, & cogitemus debere nos adfici cura alterius sexus. Amemus igitur, ornemus & tegamus eum sexum, & si antecellimus robore, id non in despiciendis fœminis, sed juvandis declaremus. Hæc virtus digna est viro intelligente jura societatis divinitus institutæ. Et

quan-

quanquam hæc officia multi duri negligunt, tamen Deus prospicit fœminis. Ut aviculæ connubiorum & procreationis causa nidificant, sic non virorum, sed mulierum & puerorum causa conditæ sunt & munitæ urbes, & suscipitur tam multiplex labor earum regendarum & defendendarum. Quoties igitur domum, quoties mœnia aspicies, cogitabis, cum hæc condita sint propter puerperas ac matres, has quoque præcipuè amandas & complectendas esse. Quod si Deus mirabili consilio tuæ puerperæ tantum addidit adminiculorum huic serviunt Imperia, magistratus, opifices tecta, mœnia, arces; non pigeat te quoq; suscipere aliquam partem communium officiorum. Postremo cum imago sit conjugium amoris filii Dei erga Ecclesiam, admoneat te domestica consuetudo filio Dei Ecclesiam languentem & parturientem sic curæ esse ut tibi hæc tua puerpera curæ est. Hæc quamquam scio tibi satis meditata esse, tamen quia eram otiosus collegi, quod hoc genus sermonum tali tempore non solet ingratum esse, nec dubito, quin hæ cogitationes & studium curandæ conjugis, & amorem augeant, & leniant tædium domesticarum difficultatum. Sæpe jam apud animum meum institui ideam historiolæ, in qua Heroidum exempla congerere statui, quæ magnas ærumnas singulari pietate & robore animi tulerunt. De eo argumento

mento me domestici casus admonuerũt. Nam filiæ meæ virtus nonnullam mihi levationem attulit accerbissimi doloris, quem ex ejus calamitate accepi. Et quidem ipsa me aliquando jussit aliquanto fortiore animo esse, quia decreviſſet in his miseriis Deo parere, qui utinam & illi & tibi & nobis omnibus opem ferat adversus hostem Diabolum, & det vera ἀλεξιφάρμακα, *remedia morbos depellentia*, contra venenatos morsus ejus serpentis. Si possem illam Heroidum historiam pertexere, sperarem gratam & utilem lectionem multis fore. Hic annus eripuit Reipubl. multos claros viros Budæum, Eobanum, & plerosque alios, etiam amplissimum spe juvenem VVolfgangum ab Einsidel, qui jam ad rempubl. accesserat præclarè instructus & à natura & à doctrina. Expectas haud dubie quid de conventu scribam. ἱππεῖς ἱππεύειν ἐδάη καὶ ἀοιδὸς ἀείδειν, *Eques equitare didicit, & Musicus sive Cantor canere.* Deliberant jam totos octo dies de ordine disputationis Equites & nescio qui Canonici, alieni à nostris studiis. Horum ineptias recensere piget. Benè vale & rescribe. VVormatiæ, die 27. Novembris 1540.

XXIII.

S. D.

LEgi ea, quæ περὶ τῆς αὐτοκράτορος πραότητος *de clementia & mansuetudine Imperatoris* 400

ris scripsisti, ac Deum precor, ut ejus animum ad veræ Ecclesiæ salutem flectat. Laudo civitatis vestræ consilium, quæ τὸ αὐτοκράτορα *Imperatorem* sibi conciliare honestis officiis studet. Et profecto optarim idem facere alios, qui & possent & ambiuntur. Sed hæc aliàs. Est hic juvenis Budissensis Iohannes Rotsheit, modestus & benè literatus, is quærit aliquam domesticam pædagogiam apud vos. Valdè mihi gratum feceris, si curabis ut habeat aliquem patronum: polliceor in officio futurum esse: teque rogo, ut hanc curam mea causa, seriò suscipias. Mitto tibi duas oratiunculas, in quibus animadvertes signa quædam earum curarum quibus nunc exerceor. Benè vale. De meo itinere ad conventum scribam, cum habebo aliquid certi. Die 6. Martii, anno 1541.

XXIV.

S. D.

LAudo civitatis vestræ consilium quæ Deo tribuit, quod sibi jussit tribui, & Cæsari, quod est Cæsaris. Nostris omnia essent expeditiora, si civilibus officiis mediocribus gratificari τῷ αὐτοκράτορι *Imperatori* studerent. Hæc ratio & honestior & utilior esset, quam infida & sumptuosa fœdera, quæ profectò sunt scopæ dissolutæ. Sed non tantum hac in re consilia τῶν κενταύρων *centaurorum* reprehendo, magis displicent hæc quæ moliuntur in conventibus.

Pri-

Primum quid est ineptius & periculosius, quam quod instituunt has conciliationes, quæ nullæ fieri possunt, nisi fucosæ? Cur non ingenuè profitentur, se hæc quæ sunt in Confessione sentire, & reddituros rationem vel in Synodo, vel poscenti Imperatori, vel in quocunque legitimo judicio? Hoc consilium erat rectum & dignum viris. Quibus jam curis excruciari me existimas, prospicientem animo technas, sycophantias, sophismata, quibus vel Principes ipsi, vel eorum Theologi nobis insidias struent? Et noster Paris * favet his consiliis, non solum metu, sed quadam ingenii pravitate Alcibiadea. Degustávi sensus quorundam nostrorum in urbe Vangionum, quare si videro opus esse, vel solus palàm & apertè nostrorum perfidiam accusábo, & profitebor meo loco quid sentiam. Sed hæc fortasse coràm. Spero enim te ad nos venturum esse Ratisbonam; Nos quod faustum felixque sit, iter post triduum ingrediemur. Mitto tibi conciunculas duas, in quarum altera, quæ perstringam, facilè divinabis. Planè erramus nos Scholastici, qui cum sit nativa discordia inter tyrannos & Philosophos, fœdera nobis cum illis esse posse arbitramur, aut illos posse istam μεσοτητα της αρετης, *mediocritatem virtutis*, quam laudant Peripatetici, sequi aut tueri. Quoties tibi dixi, impendere mihi philosophicum exitum? Meus pater veneno periit, quod

quod datum putabatur per Paridis patrem. Me filius perdit, non tam illa sua domestica causa, quam hac nova Sophistica, quam nunc exercet. Meministi Demosthenem à Caricle, Ciceronem ab Augusto proditum. Hæc sunt usitata, nec privato periculo moveor: De Ecclesia sum sollicitus, quam Deo votis assiduis commendemus. Est apud Vergerium Episcopum Iustinopolitanum, Gallicum Legatum, quispiam Iohannes Fraxineus Gallus, ad quem mitto Epistolam ei inscriptam. Benè vale, die 9. Martii, anno 1541.

* *Paris, id est fax & concitor horum dissidiorum, ut iste belli Trojani.*

XXV.

S. D.

GRatum mihi feceris, si præsertim in hac vicinia, usitatam in mittendis literis assiduitatem præstabis, etiamsi ego paria tecum hoc tempore Διὰ τὴν θλᾶσιν τῆς χειρὸς *propter contusionem manus* facere non possum. Nosti enim Hesiodi versiculum, in quo dicitur καὶ λώϊον ἄϊκε δύνηαι, *& melius si queas*. Non possum sine cruciatu gubernare calamum. Quid sum nisi vivum cadaver, amissâ hac arte scribendi, quæ literis, & reipub. serviebat, & amicis jucunda erat? Nec vero ego ipse ulla alia ex re, quam ex componendi labore majorem voluptatem capio. Sed oremus Deum, ut faciat nos

nos ὄργανα χρήσιμα τῇ ἐκκλησίᾳ, *instrumenta utilia Ecclesiæ.* Quæ fuerit Caroli Imperatoris oratio ad Conventum, de conciliatione Ecclesiarum, & de propulsandis Turcis legisse te opinor. Imperator ostendit, se delecturum certos Principes ac fortasse doctores, qui περὶ τῶν Δόγματων, *de fœderibus seu pacificatione* deliberent. Res est, ut vides, plena periculi. Itaque nostri biduum jam rixantur inter sese. Duriores volunt pertexi Wormaciensem disputationem. Alii malunt permitti Imperatori, ut nova ratio ineatur, qui fortassis bene secum agi putant, si quoquo modo ex periculis se evolvant. Nec reguntur hæc Scholasticis consiliis, nec me propter suspiciones nostræ aulæ admisceo. Sed Deum oro, ut ipse gubernet bonorum mentes. Misi tibi quædam Poëmata, & ea quæ nobis Græcus ille tuus respondit, satis inerudita, de his velim mihi rescribas. Cum Wormaciæ essemus, dedi Grynæo petenti Biblia mea, postea emi Argentinensem editionem, quæ adeò mendosa est, ut rursus Petreii editionem requiram. Witebergæ deerant exempla. Quare mihi à Petreio emes unum exemplum, pretium mittam. Utinam apud vos essem, ubi chirurgum habere peritiorem possem. Nam hic duriter excrucior, & quantum proficiam curando, nondum judicare possum. Doctor Magebuch aliquid opis adferre potest. Nam junctura non est luxata,

nec ruptus radius aut vena, sed magna quassatio facta est, quæso audias quid videatur Doctori Magebuchio. Benè vale. Die 8. Aprilis, 1541.

XXVI.

S. D.

MUltæ me hortabantur causæ, ut iter ad vos facerem, discedens ex conventu. Nam & tabescenti dextellæ quærendi erant Medici, & ipso urbis vestræ aspectu delector, quam amo ac judico unam esse ἀριστοκρατίαν, *Optimatium remp.*, & artium & virtutis domicilium. Sed quædam me subita mœstitia oppressérat, ut solitudines potius, quam hominum congressus quærerem. Nunc igitur per literas agenda sunt, ea quæ coràm petiturus eram. D. Pomeranus pastor nostræ Ecclesiæ me rogavit ut sororis suæ filio quærerem pædagogiam Argentinæ. Nam adolescens quodam juvenili impetu cupiebat in ea urbe vivere. Fui dissuasor. Nam adolescens offendisset alicubi voluntates hospitum, reprehensione τῶν ἐκκλησιῶν, *Ecclesiarum*. ξένον δ' σιγᾶν δεῖ καὶ μὴ κεκραγέναι, *peregrinum tacere decet & non clamare*, ut inquit versiculus. Censuit igitur Noribergæ ei quærendum esse locum. Dixi non defutura ei amicorum in eo loco officia & studia, ac curæ fore D. Hieronymo, Osiandro, tibi & aliis, ut gratificentur ipsi. Nunc igitur

igitur abs te peto, ut adolescentem commendes cæteris amicis, ac ei quæras ipse pædagogiam aliquam. Nosti quam sedulo agat D. Pomeranus, quod semel instituit. Ideo hic intendes nervos. Eram etiam tecum coràm de tuis concionibus collocuturus. Expertus es jam in conventu Senatus vestri constantiam & gravitatem. Etsi igitur ut alibi, ita apud vos dissimiles sunt voluntates, tamen hoc te, mi Vite, tribuere studiis meliorum velim, ne ἐπὶ βαλὴν λοιδορίας, *Senatum conviciis* oneres. Vides etiam Homericos oratores Nestorem & Vlyssem aliter Principes castigare, aliter vulgus. Sed tamen cælestis sermo pariter utrosque doceat & castiget. Id fieri potest etiam si ea fuerit adhibita orationis lenitas, quæ decet in Ecclesia. Mitto tibi versiculos nostros, ac velim exempla dare iis, quibus inscripsi. Vicissim à te peto, ut mihi sermones ac judicia vestrorũ perscribas περὶ τῆς καταστροφῆς, *de conversione* conventus. Non satis ratiocinari possum, quid moliatur ὁ αὐτοκράτωρ, *Imperator*, & tamẽ meditari Synodos videtur, quas jam cognita quorundam ex nostris perfidia, profecto vehementer metuo. O vocem Sophoclis veriorem nunc, quam cum ille eam in theatro Athenis ante duo millia annorum pronunciaret: θνήσκει μὲν πίστις, βλαστάνει δ' ἀπιστία, *moritur fides, germinat infidelitas.* Sed oremus Deum patrem Liberatoris nostri Iesu Christi,

ut Ecclesiam suam servet ac gubernet. Fasciculum literarum, quem addidi, curabis tradi certis hominibus, quorum fides tibi probatur, ut ad Ioachimum perferatur. Agitur enim de eo accersendo in Academiam Lipsicam. Benè vale. Die 11. Augusti, Anno 1541.

XXVII.

S. D.

VEnit huc πτωχὸς, *mendicus* quispiam Anglicus cum D. Osiandri testimonio, & abiturus, clam, inscio Luthero, reliquit puerum in Lutheri ædibus. De eo scribit Lutherus ad Senatum vestrum, & orat puerum inde huc adductum in vestro παιδοτροφίῳ, *loco pueris educandis destinato*, ali. Nam cum adhuc nutrice egeat, putavimus hoc consilium commodius etiam puero fore. Hanc causam tu quoque suscipies. Puerum adducit Gregorius Burmanus, qui jam à Marchione Georgio accersitur ad Ecclesiam quandam gubernandam. His diebus convenient Duces Saxoniæ, Marchio Joachimus, Macedo, Neoburgi collocuturi de exercitibus contra Turcas mittendis. Deus excitet nostros & doceat manus eorum ad prœlium. Editionem Bucerianam de actis Ratisbonensibus vidisti. Leviter me movent, quæ aspergit. Nam hoc tam funesto tempore sit justitium harum futilium rixarum. Bene vale. Die 4. Octobris, Anno 1541.

XXVIII.

XXVIII.

S. D.

DEi beneficio Joachimus incolumis, salvam familiam Lipsiam adduxit. Nondum commodè habitat, & matrifamilias initia migrationis difficilia aliquanto molestiora sunt, quam fore arbitrabar. Mirum est, quam desideret rus illud in quo vixit. Sed si Turcica arma non interturbabunt studia nostra, spero Ioachimo hanc sedem jucundam fore. Et, ut sit, Deum oro. Excurri ad eum multis de causis, ubi cum de republ., de studiis literarum, de vestra etiam Ecclesia multa collocuti essemus, incidimus in sermonem, qui ad te propriè pertinuit. Prolixè enim mihi tua erga se officia prædicavit, quæ scio te virtuti ejus tribuere. Sed tamen mihi pergrata existimabis esse, præsertim tali ipsius tempore. Intellexi autem eadem de re tecum locutum esse, qua de scripseram antea, videlicet, ut hoc præsertim tempore, in hac publica trepidatione, & metu Turcicorum armorum mœstitiam in dicendo tuam, non iracundiam significares, mihique confirmavit moderationem & & gravitatem, quam requirimus, abs te præstari. Hæc mihi ipsius oratio voluptati fuit. Vides quo genere orationis ipse nunc utar. quam multis? quibus parcam? Senex Nestor Patroclo hortator est, ut amicum suum familiariter

admoneat, ac ad lenitatem revocet, & addit; ἀγαθὴ ὦ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρε, *bona est admonitio sodalis.* Gaudeo igitur apud te quoque utriusque nostrum, Joachimi & meam παραίφασιν, *admonitionem* valere. Bis à me jam petiisti, ut aliquid significem de deliberatione Neoburgensi. Fuit illa quidem honesta deliberatio; Sed Hectoreum illud imitari Principes optarim, ἁπλᾶς ἐπ' ἐχθροῖς μῦθον, ὁπλίζειν χέρα, *simplex de hostibus oratio, armare manum.* Pollicentur se conjunctis copiis, Germaniæ fines defensuros esse, etiamsi Principes, qui tenent Germaniam, quæ est ultra Herciniam, non miserint auxilia. Ratio inita est, ut præter copias Bohemicas, Silesiacas & Moravicas nostri octoginta millia peditum mittant, & aliquot millia Equitum. Deus excitet Ducem aliquem, & doceat manus ejus ad prælium Nam copiæ, arma, pecuniæ fortasse non deessent. Fortasse ne Dux quidem, si esset εἰλικρινὴς εὔνοια, *sincera benevolentia* inter eos, quos præcipue oportet esse conjunctos. Deum oremus, ut ipse Ecclesiam defendat. Utinam etiam noster ordo, videlicet τῶν διδασκάλων, *Doctorum* esset ἀνέγκλητον, *inculpabilis.* Leningum quem scribis curari Hebeno, novi. Monstroso corpore & animo est, καὶ ὠμὸς τῇ συζύγῳ, *crudus, sævus conjugi.* Et cum ludat opinionibus variis in religione, mirum est, quantum sibi placeat. Quare parcere vos Bucero velim.

velim. Et illi insulsi libelli Jasonici per se consilescent. Nostris scriptionibus fierent notiores, & fortasse hanc Camarinam moveri, illi ipsi autores vellent. de re à nobis & dicitur in aliis operibus & sæpè dici poterit. Benè vale. Capitonem nobis ereptum esse doleo. De Pontifice si quid audies, scribito. Iterum vale, die 11. Decembris, Anno 1541.

XXIX.

S. D.

VT in toto orbe terrarum, velut insignis stella fulgebat collegium Doctorum Hierosolymæ quondam florente republ., quod ibi erat Ecclesiæ præcipua Schola; Sic nunc Dei beneficio ingenti florent hæ civitates & regiones, in quibus sonat vox Euangelii, coluntur literæ, explicatur & propagatur doctrina cœlestis, mores mediocriter reguntur, imperia sic satis æquabilia sunt. Hæc tanta bona, utinam Principes, gubernatores & doctores agnoscerent, & sua moderatione fovere Dei munera studerent. Sed nos agnoscamus & foveamus, doceamus utilia, reprimamus iracundias & alios affectus, qui interdum pernicioſos tumultus excitant. Compara tuam civitatem jam ad Pannonias, Austriam, Belgicam, Celticam; dices te cœlum ad Tartara conferre. Hæc, mi Vite, sæpe cogito in precibus quotidianis, eoque omnia dico ac facio moderatius,

tius. Mitto tibi Epiſtolam Myconii, ex qua leges hiſtoriam Arnſtadiani Paſtoris, qui diu de nugaciſſimis rebus, de vini pretio litigavit, adverſus Senatum fulmen excommunicationis torſit, adjunxit etiam ſibi Lutherum. Nunc tandem tumultuari deſinit, & Friderici diligentia res eò perducta eſt, ut mutuo injurias condonaverint, & promiſerint μὴ μνησικακεῖν, *non meminiſſe ad malum*. Cur antea toties à Friderico, me, Menio, Lango rogatus non deſtitit tumultuari, cum nullam cauſam haberet? Hæc, quia alia nunc quæ ſcriberem non erant, duxi tibi ſignificanda eſſe, quia arbitror amantibus moderationem utile eſſe talia exempla cognoſcere. Et epiſtolam Friderici libenter leges. Nunc eo ad Lutherum, ut ei ſuam exhibeam, cum & in hoc ipſo negotio aliquoties ab ipſo colaphos acceperim. De præfatione in Geneſin miror te non ſignificare tuum judicium. De Baptiſmo Chriſti ea ſententia quam propoſueras, non videbatur ſine longiore explicatione ita nuda ponenda. Ideo dixi communiora. Bene vale, & de Conventu quidquid habebis ſignifica. Die 23. Februarii, Anno 1543.

XXX.

S. D.

SÆpe, mi Vite, vos adhortatus ſum, ut ἀριστοκρατίας urbium & ametis & tueamini.

Etſi

Etsi enim nullæ sunt πολιτεῖαι sine vitiis, tamen in civitatibus plus valent leges & judicia, quam alibi, & disciplina est paulo severior. Vides res nunc Principum, qui etiamsi boni sunt, tamen ita impediuntur, ita sunt impliciti variis fœderibus & negotiis, ut domesticas res negligant. Sed Deum oremus, ut hos quoque gubernet, nec sinat deleri Ecclesias suas. Belgici tumultus cura adfici nostros sentio. Non incidisset in hæc pericula Juliacensis, si nostrorum consiliis ante hæc tempora obtemperasset, qui fuerunt hortatores, ut Ecclesias emendaret, & se fidelioribus sociis adjungeret. Sed omitto hæc. Mitto tibi Catalogum, de quo velim te mihi respondere. Præfationem in Micheam aliam hodie scripsi, paulo grandiorem tua, & alio argumento. De Starckio adolescente tibi gratiam habeo, eumque tibi commendo. Nam spero eum usui fore patriæ. Benè & feliciter vale, die 22. Octobris, anno 1543. Inspice quæso Amerbachii τὸ σύγγραμμα περὶ ψυχῆς, *Opus conscriptum de anima*, quem quidem non molestè fero dicere suas sententias de rebus ambiguis. Sed tantum aspergere eum veneni, contumeliarum & calumniarum nollem, etsi hoc quoque πράως φέρω, *leniter fero*. Ipse sibi bonorum odia accersit. Et respondebo cum erit plus otii.

tempora hortantur nos ad pœnitentiam. Scribam per vestrum tabellarium copiosius. Hieronymum civem vestrum tibi commendo. Hactenus est & amans virtutis & veritatis, & natura factus ad gravitatem. Valde tibi gratias ago quod eum adjuvisti. Mitto tibi Eclogas, alteram Stigelii Latinam, alteram Græcam. Sed duo abs te peto cum poëmata mitto, ut & legas & postea significes, te officio nostro delectatum esse. Benè vale. Lipsiæ, Mens. Octobr. Anno 1543.

XXXII.

S. D.

HErmanno γραμματοφόρῳ *tabellario* literas dedi, in quibus complexus sum materias οἰκείας ἡμετέροις γράμμασι, *proprie spectantes nostras literas seu studia*, qui fortasse antevertet hunc tabellarium. Sed hanc Epistolam huic magistro Andreæ Kerzel dedi, nato in ditione Mansfeldensi, qui post mortem patris honesti & pii senis, Noribergam ad componenda quædam negotia cum mercatoribus proficiscitur. Existimavit autem sibi amico aliquo isthic opus esse, qui loca & homines monstraret, quos conventurus est. Fortassis aliquid laboris tibi imponimus. Sed id volo esse, tantum ex eo genere, de quo inquit Cicero: *Vt homo, qui erranti comiter monstrat viam, quasi lumen de suo lumine accendat.* &c. Diu in Academia nostra

nostra & didicit & docuit. Nunc avocatur ad res domesticas. Benè & feliciter vale. Die quo ante annos 36. meus pater mortuus est, videlicet 27. Octobris 1543.

XXXIII.

S. D.

NOs vero Carolum non cessare audimus, sed recens poritum oppido Landerschi in Picardiæ finibus, in quod traduxerant Galli multa bellica tormenta, ajunt ibi & præsidium aliquot millia Italorum & Gallorum interfecta esse. Agnoscamus hæc bella fatales mundi pœnas esse, & Deum oremus ne simul Ecclesiam opprimant. Nihil humanorum consiliorum video, quibus vel adversus Turcas, vel alios nostræ Ecclesiæ defendi posse videantur. *Salvabo eos*, inquit Deus, *sed non in arcu.* Hac me consolatione sustento & Deum oro, ut regat mentes Doctorum & gubernatorum ad retinendas res utiles Ecclesiæ, & servet reliquias & pia studia. De Conventu Spirensi silentium adhuc est. Tu si quid habebis significa. Tuum judicium expecto de nostris disputationibus, περὶ τῆς ἐπιθέσεως χειρῶν, *de impositione manuum.* Bene vale, die 8. Novembris, Anno 1543.

XXXIV.

XXXIV.

S. D.

DE quæstione tua placuit mihi accommodari Psalmum ad hujus luis grassantis depulsionem, cæterum habes alias multas similes sententias de liberatione corporum, ut, *Non morietur justus fame*, &c. de toto igitur genere disputemus. Usitatum est decurrere ad ultimam metam. Non mori, non perire justos, etiamsi moriantur oppressi corporalibus cladibus. Et in loco valet hæc responsio. Sed non sola hæc explicatio tenenda est. Vult Deus etiam præsenti vitæ opitulari, ac de præsenti liberatione genus illud promissionum concionatur. In quo hæc tria complectenda sunt: Ecclesiam cruci subjectam esse, & servari tamen etiam in hac vita, & ad extremum liberari ab omnibus ærumnis. Valent igitur promissiones, cum hac conditione, ut sciamus Ecclesiam cruci subjectam esse, & mens parata sit ad obedientiam. Quid igitur adferunt promissiones? de toto corpore concionantur. Ecclesia petens depelli luem, bellum, famem, servari corpus petit. Et id impetrat. petit idem mitigationem singulis. Jonathas etsi verè pius est, in acie interficitur, mirabili consilio Dei. Sed antea fuerat ornatus gloria, & in ipsa clade experitur præsentiam Dei. David scit se puniri, & petit veniam. Experitur igitur mitiga-

tigationem, etiamsi non prorsus tota pœna tollitur. Ita precantes in lue sciant se pro communi salute orare, ut servetur Ecclesia, idque verè impetrant. Deinde & se petant servari. Nec irritam hanc ducant precationem, sed sciant multos impetrare, quod petunt, etiamsi aliqui propter arcanum Dei consilium non impetrant, ut Ionathas. Nam simul cum his promissionibus conjunctam sciant hanc sententiam, ut Ecclesia præstet in cruce obedientiam. Michaelis Præfatio valde nobis placuit, ubi narrat Arii morte, significatam esse hanc postremam Machometi cloacam. Bene vale. Die 5. Ianuarii. Anno 1544.

XXXV.

S. D.

DEi beneficio & Ecclesia apud nos adhuc tranquilla est, & studia doctrinæ florent mediocriter, quod ex studiis tuorum civium, quorum aliquos jam in examinibus audivi, judicare potes. Gaudeo juventutem ordine per artes duci, & simul proponi incorruptam de Deo doctrinam. Tales cœtus utinam servet filius Dei. Scio aulica consilia & varia esse, & suas quasdam artes miscere. Sed profecto Nobilitas in conventu graviter & piè respondit. Bene vale. 3. Calend. Februarii.

XXXVI.

XXXVI.

S. D.

DEum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut Hieronymum Baumgartnerum conjugi honestissimæ, dulcissimis liberis, Ecclesiæ vestræ & patriæ restituat. Christus inquit *omnes capillos nostri capitis numeratos esse*. Quare cum non dubitem Hieronymum verè esse Christi μαθητὴν, *discipulum*, curæ eum esse Deo sentio. *Nemo rapiet*, inquit Christus, *oves meas ex manibus meis*. Quare nec Hieronymum latrones illi perdere poterunt. O Iesu Christe, propter gloriam tui nominis servato & reducito Hieronymum ad conjugem & liberos! De navata opera in negotiis pecuniariis amicorum, gratiam tibi habeo, & fortassis brevi coràm agam. Nam si hinc mihi migrandum erit, primum ad vos iter faciam. Misit huc Amsdorfius censuram Colonienſis reformationis acerbam, quæ tamen Luthero mitis videtur, & classicum novi certaminis jam audivi. Si ceperit noster Pericles de ea re contumeliosè dicere, discedam. Hac de re plura scribam per Milichium qui brevi ad te venturus est, ac fortasse nuncium vestratem antevertet. Fatetur initio censuræ Amsdorfius, doctrinam libri congruere cum nostris Ecclesiis, sed quædam verba obscurius posita esse, deinde calumniosè quædam exa-

exagitat de libero arbitrio: reprehendit & hoc, quod dixi, amitti gratiam propter lapsus contra conscientiam. Tandem dicit, de cœna Domini non satis explicate dici. Hæc sunt capita, quantum rescivi. Scio in libro nihil esse errorum, verborum calumniæ & λογομαχίαι, *verborum certamina* caveri à nemine quamlibet cauto possunt. me nihil hæ ineptiæ movent: sed si me expulerint, risus præbebunt adversariis. Benè vale. Die 8. Augusti, Anno 1544.

XXXVII.

S. D.

Βράδιστη μακάρων ὥρα φίλα, ἀλλὰ πᾶσι νεὰ ἔρχονται πάντεσσι βροτοῖσιν, ἀεί τι φέρουσα, *Tardissima ex beatis (sive diis) Hora, tamen exoptatæ veniunt omnibus hominibus semper aliquid ferentes*, inquit Theocritus. Feramus igitur moram restitutionis Hieronymi, nec tamen aut spem reditus ejus nec preces abjiciamus. Redde Hieronymum Iesu Christe fili Dei suæ conjugi & liberis propter tuam gloriam, ne impii ἐμπαίζοντες, *illudentes* dicant, te non audire vota Ecclesiæ! Quod significas tam accuratè Imperiorum historias, gratiam tibi habeo. Gallicas σπονδὰς, *fœdera* nunquam firmas esse judicavi. Sed nos oremus Deum, ut Ecclesiarum hospitia servet, & studia literarum ac doctrinæ ornemus. Quid enim possumus face-

re

re melius? Scripsi jussus deliberationem de instauratione Ecclesiarum, quam reliqui nostri Collegæ probarunt, & Principes fortassis Carolo Imperatori exhibebunt. Hæc lecta à Principibus placuit, cum quidem moderatissimè scripta sit. Nunc volunt latinè reddi ac edi. Exemplum ut habeas curabo. Albertum Lucretium nec metuendum nec magnifaciendum esse censeo. Fugere ex urbe Roma coactus, nunc hoc novo artificio sperat se Romanæ aulæ studia rursus sibi conciliaturum esse, si criminationes adversus nos edat. Nec Ducibus Bavariæ, sed Romanæ aulæ hac in re eum præcipuè servire existimo. Nam mihi notæ sunt ejus turpissimæ historiæ. Ubi prodierit, opponemus ei orationem Æschinis κατὰ Τιμάρχου, *contra Timarchum*, in qua scribitur eos, qui quæstum corpore fecerunt, non admittendos esse ad Magistratus aut ad dicendum in concione. Sed hæc tetra non libet scribere. Mitto tibi Basilianam oratiunculam, ac opto ejus lectionem tibi voluptati esse. Honestissimè apud nos vixit Retzlerus, quem & natura moderatum & excultum esse doctrina comperi. Quare & tu eum amplectare & amicis commendes. Benè & feliciter vale. Die 17. Februarii, Anno 1545.

XXXVIII.

S. D.

VTinam possem mittere literas votis vestris respondentes. Sed actiones Macedonis jam vobis notæ sunt, & narrationem nobis missam, fratri exhiberi volo, ac mihi significari quid censeat agendum esse deinceps. Rogavi Macedonem, ut ipse qui melius prospicere potest in re tali quid conducat, vias & rationes liberandi Hieronymi quærat. Sed illum, ut arbitror, multa impediunt, quæ non volo recensere. Confugio igitur ad illam nostram usitatam consolationem, *Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.* Respondi de quæstione nobis proposita, sumque miratus audaciam eorum, qui Magistratuum errata excusant prætextu exempli Mosaici. Si luderet hoc modo posteritas, quid futurum est? Sed Deum oro, ut regat docentium mentes, & ut Esaiæ verbis utar, σφραγίσῃ τὸν νόμον ἐν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, *obsignet legem in discipulis suis.* Mitto tibi enarrationem Quinti Ethicorum veram & non insuavem, cujus lectionem interdum voluptati tibi esse optarim. Carolum Imperatorem existimant venturum esse ad conventum in urbe Vangionum inchoatum. Nollem pecuniam mihi missam esse ab honestissima conjuge Hieronymi, & te decuit non accipere. Bene vale. die 7. Martii, Anno 1545.

XXXIX.

XXXIX.

S. D.

HAnc Epistolam nuncio dedi priusquam Lipsiam irem, ac jussi ut iterum à me flagitet literas Lipsiæ, ubi Sylvulam adornare tuæ responsionis decrevi: minus enim interpellor, cum domo absum, & animo sum magis vacuo. Multa de Sacramentorum usu vera & ἐπάγωγα dici possunt, & graviter accusari insciția orbis terrarum quæ prophanare Sacramenta poterit. In fine scribit audacissimè ille Sycophanta, adorandam esse illam Mazam, ut Christum in terris versantem, petenda omnia bona ab ea ut Centurio, Cananæa & alii à Christo coràm bona petebant. Hæc quæso tetra βδελύγματα *abominationes* dissimulanda ne sunt? quæ stabiliuntur ab iis qui non explicant, quomodo defendant τὸ ἄρτον ὑπαρκτικῶς γίνεσθαι σῶμα, *panem substantialiter fieri corpus*. Tua tamen oratio erit moderata. Civis quidam vester, Hans Tastler debet hæredibus boni viri Pastoris Ecclesiæ Pratensis quem cum viveret, noras, octo aureos, mutuo datos, rogo ut orphanis eam pecuniam solvi cures. Benè vale. Die Georgii, Anno 1545.

XL.

S. D.

HAc nocte filius Dei aditurus agonem suum pro Ecclesia precatus est, & ne lux Euangelii exstinguatur, & ut doctores sint concordes. Ad hujus ἀρχιερέως *summi sacerdotis* nostri precationem dulcissimam, & vota nostra, & studia & mores adjungamus: πάτερ ἅγιε, ἁγίασον ἡμᾶς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου, καθὼς ποίησον ἡμᾶς ἓν εἶναι, ἐν σοὶ καὶ ἡμῖν σοῦ, *Sancte pater, sanctifica nos in veritate tua & fac nos unum esse in te & filio tuo.* Decrevi Sylvam tibi opusculi mittere post Pascha. Nunc enim habeo operas aulicas, ac video principio libri multa te piè & plausibiliter dicere posse de vero usu Sacramentorum, ac deplorare cœcitatem adversariorum & tenebras superiorum temporum. Ille Sycophanta negat usum Sacramenti prodesse ad confirmandam fidem adversus mortalia delicta, tantum putat venialia deleri, idque ex opere operato. Hæc & similia refutanda sunt. De altera quæstione, quomodo decem κατηγορίαι *Prædicamenta* sint in cœna, nolo à te multa dici, nec interrogare τὸν διδάσκαλον *Doctorem* volui, ὀργίλως καὶ ἀκαίρως ἐρωτῶντων καὶ οὐ σαφῶς ἀποκρίνεται, *iracundè audit interrogantes, nec clarè respondet.* Ego tibi respondebo per alterum nuncium, cujus mihi fides notior est. Cum Collega tuearis quoquo modo

modo concordiam. Scripserat ad me de literis ad Eliam missis, easque mitigabat. Significavi nihil prorsus permanasse ad Lutherum. mihi crede non potest tranquillitas retineri, nisi feramus multa acerba ac dissimulemus multas injurias. κἀγὼ πολλὰ ἀδικήματα καὶ ὕβρεις πολλάκις πρᾴως φέρων ἐσίγησα καὶ νυνὶ οὐ μέμψομαι κἂν χρήματα διὰ φίλους ἀναλίσκω, *Et ego multas injurias & contumelias leniter ferens tacui, & nunc quoque non queror, etiamsi pecunias, per amicos impendo*, cum magno meorum detrimento. Sed quid nobis blandimur? Quantas tulit injurias filius Dei: ut sese abjecit, ac transtulit in se nostra probra, pro nobis factus κατάρα, *maledictio*? Reprimamus igitur nos, & componamus animos ad omnis generis injurias tolerandas & condonandas publicæ tranquillitati. Plura scribam per alterum nuncium. Bene vale. Die passionis filii Dei. Anno 1545.

XLI.

S. D.

REddet tibi hanc Epistolam Magister Bartholomæus Wagner natus in urbe Prussiæ Regio monte, honesto loco. Dedi autem ei consilium metuenti oculorum caliginem, ut ad vestros Medicos & χειρουργοὺς proficiscatur, & eorum utatur consilio. Modestus homo est & inter ignotos timidior, quare te oro, ut

eum Medico, Doctori Magebuchio commendes, aut etiam alicui oculorum Medico. Habet aliquid viatici, sed curabo mitti amplius si diutius apud vos erit. Institui hic in mercatu sylvam tuæ responsionis. Res utiles & pias admixtas affectibus idoneis tractare cupio. Nolo nos certare calumniis & conviciis cum imprudentissimis Sycophantis. Heri legi decretum Academiæ Lovanienſis plenum impietatis, quod & autoritate Caroli Imperatoris munitum est. Crescit, ut vides, multiplex rabies; Ideo simus cautiores & modestiores. Deum oremus, ut nos gubernet. Bene vale, Cal. Maii. Lipsiæ, Anno 1545.

XLII.

S. D.

AUdio adversariũ tuum Parthorum more tecum prœliatum esse, dicitur emisso telo fugisse. Nos tamen fugientem sequemur, nec tarditate offendaris. κιχάνει γὰρ ἠ βραδὺς ὠκύν, *Assequitur & tardus velocem.* Nunc Præfationem in Hoseam adornamus, in quo edendo egregiam te operam navasse judicamus omnes. Et mihi curæ erit, ut Præfatio aliquid sensuum ἠ ἠθῶν *morum* habeat. Deinde stylum rursus in illum fugitivum Bavarum stringemus. Osiandri luctu, (nam & filiam ei mortuam esse audiebamus) Lutherum & cæteros profecto in animo adfici vidi. Ideo ei subito scripsi-

scripsimus, & optarim vobis omnibus leniri domesticos dolores, cum ministerium Euangelicum satis curarum & agonum per sese adferat. Vtinam ad liberandum Hieronymum prosit, quod Eques Francicus à vestris captus est, ac si quid putatis apud Macedonem rursus agendum, significa. Non accepi volumen cælestis doctrinæ typis vestris excusum, quod misisse te mihi narras, quare si cui tradidisti, admoneas ut exhibeat nobis. Ingrati est dissimulare munus acceptum. Hoc igitur scripsi, ne me ingratitudine tacere putares. Bene vale. Nonis Junii, Anno 1545.

XLIII.

S. D.

IUstissimum est, labores utiliascribentium ornari præmiis. Nam & illæ ipsæ operę scribentibus sumptuosæ sunt, & abducunt eos à cura rei familiaris. Ideo optarim & tibi & aliis in hoc genere bene merentibus de republ. honestas mercedes dari, ac judico te editione Hoseæ bene meritum esse, tibique gratiam habeo. Sed Potentes nihilo plus curant hos nostros labores quam Lazarum ulceribus, & sanie squalentem opulentus intuens jacentem ad fores. Catelli tamen sunt officiosi erga Lazarum, quo in numero est Anhaltinus, à quo plus expressissem, nisi scirem multos talia munera ab eo petere. Quare boni consules, quod misit.

Conciones tuas de Agone filii Dei nondum legi, sed legam diligenter. meus minister, qui avidè legit talia scripta, valde eas probat. De republ. etsi multa audimus, tamen quia vos certiora habetis, nunc nihil scribam. Dominus noster Iesus Christus restituat nobis Hieronymum Baumgartnerum. Turcicum tyrannum ajunt hac æstate non venturum esse in Pannonias. Librum doctrinæ cælestis intellexeram ἅγια βιβλία, *Sacra Biblia*, veteris & novi Testamenti, ut apud vos eduntur. Nam de eo libro scripseras. Bene vale. Die lætissimi congressus Mariæ & Elisabethæ, & Synodi melioris Tridentina. Cal. Iul. Anno 1545.

XLIV.

S. D.

CArissime Vite. Non possum prolixè scribere. Jam enim ingredior iter unà cum D. Pastore ad Principem & ad Lutherum iturus. Expatiatus est Lutherus, & nescio quam indignationem circumfert, cur redire cunctatur. Deus regat ut juvet nos. De Hieronymo quam primum nobis certa scribito, quæ utinam sint fausta, ut gloria filii Dei celebretur, nec dicant impii, Ubi est Deus eorum? pro cultris & codice gratiam tibi habeo. Sed codicem dedi Besoldo amico nostro. Mitto tibi præfationem in Astrologicum Schoneri, quam rogo ut ei exhibere cures. Iudico piè scriptam esse & philoso-

losophicè. sed scripsissem uberius, nisi hoc iter abrumpi inchoatam materiam coëgisset. Bene vale. 2. Augusti, Anno 1545.

XLV.

S. D.

UTinam redditus sit jam Hieronymus honestissimæ conjugi suæ, dulcissimis liberis, Ecclesiæ Dei apud vos, studiis literarum, denique toti reipubl. Teque magnopere oro, ut quam primum nobis hac de re significes omnia ἀξιόλογα, *digna relatu.* Mitto tibi Witebergam nostram, quam pictor Sebastianus edidit. Nosti quæ jam sit τῆς γραφικῆς, *artis pictoriæ* fortuna. Ideo imitari vestros hanc picturam nollet, ut sua exempla majore pretio vendere posset. Ea in re si quid poteris apud artifices, agito, ne imitentur. Arbitror rem non difficilem esse, περὶ τῆς καταστροφῆς, *de conversione* conventus, qui fuit in urbe Vangionum, etsi Homerica ὄσσα *vox* quædam nunciat, tamen à te certiora expecto. Bene & feliciter vale. Die 10. Augusti, Anno 1545.

XLVI.

S. D.

ETsi memini illud, ἕρδοι ἧς ἦν ἕκαστος εἰδοίη τέχνην· ὑφ' ἅρμασιν ἵππος, ἐν δ' ἀρότρῳ βόες, *Quam quisque didicit artem eam exerceat: curribus equus, aratro boves scil. junguntur*: tamen

men non adeo rudis sum Philosophiæ, ut cauteriis existimem lentos & pituitosos humores, sparsos toto corpore, in unum locum derivari posse. Quare totum illud consilium improbo, teque ad medicationes magis Philosophicas experiundas adhortor. Nec tamen nimium vexari corpus velim, etsi aliqua καθάρσει ἢ ἐκκενώσει, *purgatione vel evacuatione* opus est. Deum autem æternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut te & alios pios doctores servet, quia scriptum est, *Non mortui laudabunt te Domine.* Doctorem Erasmum Floccum tibi commendo, cujus eruditos sermones tibi voluptati fore spero, consilia vero ejus etiam valetudini tuæ profutura. Bene vale. 23. Septemb. Anno 1545.

XLVII.

S. D.

SApientes ubique in tota Germania credo mente & oculis intueri nunc Saxoniam, & de belli exitu variè angi. Populi rumores qui sint, infinitum esset narrare. Etsi autem spero Deum daturum esse placidam καταστροφήν, *conversionem*, tamen quoquo res cadet μεγάλαι μεταβολαὶ ἔσονται, *magnæ mutationes erunt.* Pugnemus igitur iis armis, quæ nobis divinitus tradita sunt, id est, invocatione Dei & fiducia filii Iesu Χριστοῦ, & oremus cum filius sit λόγος, ne λογικὴν λατρείαν, *rationalem cultum*, id est, verè

veræ Eccleſiæ doctrinam & vera officia θεῷ ἀρεστα, *Deo grata* deleri ſinat. Tuum ſcriptum legi, quo confirmas Eccleſiam non ſolum in Auguſta Tiberina, ſed etiam alibi. Pugnax eſt oratio, ego ſcripſiſſem διδασκαλικὰ, *doctrinalia* placidius. De invocatione ἐν τῇ λειτουργίᾳ μυστηρίῳ, *in adminiſtratione Sacramenti*, metuo cenſuram tuorum Collegarum. Cætera ſatis luculenter ſcripta ſunt, & mihi placent. Sed brevius dixiſſem περὶ προσκυνήσεως, *de adoratione*, id eſt, tantum improbaſſem univerſam προσκυνησιν μυστηρίου ἔξω τῆς χρήσεως τεταγμένης ἐν ῥήμασιν εὐαγγελίου, *adorationem Sacramenti extra uſum legitimum in verbis Euangelii*, idque breviter indicaſſem propter calumnioſa judicia. Sed hæc, ut ſpero, coràm. Deum oro, ut belli exitus ſit ſalutaris Eccleſiæ Dei. Scripſi Domino Hieronymo, quantum nunc ſciebamus. Benè vale. Die 22. Octobris, Anno 1545.

XLVIII.

S. D.

CUm heri literas nuncio abituro dediſſem, poſtea venit adoleſcens, qui tuas attulit, in quibus ſignificas ſparſam eſſe famam apud vos de noſtrorum militum clade. Verum hæc cum ſcriberem nondum audieramus uſquam à noſtris infeliciter pugnatum eſſe. Ipſe vero Lycaon amiſit in oppugnatione arcis Lycaoniæ multos ſeu milites, ſeu ruſticos, ut magis arbi-

arbitror. Et, Dei beneficio, feliciter ab oppugnatione repulsus est. Postea etiam dicitur totum exercitum abduxisse. Sed quid paret, nondum sciebamus. Prorsus ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου, *minas & cædes spirans*, Ecclesiis nostris vastitatem, & piis studiis oppressionem, denunciat. Ideo oro Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut propter filii gloriam reprimat hunc Antiochum. Hactenus initia belli nostris adhuc mediocria fuerunt. miror tarditatem Lycaonis, cum quidem fuerit paratissimus. Sed divinitus judico ei ut Sennacherib frænum injectum. Benè vale. 23. Octobris, Anno 1545.

XLIX.

S. D.

HEri tuam Epistolam accepi, in qua narras te delectum esse, ut sis noster in Colloquio de doctrina Ecclesiarum instituendo παρεξάτης, *adjutor*, qua de re scito te ab ipso Luthero delectum esse. Sed quale futurum putas Colloquium in hoc conventu, ad quem novæ animorum exulcerationes adferentur propter Lycaonem captum? magna arbitror de aliis rebus certamina fore, quæ Deus gubernet. ὁ γυπαιετὸς, *Vulturius aquila*, legatos recens misit ad Ducem Mauricium, qui narrarent Turcicum Tyrannum adducturum proxima æstate ingentem exercitum, & petit pecuniam, ut

solet.

ſolet. Hiſtoria de fratribus Cataneis recitatur in proxima pagella Ætnæ Virgilii, etſi verſiculi aliquantulum corrupti ſunt. Narrant & Strabo & Pauſanias, qui inquit etiam ſuo tempore celebratum eſſe hoc exemplum ſermonibus populi in oppido Catana. Vide Pauſaniæ paginam 272. in verſu poſtremo. Scribam alias plura. Nunc tibi commendo Martinum Wagner probum hominem, ſed ægrotum. Ludoici Ciconiæ literas inſulſiſſimas legi, profecto in familiari colloquio, quia ſic ſatis facundus eſt, nunquam animadverti tantum ſtultitiæ & impudentiæ. Bene vale. Domino Doctori Wenceſlao dicito me filium audiviſſe & commendaſſe Hieronymo.

L.

S. D.

NIhil in vita mihi dulcius fuit unquam candida, placida, ſimplici, ingenua & non fucoſa collatione ſententiarum cum doctis, prudentibus & bonis viris, eaque in re arbitror te & naturam meam & conſuetudinem, verè noviſſe. Expeterem igitur & illas conventuum diſputationes, ſi antagoniſtæ nobis viri boni & eruditi opponerẽtur, cum quibus diſſerere poſſem τὰ μὲν πείθων, τὰ δὲ πειθόμενος, *alia ſuadens in aliis perſuadendus.* Sed quid Principes in utraque parte agant, vides. Interea gemens precor Deum, ut ipſe Eccleſiæ reliquias ſervet

& gu-

& gubernet. Differam etiam si non in conventibus, at in his nostris auditoriis quæ qualiacunque sunt, tamen domicilia Dei esse judico, & pertinere ad hoc dictum ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, καὶ παρ' αὐτὸν ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν, *Si quis me diligit, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad ipsum & mansionem apud ipsum faciemus.* Aula decrevit, ut ad conventum tunc demum proficiscar, cum certum sit Carolum Imperatorem velle instituí collationes sententiarum, ut promisit. Ne igitur credas incertis fabulis de itinere. Mitto tibi versiculos, missurus etiam leges Academiæ nostræ, nisi nuncius aliis fasciculis oneratus esset. Nunc præfationem in Psalmum, qui abs te editus, adornabo, ut in ipsis Natalis admirandi feriis munus à me habeas tempori conveniens, de filio nato, de quo Psalmus inquit, *Osculamini filium.* Bene vale, 1. Decemb. Anno 1545.

LII.

S. D.

ETsi curæ mihi est reipubl. tamen literarum tuarum propter privatas narrationes avidior sum. Propemodũ enim τὰ μέλοντα ἐν δημοσίοις κινδύνοις σκοπάζομεν, *futura in publicis periculis conjecturis venamur.* De te scire cupio quam valeas, & Deum æternum patrem Domini nostri

stri Jesu Christi oro, ut te Ecclesiæ communi & domesticæ servet incolumem. Proficiscitur ad vos adolescens Vitus Ennius, qui narrat se magnis à te beneficiis adfectum esse. Nunc petit rursus se juvari aliquorum piorum ἐρράνῳ, *collata stipe*, qua in re quæso, ut ei non desis, nec putemus nobis turpe esse πτωχεύειν *mendicare* pro Scholasticis, ὅτι καὶ εὐσεβεστάτη θεοῦ ἐκκλησία πτωχή ἐστιν ἐν κόσμῳ καὶ πρὸς βασιλέας οἱ πτωχαλαζόνες καὶ ἅρπαγες εἰσι, *si quidem & pientißima Dei ecclesia mendica est in mundo, & regibus mendici jactabundi & rapaces adhærent.* Hæc cum scriberem nondum audieram rediisse Ioachimum Camerarium ad Mysos nostros. Mitto tibi & D. Hieronymo pagellas quæ continent historias ἀξιολόγους, *relatu dignas*. Campanum scias in Iuliacensi ditione clam pernicioßissima venena contra Filium Dei & contra Spiritum sanctum spargere, imò re ipsa delere universum Euangelium: Interea se venditat Gropero, & diligitur quia audet rabioßè maledicere nostris Ecclesiis. Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui in baptismo filii verè patefecit se, & filium & Spiritum sanctum, regat nos, & non sinat exstingui lucem Euangelii. Salutem opto D. Hieronymo. 10. Iunii, Anno 1546.

LIII.

LIII.

S. D.

ANnis ferè mille, in Germania nulli fuerunt Italici exercitus. Nunc eos adducit Carolus, & contra eam familiam adducit, à qua in hoc Imperii fastigium evectus est, κἂν ἓν πολλάκις ἐμεμψάμην στενάζων ἡμετέρους ἐπαχθῆ τινα Καρόλῳ πράττοντας ἄνδρα ἀναγκης, *etsi sapius reprehenderem nostros odiosa quædam Carolo facientes sine necessitate*, tamen fontes odii sunt, judicium in Carolo iniquum de doctrina Ecclesiæ. Quare Deum oro, ut tegat has regiones. De mea vita non sum sollicitus, sed nollem deleri hanc mediocrem doctrinæ sedem. Tu nos Deo piis votis commendato. Hanc Epistolam exhibebit tibi Franciscus Dryander Hispanus, meus contubernalis, vir doctus, gravis & eximia virtute præditus, in omni officio philosophicam diligentiam præstans. Te & D. Hieronymum Baumgartnerum videre voluit. Hieronymo igitur eum commendabis. Mihi gratum facietis, si eum ut me alterum complectemini. Bene vale. die Iohannis Baptistæ, quo me cogitatione temporum & ærumnarum Zachariæ & filii & similium quos Herodes interfecit, consolabar. Tu quoque eate cogitatione erigito. Anno 1546.

LIV.

LIV.

S. D.

ET Deo gratias ago, quod Senatus voluntatem excitat ad fovendæ doctrinæ studia, & ipsi Senatui ago gratias, quod cura nostri adficitur. Scripsi, ut vides, ad Senatum, teque volo legere exemplum, si placet, Epistolæ, D. Hieronymo. Orabis eum meis verbis, ut exhibeat. De Synodo Tridentina valde te oro, ut significes quidquid rescisces. Non dubito περὶ νόμου καὶ πίστεως *de lege & fide* monstrosum fœtum parituram esse. Mitto tibi somnii mei imaginem, non ficti, sed verè ita conspecti, ὄναρ *somnium* tamen est, οὐχ ὕπαρ, *non visio*. Nunc pertexo dialecticen in hac nostra solitudine. Plura scribam per Andream nuncium. De Milichio curam ut suscipias, te etiam atque etiam oro. Opto tibi omnia fausta & felicia. Benè vale, 23 Februarii, Anno 1547.

LV.

S. D.

OLim dicitur Astræa pulsa ex urbibus, in rure concionata. Nunc rursus doctrinæ studia & disciplina, ut spero, fugient in urbes benè moratas, cum Principes dissipatis scholis barbariem facturi in suis regionibus videntur. Quare pugnate, quantum omnino potestis, ut foveantur in vestris Politiis literarum studia,

ne lux doctrinæ cælestis in terris exstinguatur. Ioachimum Camerarium spero brevi ad vos venturum esse, περὶ Μελιχίου, ut cogitationem suscipias amico dignam, magnopere te adhortor. De bello quod verè nunc est Μυσῶν λεία, *Mysorum præda*, ut veteres dicebant, nihil scribo. Nam vos prius omnia auditis, quam nostræ literæ perferuntur. Vtinam Pallas aliqua Martì hastam extorqueret. Nam verius illud nunc accidit, quod ibi apud Homerum inquit Pallas, quam olim, νόος ὤλετο καὶ αἰδώς, *mens periit & pudor*. Literas ad Franciscũ Hispanum scriptas, quas nuper τῷ μικρῷ γραμματοφόρῳ *pusillo tabellario* tradidi, si nondum misisti, tradas huic Nicolao Argentinensi auditori nostro, honesto adolescenti. De Carolo Imperatore & Rhenanis rebus literas à te expecto. Bene & feliciter vale. Die Basilii Episcopi Cæsarienſis collegæ nostri, qui & ipse asperitatem Valentis Imperatoris expertus est, & tamen divinitus defensus. Anno 1547.

LVI.

S. D.

ET ἀνάδωρον *donum reciprocum* tibi debeo, & habeo gratiam pro concionum tuarum volumine misso, quod profectò sæpe inspiciam. Libenter enim considero quid in locis obscurioribus alii docti & pii cogitarint, non ut cum quoquam subtilitate certem aut argutia,

gutia, sed potius, ut de propriissima simplicissimaque sententia Ecclesiæ doctores consulam, de quibus scriptum est, *Dedit alios pastores, alios doctores.* Nec enim aspernor in illis loquentem Spiritum sanctum, ut filius Dei inquit, οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν, *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Etsi autem tyranni, ut Gigantes cœlo bellum inferentes, hoc studium illustrandæ doctrinæ cælestis delere conantur, tamen speremus filium Dei, quæ est æternus sacerdos, defensurum esse ministerium Euangelii, & has nostras operas in explicanda doctrina non abjiciamus. Nos in magnis periculis sumus, sed hac me consolatione sustento, quod filius Dei inquit, *omnes capillos capitis nostri numeratos esse.* Mitto tibi libellum, qui ad vicinos scriptus est, qui utinam cogitarent id quod Paulus dixit, amandos esse ὑπερεκπερισσῶς *magis ac magis* fideles doctores. Bene vale. Die 13. Octob. Anno 1548.

LVII.

S. D.

MEministi dictum Moysi de Deo, *Ipse est vita tua & longitudo dierum.* Hunc Deum æternum patrem Domini nostri Jesu Christi conditorem Ecclesiæ suæ & resuscitatorem, oro, ut vires corpori tuo suppeditet & leniat

tibi cruciatum & ærumnas. Vult Deus, ut scis, mirando consilio Ecclesiam suam cruci subjectam esse. Et profecto hoc tempore variè exercemur plerique omnes. Revocat enim nos Deus ad ταπεινοφροσύνην, *humilitatem*. De conventu Augustano tuas litteras expecto, at certo sciam, quid de Synodo decreverint. Sed astrorum & prodigiorum significationes magna bella minitantur. Elveticum parari vides. quod semper judicavimus fore ὄντως *intensionem* tragœdiæ hujus temporis, quam Deus gubernet. Nondum reprehendo meum consilium, quod hortator tibi fui, ne ex patria discederes. Mitto tibi pagellam Carpophori, quam legito, ac si poteris aliquid ea de re agere, de qua scribit, quæso ut mea causa hunc laborem suscipias, ac pecuniam illam petas. Mitto tibi pagellam de Eclipsibus. Profecto in hac proxima Solis terribilis congressus est ☉. ☾. ♂. ♀. & ☿. in ♏. pæne similis tempore Synodi Constantiensis. Benè vale. IX. Novemb. Anno 1548.

LVIII.

S. D.

CAriſſime Vite; Sæpè hac cogitatione me consolor: Cum Adam & Eva lapsi essent, nullius creaturæ ope restitui & servari potuerunt. Hic Deus immensa bonitate prodiit ex arcana sede, & sua voce, edita per filium & suo

suo sancto Spiritu, revocavit Ecclesiam suam ex ipsis inferis. Non igitur deerit Ecclesiæ Deus, te quoque clementer servabit, cum quidem jusserit nos petere & expectare salutem propter filium, ut ibi dictum est, *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.* Misi paginas Hieronymo Besoldo, quas legito. Benè vale. Die 20. Ianuarii, Anno 1549.

Reverendo Viro, eruditione & virtute præstanti, D. HIERONYMO BESOLDO, *Euangelium purè & fideliter docenti in Ecclesia Dei in inclyta urbe Norimberga, fratri S. carissimo.*

S. D.

VEnerande vir & carissime frater. Existimo te vidisse decretum περὶ δικαιοσύνης *de justitia* factum recens in littore Balthico. Utinam sit felix ἐπανόρθωσις, *correctio*, ac aliquanto post sciemus ea, quæ secuta sunt illius decreti editionem. Moderatè docendo necessaria vinces τὴν ἀντιδίκων κραυγὰς, *clamores adversariorum.* Recens ad me Senatus Ratisbonensis scripsit de rebus duabus, petens ut meam opinionem significarem, de forma Ecclesiasticæ pœnæ, quam ibi Gallus proponit, καὶ περὶ τόκων, *de usuris.* Respondi, prius judicii formam constituendam esse, nec unum potestate condemnandi ἀκρίτους *non judicatos, inauditos* sine cognitione armandum esse. Quæso ut significes, an ad vestros etiam scripserit Se-

natus Ratisbonensis. Nicolaum nostrum tibi & ceteris amicis commendo. Benè vale, Die Encæniorum Ierosolymæ.

EIDEM.

CArissime Hieronyme. Etsi his diebus cum adfuit nuncius occupatus fui examinibus & adornanda renunciatione gradus, tamen si essem admonitus, postea præfationem in editionem tuam scripsissem. Nunc in articulo suscipiendi itineris nuncius ejus rei mentionem facit. Proximos igitur dies ei tribuam, quanquam propero respondere atrocissimo scripto vicinorum nostrorum. Vociferantur illi quidem terribiliter de libertatis propugnatione. Nec ego invideo eis suam libertatem, sed vicinis Ecclesiis alioquin afflictis parcere debebant. Nunc non solum servitutem exprobrant, sed etiam alia crimina confingunt, quæ refutabo. Qui mei labores fuerint annis viginti, tu optimè nosti. Nunc in ipsam flammam horribilium certaminum rapior. Spero autem me & tuo & multorum bonorum suffragio liberari hac calumnia, quam majorem judico prioribus conviciis. Nunc vociferantur à nobis invehi corruptelas doctrinæ. Magna rabies est ingeniorum, ut fuit olim post Apostolorum prædicationem. Oremus igitur assiduis votis Deum, ut Ecclesiæ reliquias servet, & nos regat. Benè vale. 15. Februar. Anno 1550.

EI-

EIDEM.

[*Sequens Epistola à Dn. Sauberto libro v. Epistolarum inserta est pag. 227. sed mutila: Ideoque integra hic posita.*]

S. D.

CUm Appenninum transivit Herulorum, id est, Rugianorum Dux Ottocarus, edita est vox terribilis ex specu: *Vade pellibus indute, Non enim redibis.* Nec vanum fuit id vaticinium. Nam Rugianus ille post paucos annos à Veronensi Theodorico victus periit. Ita spero non rediturum esse ad vos Guelfum illum seu Catilinam, cujus recitantur voces adeo immanes, ut non existimem Rugianum illum sic loqui ausum esse. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam in urbe vestra, & tuguriola cum parvis pueris, & puerperis protegat. Vidi ἐν ὀνείρῳ *in somno* duriter pulsari illum Guelphum à Maximiliano. Et fortassis ad Maximini templum vicinum urbi Trevirorum pugnabitur. De Balthicis disputationibus novi nihil habeo, etsi mecum fuit ante triduum homo prudens Academiæ Regiomontanæ, minister missus huc à Sabino. Semper & fuerunt & erunt in Ecclesia certamina, sed eluctatur tandem veritas. Brentius inspergit σοφὰ φάρμακα, *prudentia remedia*, ac jam secundam conciliationem misit, qui quomodo illis dictis medeatur,

quæ sunt ita scripta, ut recitantur, nescio: peccata ante annos 1500, remissa esse. Item, eodem modo filium in humana natura, quam ipse sumpsit, habitasse, ut in cæteris sanctis. Ego quidem rectius sentire eum, quam loquitur, cogito. Sed sermo est horridus. Hoc sentit & loquitur, imputari credentibus divinitatem, non merita Christi. Nec satis est τὸ λόγον sic definire, decretum esse de restitutione humani generis. Etsi enim id decretum per eum patefecit, tamen fatendum est liberrime conditum & receptum esse genus humanum. Filium vero esse, & esse totius patris εἰκόνα *essentialem imaginem* simpliciter necessarium est. Vide quantæ res moveantur, de quibus miror, quid dicat noster amicus Brentius. Novum certamen & Stancarus movet, contendit tantum τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει *secundum humanam naturam* mediatorem esse Christum. Nos Marchioni Electori respondimus his diebus de ea quæstione, qui nos ad cognitionem ejus controversiæ vocaverat. Vtinam tui Collegæ considerarent, quam necessaria sit hoc præsertim tempore concordia nostris Ecclesiis. Benè vale & rescribe quamprimum poteris. Die 9. Octobris 1552. Argeliæ.

Vene-

Venerando Viro, eruditione & virtute præstanti Domino, GEORGIO BUCHOLTZER, *Præposito & Pastori Ecclesiæ Dei in urbe Arctoa Berolinensi, amico suo.*

S. D.

TOta Euangelii doctrina arcanum Dei decretum est prolatum ex sinu æterni Patris, à filio Domino nostro Jesu Christo, qui propterea magni consilii Angelus dicitur. Nec licet ulli creaturæ quidquam in eo decreto mutare. Ideo nunquam volui nova dogmata gignere, sed pio studio & bona conscientiâ quæsivi veram & veterem Ecclesiæ doctrinam. Et cum initio motis disputationibus, doctrina admodum dissipata esset, & multa à multis impropriè dicerentur, miscerentur etiam quædam horridiora, aliena ab Euangelio, collegi summam doctrinæ & proprio eam sermone exponere studui, fuique cæteris hortator ad amandam proprietatem, speroque hunc meum laborem aliquamdiu etiam Ecclesiarum concordiæ in multis locis profuisse, ac conscientia hujus meæ voluntatis ac sedulitatis mihi nonnihil dolorem hoc tempore lenit. Nec mei dissimilis ero; quicunque belli exitus erit, si vivam, dicam moderatè veras sententias & Ecclesiæ necessarias. Etsi autem delector officio vestro, quod ad me interdum scribitis, tamen de malevolorum sermonibus scribi nihil opus est. Miror aulam vestram tan-

topere delectari eorum sermonibus, qui mihi maledicunt, cum Islebium mediocribus officiis ornarim & vestris Ecclesiis & hominibus meilabores sæpè profuerint. Si vultis plus esse certaminum, & me non desinent istic provocare aliqui, refutabo tandem publico scripto eorum maledicentiam. Quid est vanius, quam quod somnii causa me calumniantur? Nolo tales fabellas ad me scribi. De Cœna Domini, si qui istic tumultuantur, me non admisceant. Extat mea sententia, quæ non impedit in actione adorationem. Sed oro vos ut moneatis illos maledicos, ne causam præbeant, ut cogar me adversus ipsos publicis scriptis tueri. Potero honestissimè & pro me & contra illos dicere. Iam in his periculis publicis magis decebat nos concordes esse. Nam si Synodi decreta edentur, satis negotii etiam vobis in vestris Ecclesiis erit. Mitto filiis versiculos. Benè valete. Anno 1547.

Dn. DOMINICO SCHLEUPNERO, *Concionatori Noribergensi, fratri suo in Christo.*

S. D.

ET morem meum & studium animi erga te mei nosti. Quare nihil opus est longiore oratione qua silentium excusem. Nec enim ferè nisi necessaria de caussa ad amicos scribo, nec amicè fieri putem, si quis ab hoc vulgari scribendi officio meum animum æstimet.

Quare

Quare boni consules, qui hactenus nihil scripsi. De Eucharistia rogas quid consulam. Ego vero utinam hac de re possem πνευματικῶς *spiritualiter* statuere, quemadmodum & Petrus requirit in Christianis. Verum & idem vobis, si quid novaturi estis præstandum est, ut id proficisci sentiatis ἐξ ἰσχύος ἧς χορηγεῖ ὁ θεὸς, *ex robore quod Deus suppeditat.* Agnoscis Petri verba. Nos enim anno superiore rem tantam quam infeliciter tentavimus & re ipsa comperiebamus, mundi spiritum negotium nobis facere? Scribam igitur paucis quid sentiam. Primum quia in tanta multitudine vix pauci sunt Christiani & apti qui Sacramento fruantur, cavendum est, ne vulgus invitetur ad prophanandum corpus Domini. Deinde multò pauciores sunt, qui bona conscientia possint contra totius Europæ consuetudinem, contra quam solent tot sancti in aliis terris, novare aliquid in ritu Ecclesiastico. Hæ conscientiæ scis quomodo sint tractandæ, modis omnibus præstandum est, ne cubi impingant. Scio ipse & usu cum in me tum in aliis didici, quam facile labascat conscientia, nec tu crede iis, qui initio ante tentatam rem fortes sunt, & ea non dubia ferè carnis est significatio. Quare ut maximè sint unus aut alter in universa urbe satis firmi, tamen illi cedant fratrum imbecillitati, postulat hoc charitas. At ferimus peccatum? Esto: Ferebant & Apostoli peccatum

tum in ſuis, in Eccleſia Judaica, quæ certè impia opinione legis ritibus utebatur. Item ſi quorum conſcientiæ captæ ſunt, ut non poſſint alterutra ſpecie contenti eſſe, & ii prorſus ab Euchariſtia abſtinere poſſunt. Hæc ſcribo ex mea ſententia, non oraculi vice. Dominus faciat, quod & gloriæ ſuo Euangelio eſt, & ſalutare nobis. Vale, poſtridie Oculi.

FABIANO GYRCEO, *amico ſuo.*

S. D.

MI Fabiane; Jam olim vidi pleraque τοῦ Θυικλέφου *VViclefi* opuſcula. Erat quod maximè feciſſe putabant, Dialogus quidam, ipſe Trilogum, ni fallor, inſcripſit, διὰ τὸ τρία πρόσωπα διαλέγεσθαι, *quod tres perſonæ interloquantur.* Non videntur digna mihi publica luce. Sunt enim partim leves diſputationes, partim obſcuriſſimæ, & ex mediis ſcholis Dialecticorum illius temporis depromptæ. Et mundus obrui mihi jam non neceſſariis libris videtur. Pertinaciſſimè ſemper obſtiti ne mea excuderentur. At inſidiantur χαλκογράφοι etiam ſcriniis noſtris. O peſtem! Verum belle à me cavebitur, ne quid poſtea mearum nugarum vobis patientiſſimis lectoribus obtrudam. Vale. Ego ſum tuus, & fiducia familiaritatis ſcribo ſimplicius.

Michaeli

MICHAELI ROTTINGO, *docenti bonas litteras Norimbergæ ad S. Ægidium.*

S. D.

QUia incertum erat, an apud vos Ioachimus esset, duxi ad te, mi Michael, scribendum esse. A Duce Georgio in pompa nuptiali nostri Principis impetravi litteras ad Bambergensem Episcopum pro Joachimi fratre Hieronymo scriptas. Eas ad vos mitto, ut si est commodum, eis utamini. Quod si in jus vocatus est Episcopus, non admodum hoc genere litterarum opus esse existimo. Misi tamen, quia quo in statu res isthic essent, ego plane ignorabam. Sunt autem binæ priores Torgæ scriptæ, postea alteræ à Dresda huc missæ. In posterioribus inclusam suspicor quandam meam, ut vocant, instructionem, quia Dux Georgius scire cupiebat causam, cur Ioachimi frater captus esset. Et nisi Lutherana causa esset, pollicebatur liberaliter, se pro eo scripturum esse. Sum igitur coactus ea de re litteras ad Ducem Georgium mittere, quas ipsas ita temperavi, ut nihil scripserim, quod vel Episcopum offendere posset, nisi fortasse meum nomen offendat, de qua re vos deliberabitis. Est enim, ut video, mirabiliter morosus. Scripsi, ne quidem objici studium seu favorem Lutheri, nec fuisse Hieronymo familiaritatem cum Lutheranis. De sorore rem totam

tam transtuli in patris ætatem & necessitatem, ut debui. Potuissem à reliquis Principibus omnibus impetrare litteras sed hujus nomen plus arbitrabar valiturum, quam ceteros universos. Video autem parum auxilii adhuc attulisse homines. Itaque juvemus eum orationibus apud Deum, ejusque salutem commendemus Christo, qui servet ac regat eum adversus sævitiam tyranni. Puto omnia persoluta esse, quæ isthic debuisti meo nomine. Mitto nunc aureum, pro quo te rogo ut Alfraganum mihi isthic cures, teque rogo etiam, si jam istinc Vitus discessit, & tu illi, si quid fuit reliquum pecuniæ, dedisti, tamen emas mihi Alfraganum. Quantum suffurari à reliquis occupationibus temporis possum, in ea studia collocare certum est. Tanta me incessit cupiditas sequi has minimè populares litteras. Bene vale.

Doctissimo Viro, Magistro PAULO EBERO, *φιλτάτῳ.*

S. D.

CAriſſime Paule. Vidisse te hanc Annam in ædibus meis arbitror. Diu servivit meo affini consuli, & antea Doctori Sebaldo. Bonum & modestum ingenium est, & mores sunt inculpati. Quærit Lipsiæ dominam. Commendes igitur eam honestis matronis conjugi D. Ziegleri aut nostri hospitis. 5. Octobr.

Vene-

Venerando Viro D. JACOBO RUNGIO.

S. D.

VEnerande Vir & chariſſime frater. Etiam Ariſtoteles ſcribit, à Pythagora dici deſponſationem ad aras fieri, ut cogitemus Deo eſſe curæ conjugia. Nec dubium eſt, eum morem à Sanctis patribus acceptum eſſe, quem retinere conſtanter debemus. Et tibi à Deo petenda eſt conſervatio Eccleſiæ, conjugii, caſtitatis & politiarum. Cum igitur cras in templo futura ſit deſponſatio concionatoris Nicolai, te oramus, ut tu concioneris de conjugio, & horteris populum ad precationem. Habes honeſtiſſimam & dulciſſimam materiam, laudationem caſtitatis, qua Deus vult diſcerni à Diabolis & immundis naturis, & vult caſtis mentibus invocari, & ſæpe dico, *Caſta Deus mens eſt, caſta vult mente vocari.* Habes etiam vituperationem Diabolicæ legis Pontificum, quæ prohibet conjugia & cauſa eſt horribilium ſcelerum, propter quæ totæ gentes puniuntur. Simus hortatores omnibus ad caſtitatem, & noſtra voce Diabolos & Pontifices accuſemus, qui confirmant libidinum confuſiones. Ideo te oro etiam propter honeſtiſſimam conjugem tuam, ut cras concioneris, & gloriæ Dei & honori conjugii hunc laborem tribuas, ſicut ſcriptum eſt, τίμιος ὁ γάμος. Etiam Ethnicis adeo laudata eſt caſtitas, ut

verſus

versus Bachilidis recitantur, qui fuit Pindari coætaneus.

Vt cum de statua facies formosa remota est,
Non decus in reliquo corpore truncus erit;
Sic reliqui mores spreti sine honore jacebunt,
Ni sint ornati laudis amicitia.

Benè vale & respondе.

Ad GEORGIUM KARGIUM, *ut Sponsi loco in templo Euangelium:* Nemo potest duobus Dominis &c. *explicet.*

S. D.

REverende vir & carissime frater; Oro, ut cras in templo enarres, eaque in re non solum sponsum labore leves, sed etiam Ecclesiæ urbis gratificeris. Ostendas etiam nos non esse fractos animis propter Papistarum ἐπιχαιρεκακίαν, *gaudium in alieno malo*, aut propter nostrorum διχοστασίας, *seditiones*. Non omittamus doctrinæ & ministerii officia, quanticunque fluctus cymbam Christi concutiant. Id & lectio Euangelii docet, quæ cras proponitur: *Iacta curam tuam in Deum, & ipse te sustentabit.* Benè vale. 25. Octobris. 1557.

SEBASTIANO CASTALIONI.

S. D.

HActenus ad te nihil scripsi. Nam in hac & varietate & barbarie negotiorum parum mihi supereſt temporis ad illud genus literarum dulcius, quo magis delector. Sæpe etiam langue-

languefacit me intuentem horribiles confusiones inter eos, qui sapientiæ & virtutis studiosi videri volunt, ingens mæstitia: tamen conspecta forma orationis tuæ, semper te magnifeci. Est enim ut scis, ingenii, prudentiæ, judicii, & veræ etiam virtutis index recta & diligens oratio. Scis autem illud Musarum canticum ὅτι καλὸν, φίλον ἔστι, *quod pulchrum amicum est.* Quare cum illa tua ornamenta considerarem, ne fieri quidem potuit, quin te diligerem, etiamsi familiaritas nulla fuit. Suntque mihi testes multi, & in his Hubertus tui amans, meorum sermonum quos de te honorificos sæpè inter amicos habeo. Delectatus sum etiam versibus Hieronymi Lycii. Gratum igitur mihi fuit abs te ad scribendum invitari, ac vicissim hanc meam Epistolam volo apud te & judicii mei testem, & sinceræ erga te benevolentiæ pignus esse, & æternam inter nos amicitiam esse opto. Querela tua non dico de dissensionibus, sed de crudelissimis odiis, quibus ardent quidam adversus eos, qui & veritatem & doctrinarum fontes amant, meum dolorem, quem circumfero assiduum, etiam auxit. Ut in fabulis dicitur ex Titanum sanguine postea Gigantes natos esse, ita ex Monachorum semine novi Sophistæ orti sunt, qui in aulis, in Gyneceis, in vulgo regna quærunt, & se impediri literarum luce existimant. Sed servabit Deus aliquas sui cætus reliquias. Nos

interea quæ mutare non possumus, sapienter feramus. Mihi senectus etiam dolorem lenit. Spero enim me brevi in Ecclesiam cælestem migraturum esse procul remotam ab illis furiis, quæ nunc Ecclesiam horribiliter turbant. Sed desino impleta jam charta, præsertim cum de multis rebus, si vivam, aliquando post tecum coràm loquar. Nam Balthici fremitus nova mihi exilia minitantur. Bene vale. Cal. Novembr. 1557.

Clarissimo Viro, eruditione & virtute præstanti HERMANNO WILKIN, *docenti Linguam latinam & Græcam, & doctrinam Christi in inclyta urbe Ryga, fratri suo carissimo.*

S. D.

CAriss. frater. Has literas scripsi die Augusti duodecimo, cum ante biduum scripsissem, & Epistolæ adjunxissem Proclum. Optarim autem me quotidie tecum de doctrinis, de Deo & de aliis bonis rebus colloqui posse. Nunc occupatus breviter de Reinholdo Romberchio scribo. Vocavi ad me adolescentem Reinholdum, & interrogavi an procedere in doctrinarum studiis velit, aut an militare velit. Respondit se processurum in doctrinarum studiis, & profuturum esse judico, Lovanium eum mitti aut Lutetiam. In his Academiis, si doctrinarum studia abjiciet, militandi occasionem habebit. Lacrymans petivit placari parentes. Nec audio

delicta

delicta ipsius aliqua enormia esse. Minus est frugalis & magis deditus sodalitiis quam vellemus. Sed spero sanari eum posse. Signum boni ingenii hoc quoque est, quod non recusavit recitare Symbolum Apostolorum me poscente, cum multa alia quoque interrogassem. Audit librum Institutionum Iuris civilis. Inde etiam quædam sciscitatus sum. Scis veterem disputationem ex dicto Simonidæ: τετράγωνον γίνεσθαι οὐ ῥᾴδιον, καὶ μόνου θεοῦ γέρας ἐστι, τέλεια ἀρετή, *Quadratum undequaque perfectum existere non est facile, & solius Dei præmium seu prærogativa est virtus perfecta.* Demus igitur veniam sanabilibus, sed ut sanentur etiam, danda est opera, & pecunia mittatur quam debet, & profusiones deinceps prohibeantur. Hæc ætas laxatis disciplinæ vinculis sumit sibi plus licentiæ, & exemplis malis etiam mediocres fiunt negligentiores. Et laxatio disciplinæ fit major clamoribus ἀντινομικοῖς, *contralegalibus*, sicut nuper quidam in urbe Northusen edidit propositiones de lege, in quibus hæc est: Summa ars Christianorum est, nescire legem. Scio posse addi σοφὸν φάρμακον, *callidum remedium, argutam interpretationem*. Sed illi Tribuni plebis, tantum hæc vociferantur, ut vulgi affectibus blandiantur. Quæso igitur ut adolescentis saluti consulas, & sanari eum cures. Bene vale. Die. 12. Augusti.

Egregiapietate & doctrina prædito, Domino GABRIELI, *Pastori Ecclesiæ Torgensis, amico suo carissimo.*

S. D.

VEnerabilis Vir. De Stifelio decrevit hoc Illustriss. Princeps, ut cum tempore iterum ei aliqua parochia commendetur. Quare misit eum istuc Dominus Præpositus, ut petat parochiam pagi cujusdam, quem non ignoras. Nunc te oro per Christum, ut Stifelium amanter excipias atque adjuves, ut ea parochia potiatur. Si scires quanta sit animi imbecillitas, quantæ angustiæ καὶ ἀπορίαι, haud dubiè summo studio ei opitulaturus esses. Credes igitur & mihi & ceteris, extremam esse necessitatem juvandi Stifelii. Scio te pro tua pietate ærumnis miserorum affici. Suscipies igitur nobiscum hoc negotium, etiamsi aliqui homines duri nostram lenitatem reprehendent: decet nos magis hujus calamitate, quam illis sermunculis moveri. Benè vale cum conjuge & liberis. Mense Septembri, 1534.

EIDEM.

S. D.

448. PAstores Ecclesiarum in pagis, si non sint mediocres Oeconomi, durissimè vivunt. Et aliqui propter egestatem interdum sunt molesti Quæstoribus aut aliis. Idem huic tabellario

bellario accidit, qui est pastor Ecclesiæ in Betavv prope Pretin. Quærit aliam Ecclesiam, & audivit prope Torgam in aliquibus pagis desiderari pastores Ecclesiarum. Quod si ita est, ut ejus rationem habeas te etiam atque etiam oro. Est senex, miser, & habet septem liberos. Torgæ diu vixit. Natus est Mysniæ & ibi Franciſci sectam professus. Si est occasio, quæso ut ei prospicias. Bene & feliciter vale, 5. Septembr. 1539.

FINIS.

LECTORI.

NEscio qua incuriâ factum, factum tamen, ut quæ inter ultimas reponenda fuerat ad Jos. Menium Epistola, primo loco legatur. Id, quia indignum alicui videri posset, Ludimagistrum præponi Cæsaribus, regibus & tot honoratis viris, offensionis præveniendæ causa heic monere consultum duximus. Atque ut si forte secunda editio accuretur, quod futurum non desperamus, quod facta sit spes plures Melanchthonis Epistolas alibi latentes haberi posse, in suum illa locum relegetur. Cæterum Erratorum syllabum hic non subjicimus, quod quæ commissa sunt, non sint ejus momenti, ut intelligentem Lectorem remorari possint.

Iacobus Micyllus in Epithalamio
Hugelii: lib. 2. Silvarum:

Hinc, Reuchlinē tuâ senior de nepte Melanchth.
Progenuit natos, pignora clara, duos.
Quorum qui gelidum procul hinc concessit ad A
Teutona Saxonicis quâ secat arva vadis.
Vnus labentes Musarum sustinet artes,
Et quicquid dignum Cyclicus orbis habet.
Quo neq; venturo nascetur pulchrius ævo,
Nec tot longa retro secla tulere decus.

Sic de Philippo Melanchthone, nato
nepte Ioannis Reuchlini, quæ pat
Philippi Melanchthonis nupserat.

Iacobus Micyllus in Epithalamio
Hugelii: lib. 2. Silvarum:

Hinc, Reuchlinē tuâ senior de nepte Melanchth.
Progenuit natos, pignora clara, duos.
Quorum qui gelidum procul hinc concessit ad A
Teutona Saxonicis quâ secat arva vadis.
Vnus labentes Musarum sustinet artes,
Et quidquid dignum Cyclicus orbis habet.
Quo neq; venturo nascetur pulchrius ævo,
Nec tot longa retro secla tulere decus.

Sic de Philippo Melanchthone, nato
nepte Ioannis Reuchlini, quæ pat
Philippi Melanchthonis nupserat.

Digitized by Google